ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY



ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

SUMMULA

THEOLOGIAE MORALIS

AUCTORE

IOSEPHO D'ANNIBALE

S. ROMANAE ECCLESIAE CARDINALI

PARS I.

PROLEGOMENA.

Property of
COSA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

EDITIO QUINTA

DILIGENTER EMENDATA

ET NOVISSIMIS SS. CONGREGATIONUM DECRETIS LOCUPLETATA

Mauritius S. Bohan, O.P.

ROMAE

DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC., EDITORES

S. SEDIS APOSTOLICAE ET S. RITUUM CONGREGATIONIS TYPOGRAPHI

Piazza Grazioli (Palazzo Doria)

1908

PROPRIETAS LITERARIA

Romae. Ex Typis Societatis Editricis Cooper., via Federico Cesi, 45.

SIGLORUM EXPLICATIO

I. EX SACRIS SCRIPTURIS.

I. Ex Veteri Testamento.

Abd. C. un. 5	Abdias, Caput unicun, versic. 5.
Agg. II, 7	Aggeus, Caput II, versic. 7.
Am. I, 5	Amos, Caput I, versic. 5.
Bar. II, 4, 6	Baruch, Caput II, versic. 4, 6.
Cant. V, 8	Cantica Canticorum, Caput V, versic. 8.
Dan. IV, 7, 8.	Daniel, Caput IV, versic. 7, 8.
Deut. II, 4	Deuteronomium, caput II, versic. 4.
Eccle. VII, 15	Ecclesiastes, Caput VII, versic. 15.
Eccli. XXV, 16.	Ecclesiasticus, Caput XXV, versic. 16.
I (vel II) Esdr. I, 6	Esdrae, Lib. I (vel II), Caput I, versic. 6.
Esth. II, 9	Esther, Caput II, versic. 9.
Exod. IX, 11	Exodus, Caput IX, versic. 11.
Exech. XI, 17	Exechiel, Caput XI, versic. 17.
Gen. X, 15.	Genesis, Caput X, versic. 15.
Hab. II, 5	Habacuc, Caput II, versic. 5.
Ier. XV, 6	Ieremias, Caput XV, versic. 6.
Ier. Tr. IV, 4	Ieremias Treni, Caput IV, versic. 4.
Ion. III, 4	Ionas, Caput III, versic. 4.
Ios. XX, 2, 3.	Iosue, Caput XX, versic. 2, 3.
Is. XV, 7.	Isaias, Caput XV, versic. 7.
Iudic. VIII, 3	Iudicum (Liber), Caput VIII, versic. 3.
Iud. XV, 10	Iudith, Caput XV, versic. 10.
Lev. VI, 6	Leviticus, Caput VI, versic. 6.
I (vel II) Mach. II, 13	Machabeorum, Lib. I etc., Caput II, versic. 13.
Malac. IV, 4	Malachias, Caput IV, versic. 4.
Num. XV, 15.	Numeri, Caput XV, versic. 15.
I, (vel II) Paral. XXII, 1	Paralipomenon Lib. I etc., Caput XXII, versic. 1.
Prov. I, 10	Proverbia Salomonis, Caput I, versic. 10.
Ps. V, 11	Psalmorum Liber, Caput V, versic. 11.
I, (etc.) Reg. X, 6	Regum Liber I, etc., Caput X, versic. 6.
Soph. II, 3	Sophonias, Caput II, versic. 3.
Tob. III, 6	Tobias, Caput III, versic. 6.
Zach. XIII, 6	Zacharias, Caput XIII, versic. 6.

Ac; 4865

II. En Novo Testamento.

Actor. IV, I.	Acta Apostolorum, Caput IV, versic. 1.
Apoc. V, 7	Apocalypsis S. Ioannis, Caput V, versic. 7.
Io. XXI, 16	Evangelium S. Ioannis, Caput XXI, versic. 16.
1ª Io. II, 5	Prima Epistola S. Ioannis, Caput II, versic. 5.
2ª aut 3ª Io.	Secunda aut tertia Epistola S. Ioannis.
Iac. II, 19	Epistola S. Iacobi, Caput II, versic. 19.
Iud. c. un., 14	» S. Iudae, Caput unic., versic. 14.
Luc. I, 45.	Evangelium S. Lucae, Caput I, versic. 45.
Marc. XVI, 15	» S. Marci, Caput XVI, versic. 15.
Matth. IX, 22.	» S. Matthaei, Caput IX, versic 22.
1ª Cor. XIII, 12	Prima Epistola S. Pauli ad Corinthios, Caput XIII, versic. 12.
2ª Cor.	Seconda Epistola S. Pauli ad Corinthios.
Coloss. III, 24	Epistola S. Pauli ad Colossenses, Caput III, versic. 24.
Ephes. IV, 5	» » ad Ephesios, Caput IV, versic. 5.
Gal. I, 4	» » ad Galatas, Caput I, versic. 4.
Hebr. XI, I	» » ad Hebraeos, Caput XI, versic. 1.
Phil. II, 3	» » ad Philemonem, Caput II, versic. 3.
Philip. III, 7.	» » ad Philippenses, Caput III, vers. 7.
Rom. IV, 3.	» » ad Romanos, Caput IV, versic. 3.
1ª (vel 2ª) Thess. II, 5.	» (1ª vel 2ª) » ad Thessalonicenses, Caput II, versic. 5.
Tim. II, 7	» » ad Timotheum, Caput II, versic. 7.
1ª (vel 2ª) Tit. I, 8.	» (1ª vel 2ª) » ad Titum, Caput I, versic. 8.
1ª (vel 2ª) Petr. II, 9.	» (1ª vel 2ª) S. Petri, Caput. II, versic. 9.

II. EX IURE TUM CANONICO TUM CIVILI.

I Ex Iure Canonico

Ex Decr. Gratiani	C. 1, Dist. 101.	Canon 1, Distinctio 101.
	C. 2, Cau. 36, 2.	Canon 2, Causa 36, Quaestio 2.
	C. 40, *De Cons.*, Dist. 5.	Canon 40, *De Consecratione*, Distinctio 5.
Ex Decretalibus	C. 43, *De Rescr.*	Caput 43, *De Rescriptis* (in V. Lib. Decretalium).
	C. 45, *De Rescr.* in 6°	Caput, 15, *De Rescriptis* in Sexto (Libro Decretalium).
	Clem., 3, *De haeret.*	Clementinarum, Caput 3, *De haereticis*.
	Extr., 2, *De Conc. Praeb.*	Extravagantium (Ioann. XXII), Caput 2, *De Concessione Praebendae*.
	Extr. Comm., 5, *De Poenit.* . . .	Extravagantium Inter Communes, Caput 5, *De Poenitentia*.
	Trid., XXIV, *R. M.*, 10.	Tridentinum, Sessionis XXIV, *De Reformatione Matrimonii*, Capite 10.
	Trid., XXV, *De Reg.*, 22.	Tridentinum, Sessionis XXV, *De Regularibus*, Capite 22.
	Trid., XXV, *R.*, 21.	Tridentinum, Sessionis XXV, *De Reformatione*, Capite 21.
	Conc. Rom., XX, 2.	Concilium Romanum (a Bened. XIII celebratum an. 1725), Tituli XX, Capite 2. Vim legis obtinet in tota Prov. Romana.

II. Ex Iure Civili

L. 43, C. *De Transact.*	Lex 43, Codicis, in Titulo *De Transactionibus* (lib. II, tit. 4).
Auth. *Ad eos.* C. *De Sec. Nupt.* .	Authentica quae incipit *Ad eos*, in Codice, ad Titulum *De Secundis Nuptiis* (V, 9).
L. 40, *De Legib.*	Lex 40, Pandectarum, seu Digestorum, in Titulo *De Legibus* (I, 3).

Pr. (vel § 36), *De Legat.*	Prooemium (vel paragraphus 36) Institutionum, in Titulo *De Legatis* (II, 20).
§ 2 Inst.; L. 62 ff., (vel D.); L. 23, C. *Mand.*	Paragraphus 2 Institutionum (III, 26); Lex 62 Pandectarum (seu Digestorum) (XVII, I); Lex 23 Codicis, in Titulo *Mandati* (IV, 35).
C. G., 2219; It., 2105; Au., 1451	Codex Gallicus, Articulo 2219; Codex Italicus, Articulo 2105; Codex Austriacus, paragrapho 1451.
NN. LL.	Novissimae Leges, Novissimis Legibus (idest Codex, vel Codice Italico et Gallico).

III. Ex utroque

L. 3 C.; L. 4 ff.; C. 2 X., *De Pact.*	Lex 3 Codicis; Lex 4 Pandectarum; Caput 2 Decretalium, in Titulo *De Pactis.*
De A. E. V.	*De Actionibus Empti et Venditi.*
De A. et O.	*De Actionibus et Obligationibus.*
De A. P.	*De Acquirenda possessione.*
De A. R. D.	*De Acquirendo Rerum Dominio.*
De C. E.	*De Contrahenda Emptione.*
De O. D.	*De Officio (Iudicis) Delegati.*
De O. L.	*De Officio Legati.*
De O. O.	*De Officio (Iudicis) Ordinarii.*
De O. V.	*De Officio Vicarii.*
De R. D.	*De Rerum Divisione.*
De R. I.	*De Regulis Iuris.*
De S. E.	*De Sententia Excommunicationis.*
De V. O.	*De Verborum Obligationibus.*
De V. S.	*De Verborum Significatione.*
Alex. VII, 45.	Ex propositione 45 damnata ab Alexandro VII.
Innoc. XI, 64	Ex propositione 64 damnata ab Innocentio XI.
Alex. VIII, 31	Ex propositione 31 damnata ab Alexandro VIII.
Syll. 80.	Ex propositione 80 relata in Syllabo (edito iussu Pii PP. IX).
R. P.; RR. PP.	Romanus Pontifex, Romani Pontifices, etc.; Romani Pontificis, Romanorum Pontificum.
S. U. I.	Suprema Congregatio Sacrae Universalis Inquisitionis.
S. C. C.	Sacra Congregatio Concilii.
S. C. Epp.	Sacra Congregatio Episcoporum (et Regularium).
S. R. C.	Sacra Rituum Congregatio.
S. Poenit.	Sacra Poenitentiaria.
Collectan. n. 303	*Collectanea Constitutionum, Decretorum,* etc. *S. Sedis,* Parisiis 1880) n. 303.

III. EX THEOLOGIS, CANONISTIS, ET IURISCONSULTIS, QUIBUS SAEPIUS PRAE CETERIS UTOR.

Acta, IV, 300.	*Acta excerpta ex iis quae apud S. S. geruntur,* Tomo IV, pag. 300.
S. Alph., I, 89	S. Alphonsus (*Theologia Moralis*), Libro I, num. 89.
S. Alph., *H. A.*, XXI, 56	S. Alphonsus, *Homo Apostolicus* (Modoetiae 1832), Tractatus XXI, num. 56.
S. Alph., *C. D.*, 22, 51	S. Alphonsus, *Confessore Diretto,* Cap. 22, num. 51.
Ben. XIV, *De Syn.*, XIII, 25, 35.	Benedictus XIV, *De Synodo Dioecesana,* Lib. 13, Capite 25, numero 35.

Benedictus XIV, Not. 107, 103.	Benedictus XIV, Notificazione (latine Institutio) 107, numero 103.
Croix, VII, 350.	La Croix (*Theol. Moralis*), Libro VII, numero 350.
Donell., IX, 11, 4	Donelli, *Commentarium De Iure Civil.*, Lib. IX, Capite 11, § 4.
Duard., Lib. II, Can. 14, Q. 5, 27	Duardo, *Commentarium in Bullam Pauli V lectam in die Coena Domini.*
Durant., ad Lib. I, Tit. XI, 811.	Duranton, *Corso di Diritto Civile* (francese) al Libro I, Tit. XI del Codice, § 811.
Eng., V, 39, 20	Engel, *Ad Lib. V Decretalium*, Titulo 39, num. 20.
Haimb., § 671 (c).	Haimberger, *Diritto Romano*, Paragr. 671, nota (c.).
Laurent, XV, 84	Laurent, *Diritto Civile Francese*, Tomo XV, n. 84.
Less., II, 10, 18.	Lessius, *De Iustitia et Iure*, Libro II, Cap. 10, n. 18.
Lugo, *De....*, 20, 50	Lugo (Franciscus Cardinalis), Tractatu *De...*, Disputatione 20, n. 50.
Moli., II, 40	Molina (Ludovicus), *De Iustitia et Iure*, Tractatu II, Disputat. 40.
Mazzoni, *Istit.*, I, § 53	Mazzoni, Vol. I, § 53, *Istituzioni di Diritto Civile Italiano*, Firenze 1873.
Navarr., 24, 12	Navarrus (Martinus), *Summa* (*Latina*), Cap. 24, n. 12.
Pirhin., V, 39, 40.	Pirhinghius, *Ad Lib. V Decretalium*, Titulo 39, n. 40.
Reiff., V, 39, 40	Reiffenstuel, *Ad Lib. V Decretalium*, Titulo 39, n. 40.
Schmalz., V, 39, 40.	Schmalzgrueber, *Ad Lib. V Decretalium*, Titulo 39, numero 40.
Salm., 10, 9, 89.	Salmanticenses (*Theol. Moralis*), Tractatu 10, Capite 9, num. 80.
Sanch., *M.*, X, 20, 11.	Sanchez (Thomas), *De Matrimonio*, Lib. X, Disputatione 20, num. 11.
Sanch., *Dec.*, (vel *D.*) IV, 3, 7	Sanchez, *in Praecepta Decalogi*, Lib. IV, Cap. 3, n. 7.
Sayr., II, 6, 10.	Sayrus, *Thesaurus Casuum Conscientiae*, Lib. II, Capite VI, num. 10.
Sot., X, V, 7.	Sotus (Dominicus), *De Iustitia et Iure*, Libro X, Quaest. V, Articulo 7.
Suar., *De Legib.*, X, 8, 18	Suarez (Franciscus), *De Legibus*, Lib. X, Cap. 8, n. 18.
Suar., *De Censur.*, 51, 3, 25.	Suarez (Franciscus), *De Censuris*, Disputatio 51, Sectione 3, num. 25.
Thesaur. De Poen., Sepult., Cap. II . .	Thesaurus Carolus, De Poenis Ecclesiasticis, V. Sepultura, Capite II.
D. Th., I, 2, 15, I	Divus Thomas, Parte Prima, secundae partis, Quaestione XV, Artic. I.
D. Th., 2, 2, 30, 2, ad 3	Divus Thomas, Secunda, secundae partis, Quaestione XXX, Artic. II, ad tertium.
Vinn., in § 30, n. 4, *De Legat.*	Vinnius, in Paragrapho 30 Institutionum, *De Legatis*, num. 4.
Voet, 50, 13, 3	Voet (*ad Pandectas*), Libro 50, Titulo 13, n. 3.
Zachar., 776, 3 (8)	Zachariae, *Corso di Diritto Civile francese*, § 776, numero 3, nota 8.

PROOEMIUM

§ 1° DE ORIGINE, PROGRESSU ET VICIBUS THEOL. MORALIS.

1. Theologia moralis de vita et moribus quaerit: ideo *obiectum* eius *materiale,* uti vocant, sunt actiones humanae: quas proinde dispicit, non in genere naturae, nec in genere artis, sed *in genere morum:* nempe inquirens quid in eis liciti sit vel illiciti. Hoc quidem et iuris naturalis, et iuris civilis officium est; verum ius naturale nostras *actiones* versat qua rectae rationi, civile qua rei publicae conveniunt, vel adversantur: at Moralis Theologia eas praeterea, immo cum primis, expendit in ordine ad Deum, idest quod ad ultimum finem. Quocirca definiri potest: *Scientia liciti atque illiciti in ordine ad ultimum finem.* De qua acturus, ab ipsis scientiae initiis repetendum paucis existimavi, eiusque originem et progressum obiter demonstrare.

2. Principio igitur morum scientiae studium a remotissima antiquitate initium coepit. Uti Orientales praeteream, primus qui apud Occidentales e coelo, ut Tullii verbis utar, hanc scientiam *devocavit,* fuit Socrates. E Socratis schola quam multi Philosophi morales prodierint, quamque insignes, neminem latet. E Graecis Philosophia Moralis manavit ad Italos: eaque tantum delectati sunt Romani Sapientes, et cum primis Stoici, quibus prope omnes Iurisconsulti addicti fuerunt. Sed hos persequi nec iuvat, nec vacat; veniam ad Nostros.

3. Initio religionis nostrae, Christiani nullo Moralis Theologiae libro utebantur, sed iusti atque iniusti regulas petebant, cum opus fuerat, ex responsis RR. PP., ex Conciliorum decretis, ex PP. sententiis; sicubi hi obiter, et quasi aliud agentes, de his attigerant, quae ad vitam et mores pertinent (1). Serius invaluit usus *Librorum Poenitentialium.* Hi constabant tribus partibus: prima continebat sententias quasdam depromptas ex SS. Canonibus, et PP.: altera docebat, quomodo oporteret excipere poenitentes, eorum confessiones audire, eisque absolutionem impertiri: tertia demum recensebat satisfactiones singulis peccatis imponendas. His libris usi sunt Maiores nostri usque ad saeculum XII (2). Saec. XIII Theol. Morali studeri coepit; cuius liceat quatuor stadia, quasi hominis aetates, recensere.

4. Prima aetas initium sumit a S. Raymundo De Pennafort, O. PP., qui anno, ut videtur, 1235 opus edidit — *Summa de Casibus Poenitentialibus* (3). — S. Raymundi vestigiis mox ingressi sunt De Hales (4), Hostiensis (5), Astensis (6), Paludanus (7), Bartholomaeus a S. Concordio (8), Monaldus, De Butrio, De Burgo, aliique satis eruditi, ut temporibus illis; si Hostiensem excipias, et Paludanum, doctorem, S. Alphonso, *perfectae scientiae.* Ineunte saeculo XV, S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus (ut SS. Bernardum Senensem, et Ioannem a Capistrano (9) praeteream) edidit *Summam Theologicam* quatuor partibus distributam (10). Exinde Theologia Moralis coepit velut adolescere; et in dies adolevit, opera cum primis, ut alios prae-

(1) Francol., *de Poenit.* Lib. III, Cap. VII, § 25.

(2) Francol., Lib. II, Cap. VIII.

(3) S. Raym. Ortus est Barcinone an. 1175. Bononiae iuri operam, deinde O. PP. nomen dedit. A Gregorio IX Romam accersitus, quinque Lib. Decret. iussu eius edidit. Scripsit *Summam de casibus Poenitentialibus,* Romae anno 1403 primum excusam. Obiit an. 1275.

(4) Anglus, Minorita. Edidit *Sum. de Virtut.* etc. Appellatus est *Doctor irrefragabilis, Doctor Doctorum.* Ob. 1255.

(5) Henricus de Segusia, Episcopus Hostiensis. *Aurea Summa.* Fuit celebris Canonista. Ob. 1271.

(6) Franciscus, seu Astesanus, a loco quo natus est, Ord. S. Francisci. *Summa de Casibus Conscientiae* an. 1317. Opus celebre, et saepius recusum.

(7) Petrus de Palude, Gallus, O. PP. Doctor Sorbonicus. S. Alphonso perfectae scientiae Doctor. Ob. 1342.

(8) Pisanus, Ord. Praedicatorum. An. 1338 edidit: *Summam casuum conscientiae:* vulgo *Summa Pisanella,* et *Magistruccia.*

(9) Quorum alter edidit Tr. *De confessione,* alter *Speculum conscientiae, De Usur. et contract.*

(10) Ortus Florentiae an. 1389. Ob. an. 1459. Edidit praeterea *Summam Confessionalem,* et *Summulam De Confessione.* Quae etiamnum plurimum habent auctoritatis.

teream, *Silvestri* (11), Adriani (12), Tabienae (13), *Caietani* (14), Victoriae (15), Francisci Medinae (16), *Fumi* (17), De Castro (18).

5. Secunda aetas incipit a media circiter saec. XVI parte, usque ad mediam circiter partem saec. XVII, quo, velut exacta adolescentia, virile robur nacta est. Fuit enim haec Theologis praestantissima, et disputationibus exercitatissima. Hac aetate, prae ceteris, floruerunt *Dominicus Soto* (19), Petrus Soto (20), *Canus* (21), *Navarrus* (22), *Saa* vel *Sa* (23), *Toletus* (24), *Molina* (25), *Valentia* (26), Sayrus (27),

(11) Prieras, Italus, O. PP. In iure civili apprime versatus. *Summa Silvestrina:* quam Manhart *celeberrimam* vocat. Eum Sporer (*De Poenit.* n. 529) *Magnum moralium magistrum* appellat. Ob. 1523. Porro quos heic describimus literis italicis illi sunt, *quorum doctrina, quanta sit, undique* PERFECTA EST S. Alphonso (I, 70 n. LXXXVII. Bononiae 1763). *Quos* autem hoc signo* distinximus, omnes Tutioristae sunt, seu Probabilioristae; ceteri omnes Probabilistae, exceptis Tabiena, Petro Soto, Cano et Navarro: qui nec illis nec istis sunt accensendi.

(12) Belga. Humili loco natus, dein Pontif. Max. (Adrianus VI), quem Sotus (*De Iust. et Iur.* IV, VI, 3) vocat *Theol. non infimae notae.* Ob. 1523.

(13) Angelus, Italus, O. PP. *Summa Summarum.* Ob. 1525.

(14) Thomas De Vio, ortus Caietae, O. PP., subtilissimi ingenii vir. *Summa casuum Conscientiae:* aliaque plura. Ob. 1534.

(15) Hispanus, O. PP. Insignis Theol. qui insignes discipulos habuit Dom. Sotum, Canum, et Barth. Medinam. Ob. 1546.

(16) Franciscus, Hispanus. *De Restit. et Contract.* accurate scripsit. Ob. 1546. Fuerunt et alii duo Medinae: Michael, qui Tridentino interfuit; et Bartholomaeus, de quo mox.

(17) Barthol., Placentinus, O. PP. Edidit, an. circ. 1550, *Auream Armillam.*

(18) Alphonsus, Hispanus, Ord. S. Francisci. Ob. 1558.

(19) Segobiensis, O. PP.; S. Alphonso (VII, 68) *doctissimus.* Multa edidit, sed in primis *De Iustitia et Iure,* multa iuris civilis peritia. Ob. 1560.

(20) Cordubensis, O. PP. *De Iustitia et Iure.* Ob. 1563.

(21) Melchior Canus, Hispanus, O. PP. Doctissimus; quem Muratorius appellat *Tertullianum Theologorum.* Ob. 1566.

(22) Martinus Azpilcueta. A patria *Navarrus,* Can. Regul. O. S. August. Vir, Benedicto XIV, *Sacrorum Canonum* (quos Romae docuit), *doctrina excellens. Manuale Confessariorum* et *Variorum casuum* Lib. IV. Ob. 1586. Est et alius Navarra (seu Navarretus) Petrus, hispanus, O. PP. Scripsit *De Restitut.* Ob. 1590.

(23) Emmanuel, Lusitanus, S. I. *Aphorismi confessariorum.* Ob. 1596.

(24) Franciscus, Hispanus, S. I. Vir scientia insignis, adeo ut velut in proverbio fuerit – *Toletus docet.* – *Instructio Sacerdotum* a S. Francisco Salesio commendata. Ob. 1596.

(25) Ludovicus, Lusitanus, S. I. Iurisconsultissimus, *De Iustitia et Iure* latissime scripsit. Ob. 1600.

(26) Gregorius, Hispanus, S. I. Ob. 1603.

(27) Bartholomaeus, Anglus, Cassinensis. *Clavis Regia* et *Thesaurus Conscientiae,* seu De Censuris, et poenis ecclesiasticis, sex libris late et erudite. Ob. 1602.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Bannez (28), *Vasquez* (29), *Azorius* (30), Henriquez (31), *Sanchez* (32), Salas (33), *Suaresius* (34), Rodriquez (35), Duardus (36), Filiuccius (37), Reginaldus (38), *Lessius* (39), *Layman* (40), Pontius (41), *Bonacina* (42), Koninchius (43), Palaus (44), Ildefonsus (45), Alva-

(28) Dominicus, Hispanus, O. PP. Praeclarissimus D. Tho. discipulus. Ob. 1604.

(29) Franciscus, Hispanus, S. I. Profundo ingenio et Theologorum et Soc. Iesu forte princeps. Ob. 1604.

(30) Ioannes, Hispanus, S. I. *Instit. Morales* Lib. IV. Praestat iuris civilis peritia. Ob. 1608.

(31) Henricus, Lusitanus, S. I. Magister Suaresii. Ob. 1608.

(32) Thomas, Cordubensis, S. I. Vir S. Alphonso (III, 478) *piissimus et sapientissimus*. Multa late ac dilucide, sed in primis *De Matrimonio* tam plene, accurate ac solide scripsit, ut nihil supra. Ob. 1610.

(33) Ioannes, Hispanus, S. I. Ob. 1613.

(34) Franciscus, Granatae, S. I. A Bened. XIV, *Magnus Theologus* et *Doctor eximius* appellatus. *Communis* idcirco *Doctor sui aevi* nuncupatus. Permulta latissime et eruditissime scripsit; sed in primis *De Legibus* et *De Censuris*. Opera eius aurifodinas dixerim: qui, si distinctionibus et vel ineptissimarum opinionum refutationibus pepercisset, et breviori stylo usus esset, forsitan in manibus omnium versaretur; nocturna profecto, diurnaque manu versandus. Ob. 1617. Est et alter Suarez (Ioann.) Lusitanus, Ord. S. August., qui interfuit Tridentino, et ob. 1580.

(35) Emmanuel, Lusitanus, Ord. S. Francisci. Theologus et canonista. Ob. 1619.

(36) Leonardus, O. Clericor. Regular. U. I. D. *Comment. in Bull. lectam in die coenae Domini* 1618. Ob. post an. 1620.

(37) Vincentius, Italus, S. I. Ob. 1622.

(38) Valerius, Gallus, S. I. In iure civili apprime doctus, quem S. Carolus Borrom. et S. Franciscus Salesius Clero commendarunt. S. Alph. inter classicos eum recenset.

(39) Leonardus, Belga, S. I. Multa scripsit, sed in primis *De Iust. et Iure* (opus a S. Fr. Salesio commendatum) late, solide, et ex bono et aequo, magis quam ex apicibus iuris; ab ipsis aevi sui TT. sapientissimis saepe consultus. Ob. 1623.

(40) Paulus, Germanus, S. I. *Theologia moralis*. Lib. V. *Theologus moralis nulli, aut fere nulli secundus* (Alph. Muzzarelli *De regul. opin. moral.*). Praestat ordine, perspicuitate et utriusque iuris peritia: consultus undique dum viveret a remotis locis. Ob. 1625.

(41) Basilius, Hispanus, Ord. S. August. Benedicto XIV *gravis Theologus*. Multa, sed in primis *De Matrimonio,* scripsit late et erudite: Sanchezii in eo aemulus, et non aequus plerumque obtrectator. Ob. 1629. Est alius Pontius (Ioannes) item Hispanus, Ord. S. Franc., qui ob. 1644.

(42) Martin., Mediolanensis, ex Congreg. Oblatorum SS. Ambrosii et Caroli. Disserit latius et accurate. Vir, teste Gobat, *sane prudens*. Ob. 1631.

(43) Aegidius, Belga, S. I. Lessii discipulus. Ob. 1633.

(44) Castropalaus Ferdinandus, Hispanus, S. I. Apud suos aequales maximi fuit, et magni proculdubio faciendus. Ob. 1633.

(45) Ioan. Baptista, Hispanus, O. P. Huius opus (*Comm. in* 1, 2. *D. Thomae*), in quo de Probabilismo latius et accuratius, prae ceteris, disserit, editum fuit ex formali praecepto Capituli Generalis sui Ordinis anno 1644. Ob. 1639.

rez (46), *Silvius* (47), Dicastillus (48), Thesaurus (49), Aversa (50), Lezana (51), Perez (52), et omnium antea, uno Angelico excepto, et postea Moralistarum maximus, Ioannes Cardinalis De Lugo (53).

6. Subit tertia aetas a medio circiter saec. XVII, usque ad S. Alph. M. De Ligorio: haec multos quidem et insignes TT. nacta est, inter quos primum locum obtinent *Diana* (54), Terillus (55), *Contensonius (56), Tamburinus (57), Gobat (58), Albitius (59), *Cabassutius (60), Abelly (61), Sporer (62), *Genettus (63). Saeculo autem XVIII Viva (64), Elbel (65), *Roncaglia* (66), *La*

(46) Didacus, Hispanus, O. PP. Ob. 1640.

(47) Franc. De Boix, Gallus, Canonicus, fidus intepres D. Thomae: Ben. XIV *Magni nominis Theologus* (Epist. *Declarasti nobis*), et S. Alphonso *doctissimus* et *sapientissimus* (S. Alph. II, 55, VI, 604). Ob. 1649.

(48) Ioannes, Neapolitanus, S. I. Pius et doctus. Ob. 1653.

(49) Carolus, S. I. *De poenis Ecclesiasticis.* Cum adnotationibus Ubaldi Giraldi. Ob. post an. 1653.

(50) Raphael, Neapolitan., Cleric. Regularis. Ob. 1657.

(51) Ioann. Bapt., Hispanus, Carmelita. Magni eum fecerunt Urb. VIII, Innoc. X et Alex. VII. Ob. 1659.

(52) Antonius, Hispanus, S. I. *Doctor mirabilis* olim dictus. Opus edidit *De Sancto Matrimonii Sacramento*, omnino legendum. Ob. 1659.

(53) Hispalensis, S. I. Vir acutissimo ingenio; et Theologorum Moralistarum, post D. Thomam, facile princeps (S. Alph. III, 552). *De Iustitia et Iure* latissime duobus libris, et fere semper ineluctabiliter disserit; sed nonnunquam, absit verbo invidia, ex apicibus iuris: ut de eo dixerim quod de Fabro I. C. dixit Gravina (*de ortu et progr. Iur. Civ.*): *Meliora sunt quae sunt minus acuta.* Ob. 1660. Frater eius Franciscus scripsit *De Sacramentis,* et ante eum decessit.

(54) Antonius, Siculus, Cleric. Regul. Theatin. Auctor perdoctus, quem a laxitatis nota vindicavit Fr. Ant. Zacharia. Sed revera nimis, nec raro plus aequo, benignus (S. Alph., VI, 257). Ob. 1663.

(55) Antonius, Anglus, S. I. Vir eruditissimus; et alter, post Barth. Medina, Probabilismi antesignanus. Ob. 1668.

(56) Vincentius, Gallus, O. PP. Rigidissimus, et Probabilismo ac Probabilistis infensissimus. Ob. 1674.

(57) Thomas, Siculus, S. I. Scripsit nimis indulgenter, sed ex aliorum sententiis magis quam suis. Ob. 1675.

(58) Gregorius, Germanus, S. I. Eruditus et satis benignus. Ob. 1679.

(59) Franciscus, Italus, *De Inconstantia in fide,* Amstelodami 1683; functus est Officio Adsessoris in S. U. Rom. Inquisitione. Ob. 1684.

(60) Ioannes, Gallus, Congreg. Oratorii. Rigidus: Canonista perdoctus. Ob. 1685.

(61) Ludovicus, Gallus, Episcopus Ruthenensis. Ob. 1691.

(62) Patritius, Passaviensis, Ordinis S. Franc. Gravis et cordatus. S. Alphonso aequus, sed interdum *plus aequo benignus* (S. Alph. III, 334). Ob. 1700.

(63) Franciscus, Gallus, Episc. Vasionensis. Rigidissimus. Ob. 1702.

(64) Dominicus, Italus, S. I. *Theses damnatas* ab Alex. VII, Innoc. XI et Alex. VIII explanavit solide ac dilucide. Obiit ineunte saec. XVIII.

(65) Beniaminus, Germanus, O. M. Obiit ineunte saec. XVIII.

(66) Constantinus, Italus, Congreg. SS. Matris Dei. Cordatissimus, quem S. Alph. libenter sequitur. Opus suum edidit an. 1730.

Croix (67), *Covarruvias* (68), *Habert (69), *Salmaticenses* (70), *Natalis Alexander (71), *Pontas (72), *Antoine (73), Mazzotta (74), Milante (75), *Concina (76), Billuard (77), **Cuniliati* (78), Berti (79), **Petrocorensis* (80), Velasco (81), *Patutius (82), *Collet (83), Amort (84). Sed multis incommodis praepedita recedere visa est.

(67) Claudius, Belga, S. I. S. Alphonso (qui eo plerumque utitur) *doctus*. Praestat rerum copia. Multi eius Theologiam faciebat Ben. XIV, et multum valet. Ob. 1714.

(68) Didacus, Toletanus, primum archiepiscop. S. Dominici, post totius Castellae Praeses. Discipulus Martini Navarri in Academia Salmaticensi. Insignis I. C. et Canonista. Edidit: *Variar. Resolutionum et Practicar. Quaestionum*. Ob. a. 1586.

(69) Ludovicus, Gallus, D. Sorbonicus; rigidissimus. Ob. 1718. Est alius Habert (Isaacus) et ipse Gallus, sed Iansenistis infensus, qui ob. 1668.

(70) Carmelitae descalceati, quorum Theol. Moralis prodiit, an. 1722. *Sapientissimos* eos vocat S. Alph., eisque, quasi magistris, utitur. Disserunt late, solide, nec communi perspicuitate.

(71) Gallus, O. PP. Rigidus. Ob. 1724.

(72) Gallus. *Casus morales* ordine alphabetico. Rigidus. Ob. 1728.

(73) Gabriel, Gallus, S. I. Rigidior. Ob. 1743.

(74) Nicolaus, Neapol., S. I. Ob. 1748, quo anno eius Theol. moralis prodiit.

(75) Thom., Neapolitanus, O. PP. Edidit: *Exercitationes* etc. *in Prop. proscriptas ab Innoc. XI.* Neapoli 1739. Ob. 1749.

(76) Daniel, Italus, O. PP. Doctus, sed rigidissimus. Effinxit *Storia del Probabilismo:* opus inanibus declamationibus, et vituperationibus adeo refertum, ut ab ipsis confratribus suis reprehendi meruerit. Ob. 1756.

(77) Carolus, Belga, O. PP. Probabiliorista. Doctus et gravis. Ob. 1757.

(78) Fulgentius, Italus, O. PP. Rigidior. Ob. 1759.

(79) Laurentius, Italus, Ord. S. August. Perdoctus et gravis. Ob. 1776.

(80) *Theol. Mor. ad usum Semin. Petrocorensis.* Gallus anonymus. Rigidissimus.

(81) Achatius, Hispanus, O. PP. Ob. 1768.

(82) Vincentius, Italus, O. PP. S. Alphonso infensissimus; sed minime spernendus. Multa edidit sub nomine Eusebii Eranistae, multa sub nomine Adelphi Dositei. Ob. 1769.

(83) Petrus, Gallus, Continuator Tournely. S. Alphonso (I, 64) doctissimus. Ob. 1770.

(84) Eusebius, Germanus, Canonicus Regularis Pollingae. *Vir doctrina undique conspicuus* (S. Alph. I, 69). Egregius Probabilismi defensor. Is omnium primus innuit, opinionem libertati faventem sequi posse, dummodo aequali, ac sua contraria, probabilitate polleat. Ob. 1775. Sed satis huc. Etenim omnes recensere, qui haud communem in Theol. Moralis scientia laudem sibi comparaverunt, prope infinita res foret. Nihilominus praeterire non possum nomina eorum qui hoc saec. XIX Moralem Theol. suis studiis illustrarunt. Tum ex Italis, Galani, Panzuti, Scavini, Porpora, Grassi, Frassinetti, De Varceno, Pianori, Berardi, Del Vecchio, Ghilardi, Costantini, Bucceroni; tum ex exteris, Bouvier, Gousset, Berman, Albrand, Martinet, Sala, Lehmkuhl, Allegre, Gury, quem consultiss. adnotationibus locupletavit P. A. Ballerini (S. I.) praeclara eruditione, et acuto ingenio, nulliusque merito addictus iurare in verba magistri. Porro nullum ego Iuris seu Canonici seu Civilis peritum recensui, ne ex his quidem quibus utor: scilicet *Nostri* tantum recensendi erant. Nihilominus silentio praeterire

Nam plerique eam tractandam susceperunt pingui et invita minerva; ex quibus alii omnia susque deque vertere, alii, et plurimi sunt, nullo delectu veterum sententias excribunt: qui cum iuribus, rationibus, auctoritate non valeant, imperitos numero et mole fatigant: alii, nec infimae notae, magistri vel prurientes auribus, vel alligantes onera gravia et importabilia.

7. Sed iam ad aetatem nostram pervenimus. Eloquar? Sensim sine sensu prope consenescimus. Nam (paucis exceptis qui, post S. Alphonsum, pulchram ei operam navarunt et in dies navant) quasi viribus deficientes, compendiariis lucubrationibus contenti sumus; et ea quae veteres TT. longe lateque versarunt, attingimus vix summis digitis et praesertim ea quae ad iustitiam pertinent (85). Aliud huius aetatis incommodum esse videtur, quod, indulgentiores facti, quasi assentarii humanae imbecillitati videmur. Verum de Theologis hactenus. Nunc de controversiis et quaestionibus, quae supremas regulas morum attingunt, inter eos obortis, pauca. Quarum quae fuerit origo non pigeat obiter investigare.

8. In Theologia Morali, prout in scientiis ceteris, multa saepe occurrunt in iure haud satis explorata, ideoque dubia et incerta. Super his per tria et amplius saecula steterat unicuique sententia sua, multis (quoties dubium grave ac probabile ultro citroque videbatur) libertati studentibus, multis legi: sed nondum aliquis animo agitaverat suscipere ex professo patrocinium alterius adversus alteram: id primum factum est opera Antonii Cordubensis, et Bartho-

non possum Carolum Latini, olim in Reatino Semin. utriusque iuris Antecessorem Magistrumque meum desideratissimum. Eximia edidit *Elementa Iuris Civilis, Canonici, et Criminalis ad usum Semin. Reatini.* Ob. an. 1841.

(85) Post editas fere ubique novas leges, saepe saepius in multa incidimus a iure communi vel diversa, vel contraria: cumque hoc iure perpetuo et ubique usi fuerint veteres TT., nisi haec suis locis animadvertimus, multi, illis ducibus, in multis errabunt. Huic incommodo ut occurrerem, legibus, quibus nunc utimur, romanas leges (fontes universi iuris) adiunxi, et quando ab eis discrepant adnotavi. Praeterea, cum ius nostrum civile ex iure quoque Gallico hauserit multa, hoc quoque ius semper allegandum existimavi: et siquando ab eo recedit, hoc quoque adnotavi, subiungens *Contra C. G. Art...* si ab eo penitus recedit ius nostrum; - vel - V. *C. G. Art...* si ab eo aliquatenus discrepat: scilicet, ne in eo interpretando auctoritate Iurisconsultorum Gallicorum, quae apud nos plurimum valet, deciperemur. Haec autem nos latius, et forte, pro nostro instituto, plus aequo, prosequuti sumus: nempe ut parochi, praesertim rurales, ediscerent quae scitu magis necessaria sunt ad controversias magis obvias, et pene quotidianas inter oves suas dirimendas; ne ruricularum, in oppida et civitates excurrentium, fides et mores, contagione, doctrinis, insidiis pravorum hominum corrumpantur. *Si angelos judicabimus, quanto magis saecularia?*

lomaei Medinae. Itaque Cordubensis, an. 1572, pro lege decertare instituit, contendens, in dubiis huiusmodi semper partem tutiorem tenendam esse (86). Cui ex adverso stetit an. 1577 Bartholomaeus Medina, Professor Salmanticensis; is nostram agendi libertatem pro viribus tueri coepit; ratus prudenter, atque ideo sine reprehensione, agere eum, qui in his dubiis sequitur opinionem libertati faventem, dummodo vere graviterque probabilis ea sit, relicta etiam *probabiliore* pro lege (87). Inde *Tutiorismus*, et *Probabilismus; Tutioristae*, et *Probabilistae*. Haec contentio scholas in duas sectas diduxit: et utraque, regula sua freta, contempsit alteram.

9. Et hucusque, utraque stare poterat. Sed mox (quae humani ingenii natura est) multi ex utraque eos fines praetergressi sunt, quos ultra citraque veritas consistere nequit; donec auctoribus, illinc Synnichio (88), hinc Caramuele (89), ad extrema dilapsum est; illis negantibus, nos opiniones quae favent libertati sequi posse vel *probabilissimas;* his contra affirmantibus, sequi posse *vel tenuiter probabiles*. Inde *Rigorismus* et *Laxismus;* utrumque monstrum; alterum tetrum, alterum ludicrum. Laxismum damnavit Innoc. XI an. 1679, rigorismum Alexander VIII an. 1690.

10. Nec lis ideo finita est. Scilicet ex eo tempore nulli amplius incertum fuit quanti in dubiis facienda esset opinio sive probabilissima, sive tenuiter probabilis. At vero, si qua proponeretur media inter utramque (idest vere graviterque probabilis) favens li-

(86) *Quaestionar: Theol.* Lib. 2, q. 3. Is de rebus moralibus scribere coepit a. 1553. Nec bene Morinus (Lib. I, *De Poenit.*, Cap. I) asseruit per undecim priora saecula *SS. PP. in eo studio se tantum exercuisse, ut sacerdotes docerent, in casu dubio semper partem esse tutiorem eligendam.* Desideramus eorum testimonia.

(87) *Commentar.* in 1, 2, q. 19, art. 7, quod edidit iussu Seraphini Cavalli, Ordinis PP. Magistro generali (Manhart, *De ingen. indole Probabilismi*, Cap. II, § 2). Nonnulli putant Probabilismi antesignanum fuisse *Mercados*, qui opus suum edidit lingua Hisp., a. 1569. Utcumque, principium, quo Probabilismus primo initio, et aliquamdiu post, innixus est, fuit illud: *Qui probabiliter agit, prudenter agit.* Sed ab eo posteriores TT. merito recesserunt; ille enim prudenter agit qui, quantum fieri potest cavet periculum peccandi formaliter.

(88) Ioannes, Hibernus. *Saulus Exrex.* Lib. I, CC. 94, 98. Docuit in Univ. Lovaniensi. E schola Probabilismi in Tutiorismum descivit, et Dianae, Tamburino, et Caramueli refellendis enixe incubuit. Obiit, nec sine Iansenismi suspicione, a. 1650.

(89) Ioannes, Hispanus, ex Certosino Nolanus Episcopus. Is scibile pene omne didicit, *phoenix* proinde *eruditorum* aevi sui nuncupatus, et fere de omnibus scripsit; sed in primis *Theol. fundamentalem*, et *Theol. Intentionalem*, quibus Laxismi fundamenta iecit. Alexandro VII carissimus fuit. Integre vixit, et pie obiit. Alter Laxismi antesignanus fui Ioann. Sanchez, vel Sancius, in opere: *Disputationes Th.*, quod edidit an. 1624.

bertati, utrum illa teneri posset, lis remanserat sub iudice; Tutioristae grandi supercilio negabant; Probabilistae affirmabant, et satis hercule confidenter. Diu heic certatum est, nec amice (nempe decipimur specie recti). Primo initio Probabilismus discessit superior; et ab an. circiter 1610 (quando egressus est ex finibus Hispaniae), usque ad an. circiter 1650, scholis fere omnibus potitus est: praesertim ex quo Suaresius illum ad sententias coercuit probabiles probabilitate, NON FACTI, sed iuris (90). Namque ei nomen dederunt discipuli D. Thomae omnes, uno vel altero excepto (91); Scoti discipuli, Mastrio teste, qui probabilistarum sententiam vocat *communissimam, et receptissimam in omni schola* (92); PP. Soc. Iesu omnes prorsus, frustra in contrarium obnitente Praeposito eorum Generali Tyrso Gonzalez (93); quibus, exceptis Theatinis (94), TT. pene omnes suffragati sunt (95). Verum cum Saec. XVII, multis TT.

(90) Suar. in 1, 2. D. Tho. Tract. III, Disp. 12, Sect. 6. Scilicet Barth. Medina docuerat, opiniones probabiles sequi posse in *omnibus negociis*. Hoc Suaresio merito displicuit; et probabilismum ad eas sententias limitavit, in quibus *de solo licito*, vel *illicito* agitur. Quam limitationem mox amplexus fuit Bannez, O. P., 1, 2, q. 10, art. I, dub. 3, concl. 4; et exinde universa schola Probabilistarum. Ex quo liceat obiter animadvertere, PP. S. I. Probabilismi, non auctores (ceu quidam commenti sunt), sed moderatores fuisse (Cf. P. De Champs, *De haeresi Ianseniana*, Cap. 8).

(91) P. Ledesma, O. PP., *Summ.* etc. par. 2, Tr. 8, cap. 22. Ibi.: *Hanc sententiam tenent...* PRAECIPUE *discipuli D. Thomae;* et Steph. De Champs in *Quaest. facti*, Parisiis 1659, affirmat, se nullum legisse ex discipulis D. Th. negantem, fas esse sequi opinionem pro libertate minus probabilem, probabiliore reclita. Inter quos, praeter superius recensitos, honoris causa nomino, *Gravinam*, Ministrum Generalem (ob. an. 1643). *Ioann. a S. Thoma* (ob. 1644), *Villar* (ob. 1650), *Candidum* (ob. 1654), *Aravium* (ob. 1664), *Prado* (ob. 1668), *Bancel* (ob. 1685). Dixi uno, vel altero excepto, nempe Mercorio (ob. 1658), Contensonio, et Io. Bapt. Gonet, Gallo, qui scripsit circa an. 1660 (Cf. Manhart, *De ingenua indole Probabilismi*, C. II, § 2). Probabilismo Thomistae desciverunt medio circiter saec. XVII, ex quo in Capitulo Generali an. 1656, statutum fuit ad Probabiliorismum transeundum esse; nempe ad refrenandam doctrinae laxitatem, quae pridem grassari coeperat.

(92) Mastrius Barth., Italus. Ob. an. 1669. Th. magni nominis.

(93) Hispanus. Ob. 1605. Qui nullum non movit lapidem, ut in scholis Societatis traderetur Probabiliorismus. Liceat heic TT. S. I. quos recensuimus addere *Praepositum* (ob. 1634), *Franc. De Lugo* (ob. 1652). *Stoz* (ob. 1668), *Escobar* (ob. 1669).

(94) Scilicet ferunt, in Comitiis generalibus huius Ordinis an. 1598, vetitum fuisse probabilismum defendere.

(95) Cf. Croix, I, 269. Sane Rasler ap. Monschein, *De Actib. Human.* Par. III, Quae. IV, n. 598, enumerat pro hac sententia TT. 250. Terillus (qui diem suum obiit an. 1668) in opere *De Consc. probabili* (q. 25, a n. 6) ducentos, sed non omnes recte. Melius Sarasa (qui decessit an. 1667) pro ea enumerat 189; quos omnes se legisse testatur: ex quibus 159 docentes, licitum esse sequi

libertati plus aequo indulgentibus, prope in laxismum relabi videretur (docebant enim fas esse sequi opiniones libertati faventes vel tantum *probabiliter* (96); immo, quod a laxismo vix distat, etiam dubie (97) probabiles); Tutiorismus, nactus temporis opportunitatem, duce Candido Philalete, idest Andrea Blancho S. I., an. circiter 1640, resumptis viribus, insperato Probabilismum incessit: et hoc (suffragantibus deinde TT. O. PP. quibusque doctissimis) qui propter multorum intemperantiam iam multorum subierat invidiam, fere undique extruso, sub nomine *Probabiliorismi* (quod etiam nunc retinet) scholis pene universis incubuit (98), Theologis e S. I.

opinionem pro libertate probabilem, relicta etiam probabiliore pro lege (Sarasa, *Ars semper gaudendi,* Par. 2, Tract. 4, post n. 49. V. Gousset, T. II, Par. II, Tract. I, Cap. 1 et 2). Quos S. Franciscus Salesius, et S. Carolus Borromaeus, *non probarunt modo, sed Confessariis, et Clericis Seminariorum alumnis impense admodum commendarunt* (Francolin. *De Poenit. Discipl.* Lib. 3, cap. 7, § 25).

(96) Tambur. *Decal.* I, Cap. 3, § 9; Carden. *Cris.* etc. Dissert. IV, Cap. 3, n. 17; Illsung; Banholtzer; Arsdekin, etc. Et probabile visum Claudio La Croix, I, 368.

(97) Cf. Carden. in I *Cris. Disp.* 58, Cap. 3. Et re quidem vera hoc saeculo prodierunt Ioann. Sancius (qui opus suum edidit an. circiter 1620), Caramuel (ob. an. 1649), Leander (ob. 1667), Laxistarum antesignani: hisque proximus Moya (cuius *Selectae quaestiones morales* editae sunt an. 1670); et vix non proximi Diana et Tamburinus; et, plus aequo benigni, Pasqualigo (ob. 1630), Zanardus (ob. 1641), Fagundez (ob. 1645), et Gobat. Ex eo tempore Probabilismus in duas sectas abiit: et qui, Veteribus inhaerentes, opiniones pro libertate non recipiebant nisi *certe graviterque* probabiles, *Moderati;* qui fovebant vel *tantum probabiliter* probabiles, *Lati* Probabilistae dicti sunt: inde Probabilismus moderatus, et latus.

(98) Probabiliorismus mediam inter Probabilismum et Tutiorismum viam tenere se profitetur. Nam docet, licitum esse sequi opinionem minus tutam, dummodo sit probabilior: nempe quia id prudentia suggerit, et nemo peccat qui actiones suas dirigit iuxta prudentiae regulas (Billuar. *De Actib. human.* Diss. VI, Art. 3, V. *Probatur* 3°. Et Art. 4 in pr.-Theol. Cursus Completus T. XI, in fine *Append. De Probabilismo* Cap. 2, n. 24. Parisiis 1839). At, re quidem vera, Probabilioristae pene omnes, opinionem probabiliorem eam denique esse definiunt, cuius contraria *notis veritatis tam exilibus fulcitur, ut non aliter ac scrupuli contemni mereatur* (Hoch, *Doctrinae Probabilioris Theoria,* §§ 27, 31. Pragae Veteris 1771): eam, quae nititur motivis, quae omnibus passim videantur convincentia, ac sententiam oppositam improbabilem reddant (Brocard. *De Conscientia,* Quaest. II, *De Reg. Moralitatis,* § 15, Sect. 3, v. *Dico licitum est*): eam *quae excludit omnem formidinem rationabilem falsitatis, et parit certitudinem saltem relativam* (Antoin. *De Consc.* Cap. IV, Quaes. 1): *quae nullam omnino, nec modicissimam errandi formidinem relinquit* (Cunilia, *De Consc.* Cap. I, § 6, Art. 1): *quae sit moraliter* certa (Habert, T. 3, *De Consc.* C. 4). Uno verbo, quam si nefas est sequi, nefas erit sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam (Collet, *De Consc.* Cap. V, Concl. 3, Prob. 2). Et sententiam suam adstruunt iisdem principiis, quibus utuntur Tutioristae,

aliisque paucis, nihilominus in data Probabilismo fide manentibus (99).

11. Actum erat de Probabilismo, altius in dies spirantibus Tutioristis, praesertim post damnatas ab Alex. VII (an. 1665, 1666) et Innoc. XI (an. 1679) plures illorum sententias, nisi insequenti saeculo contigisset *S. Alph. Maria de Ligorio.* Is, animarum zelo succensus, primum Probabiliorismo seu Tutiorismo; eoque profligato, lato Probabilismo letale bellum indixit; saluti animarum aeque perniciosis. Itaque tuendum suscepit: *licitum esse uti opinione probabili, etiam in concursu probabilioris pro lege, semper ac illa certum et grave habeat fundamentum* (100). Et ita moderatum probabilismum, firmissimo sed enim ac solidissimo fundamento, restituit (101). Nempe ante omnia statuit illud: *Lex dubia non obligat* (102): ex quo deduxit: *In dubio melior est conditio possidentis:* ex hoc autem intulit, in dubiis, neque pro libertate semper, neque semper pro lege respondendum esse; sed oportere animadverti, utra earum in possessione sit, proque ea respondendum esse; seu libertate, seu lege (103). Et sic doctrina haec omnium forte antiquis-

iisdem Scripturarum et PP. testimoniis. Hac re a Tutioristis vix distant, aut ne vix quidem. At profecto nec Probabilioristae nec Tutioristae confundendi sunt cum Rigoristis (quos nonnulli Tutioristas rigidos vocant). Ceterum Tutiorismi et Tutioristarum vocabulis Nostri raro admodum utuntur; sed Probabilistis Antiprobabilistas, seu Probabilioristas opponunt.

(99) Scilicet digitis numerari possunt qui descivere a Probabilismo: nempe Comitolus (ob. an. 1626), Elizalde (ob. 1698), Taberna (ob. 1698), Camargo, Doctor Salmant. (ob. 1702), Antoine (ob. 1743), Muniessa, qui scripsit an. 1795; et nescio quis alius.

(100) Dissert. *Pro usu moderato opinionis probabilis.* (Neapoli 1749 et iterum 1755) § 3. In priori Dissert. S. Alph. usus fuerat eo principio: *Qui probabiliter agit,* etc. Sed mox illud repudiavit. Et suam thesim, *si pro libertate possumus probabiliorem sequi, possumus et minus probabilem* (§ 34), evincit ex natura tum legis, tum probabilitatis. LEGIS, *quia ex D. Tho., lex non potest dici satis intimata per opinionem probabiliorem* (§ 38), sed scientia eius est necessaria; ac proinde *quamdiu non adest scientia legis, lex vel non adest, vel non obligat* (§ 31). PROBABILITATIS, *quia opinio, etiam probabilior, non removet prudentem formidinem oppositae* (cit. § 31), nec *potest dici vera, alias opinio esset veritas, quod repugnat;* adeoque, *etsi appareat verosimilius vera, apparet etiam verosimiliter falsa* (§ 17). *Et cum veritas verosimiliter stet pro altera parte,* LEX EST DUBIA (§ 35), *et lex in dubio* NON OBLIGAT (§ 34).

(101) V. Dissert. *De usu,* etc., an. 1755, et *Systema morale,* insertum in *Theol. Mor.* Edit. 1762, 1763.

(102) S. Alph. I, 26. Et hoc vocat *principiorum principalissimum* (l. c. Cf. *Vindic.* T. I, p. 14, Edit. 2, Parisiis 1874).

(103) S. Alph. cit. nn. 26, 27. H. A., I., 14 (Modoetiae 1832); *Confessore Diretto,* Cap. I, § 11. Verum putandum non est veteres TT. has regulas ignorasse. Nam illud *lex dubia non obligat* profitentur vix non disertis

sima (104), postliminio tandem aliquando reversa est. Et licet S. Doctor in suo Morali systemate moderatum probabilismum (quem postea, seipsum forte satius explicando (105), ut latum probabilismum coerceret (106), *Aequiprobabilismum* appellavit) contra Probabilioristas tuendum susceperit, in tota sua Theologia Morali hac regula perpetuo usum fuisse, nemo profecto qui eum legerit inficias iverit (107).

12. En *Theologiae Moralis* origo, incrementa, vices. Cuius liceat nunc tum necessitatem, tum praestantiam paucis animadvertere. Et necessitatem quidem eius qui non sentit, seipsum fugit. Nam cum ceterae scientiae opportunae sint singulae rebus fere singulis, haec res plurimas, quin omnes, continet; nullam hominum neque conditionem, neque aetatem patitur esse expertem sui: nec aqua, nec igni, ut aiunt, pluribus in rebus utimur, quam Morali Theologia.

verbis Antissiodorensis (ob. 1223) *in* IV *Sentent.* Lib. I, Cap. 5, q. 3; Alensis (ob. 1245) *Summa,* etc. Par. I, Quae. 68, Num. 1, Art. 11; Nyder, qui floruit an. 1430, *Consolatorium* etc. Par. 3, Cap. 13; Henricus De Gant. *Summa,* etc. Vol. I, Art. 16, q. 6. Parisiis 1520. Illud autem: *In dubio melior est conditio possidentis,* inter Probabilistas Saec. XVI communissimum fuit (Cf. Croix I, 502; S. Alph. I, 53. Edit. 1762). Illud autem: *Qui probabiliter agit,* etc. multi deduxerant ex primo illo principio, multi ex altero, plerique vero ex utroque (Cf. S. Alph. I, 55, V. *Nec valet,* et Bolgeni, *Il possesso,* § 113).

(104) Conf. Bolgeni, *Il possesso,* § 275, etc.

(105) S. Alphonsus sententiam suam pedetentim explicuit. I. Primo tempore, ab an. 1749, ad an. 1755, *minus probabilem* pro libertate tuendam suscepit. II. Postea ab an. 1755, ad an. 1762, hac praetermissa, probabiliorem, vel saltem *aeque probabilem* defendere coepit (*Theol. Mor.* Lib. I. a n. 44). Demum III. repudiata *minus probabili,* probabiliorem, vel saltem aeque probabilem ab an. 1762 propugnavit (Vindic. Ligor. p. 46. Romae 1873). Et exinde coepit *aequiprobabilismum* palam profiteri, eumque *systema suum* appellare. *Non admittimus minus probabilem, sed dumtaxat aeque probabilem* (Opusc. edit. post an. 1765, n. 22).

(106) Praestat ipsum S. Doctorem audire: « *Perchè molti probabilisti* INDISTINTAMENTE *diceano, potersi seguire la meno probabile quando vi è qualche appoggio di ragione o di autorità, perciò ho voluto* DISTINGUERE *col dire, che non può seguirsi l'opinione men tuta, quando è molta e certa la preponderanza per la più tuta* » (*Apolog. cont. il P. Patuzzi* an. 1765). Et ita a Confessariis sui Instituti teneri se iussisse testatur, *perchè non abbraccino il vero lassismo* (Lett. al P. Blasucci 25 Maggio 1767). Moderatum autem Probabilismum, eiusque sectatores nunquam impugnavit. « *Ho scritto, non contro gli AA. di dottrina soda, ma contro gli AA. troppo benigni, per non vedere la morale cristiana allargata dalla smodata libertà di opinare* ». (*Dichiar. del Sistema* etc. n. 50. Napoli 1874).

(107) Cf. S. Alph. *Theol. Mor.* Lib. I, 29, 33, 38, 39, 99; Lib. III, 483, 563, 699, 711, 902, 1009, 1036; Lib. IV, 150, 154, 174; Lib. VI, 282, 405, 473, 600, 901, 905, 954, 1133, etc.

13. De praestantia autem eius quid loquar? Scientia nostra ad animarum regimen pertinet: est autem ars artium, regimen animarum. Quod vel ipsi Ethnici sapientes professi sunt. Quorum sententia fuit, vitae magistram esse Philosophiam; universae autem Philosophiae rationem contineri scientia morum. Eleganter id expressum fuit a Possidonio, et a Sexto Cheroneo; quorum alter Philosophiam *animali* comparabat; scilicet sanguini et carni physicam, ossibus et nervis logicam, animae ethicam; alter *ovo;* cuius testa (aiebat) refert logicam, albumen physicam, vitellus ethicam. Quapropter Aristotiles ethicam antonomastice Philosophiam vocabat: quod nomen ethicae soli convenire Tullius quoque existimavit. Eique soli propterea studendum esse plerique ex paganis sapientibus duxerunt; eique soli ex tota philosophia revera studuerunt Romani illi, qui quas gentes non amplius tenent imperio, eas adhuc legibus tenent, semperque tenebunt. Porro si Pagani tanti Ethicen faciebant, quanti a nobis facienda erit Theologia Moralis, quae tantum distat ab illa, quantum distat Ortus ab Occidente? De qua si ego gracilem hanc summulam, unaque litura delendam (quam subsecivis horis, integra adhuc aetate, mihi interpolaveram) edere ausus sum, ignoscant qui in rerum moralium cognitione versantur: invitus edidi: et utinam de inopia mea intulerim in gazophylacium Domini, cum illa paupercula (Marc., 12-41), saltem dimidium quadrantis!

§ 2° DE FONTIBUS THEOL. MORALIS.

14. Theologia Moralis inquirit quid liciti, quid illiciti sit in actionibus humanis; ideo in his dispiciendis et iudicandis versatur tota. Uti autem possit de his iudicari, primum oportet eas in seipsis dispicere; deinde metiri singulas ex obligationibus quibus quisque est obstrictus, seu qua homo est, seu qua Christianus. Quocirca huius Summulae tres erunt partes: prima versatur circa actus humanos in genere: altera obligationes ingreditur, quae omnium hominum communes sunt: tertia prosequitur eas obligationes, quae sunt Christianorum propriae.

In his autem diiudicandis utimur in primis revelatione: seu potius iure divino, tum iure canonico et civili; demum quaecumque ex recta ratione deprompsit sapientia Theologorum nobis adscivimus pro re nostra.

15. Primum iure divino. Hoc diducitur in vetus et novum. *Vetus* tripartitum erat: constitit enim ex praeceptis caeremonialibus, iudicialibus, et moralibus. Caeremonialia consummata sunt Christi, quem

figurabant, adventu et passione; iudicialia, Hebraeorum republica eversa, exciderunt. Moralia supersunt; sunt enim ipsa iuris naturalis praecepta, quibus abrogare, derogare, subrogare nefas est (1). Ius *novum* manet integrum, manebitque. Verum admonendi sumus, non omnia quae in novo Testamento continentur ad ius pertinere, licet expressa verbis imperativis; etenim multa magis consilii sunt, quam praecepti. Quaenam vero in praecepto sint, quaenam in consilio, hoc petendum est ex Ecclesiae sensu, et communi interpretatione Theologorum.

16. Deinde utimur iure seu canonico seu civili. Canonico, idest novo, uti vocant, et novissimo, quo tota utitur Ecclesia, exceptis Graecis, seu Orientalibus, qui, in his quae ad disciplinam pertinent, proprio iure utuntur. Civili, nempe eo, quod penes nos viget; et, ad illud explicandum, supplendumque, *Romano* (2). Porro *nulli Sacerdotum licet Canones ignorare* (3); quid autem Canonista valet sine iure civili? Omnino nihil (4); huic igitur iuri nullatenus operam dare, et Theologum Moralem se polliceri, desipere est. Ne quis igitur nobis vitio vertat si erubescimus sine lege loqui; et ea quae magis Canonistarum esse videntur, latius interdum prosequimur.

17. Postremo nobis adscivimus quae ex naturali iure hausit sapientia Moralistarum. Quorum opiniones, nedum communissimas, sed et communes vix non semper secuti sumus (5); ceteras vero pro cuiusque rationum momentis. Nec quibuscumque TT. utimur, sed quibusque probatissimis; et in primis *S. Bonaventura, S. An-*

(1) V. D. Tho. 1, 2, 103, 3; Quodlib. 2, Art. 8. Et ea sunt quae decalogo continentur; nam quae extra eum sunt, cessant, in his quoque quae vetari videntur quasi aliena ab honestate naturali, puta (V. *Levit.* XVIII) matrimonia inter consobrinos, cum amita, vel matertera (V. Trident. XXV, *De matrim.* Can. 3; Caiet. in 2, 2, 154, 9).

(2) Quanti ius Romanum faciendum sit licet intelligere, nedum ex omnium cultarum gentium ad haec usque tempora ducto consensu, sed ex ipsa Romanorum Pontificum observantia. Hi Romanas leges *venerandas* appellant (C. 1, Cau. 30, 3), nec aspernari posse sine delicto (Gelas. PP. I.), et ne latum quidem unguem ab eis recedendum, paucis exceptis (C. 1, *De nov. oper.*; C. 12, *De Arbitr.*; C. 28, *De Priv.*). Quid quod vel ipse Apostolus ad hoc ius interdum provocare videtur? (*Hebr.* 9, 17; *Galat.* IV, 1, 7). Hodie huic iuri pene ubique abrogatum est.

(3) C. 4, Dist. 38.

(4) Zoes. Iur. Can. Prooem. n. 5; Fagnan. in C. *Super Specula, Ne Cler. vel Mon.* Inde illud: *Legista sine Canonibus parum valet, Canonista sine legibus nihil.*

(5) V. Croix I, 469. Sententiis communissimis contradicere periculosum est, non tamen inauditum (V. S. Alph. VI, 257, 427). Communes *non ita facile parvipendendas* esse docet Ben. XIV. C. *Redditae Nobis*, § 8 (Bullar. To. I, n. 113).

tonino, Suaresio, Soto, Azorio, Cano, Silvio, Caietano, Bannez, Navarro, Paludano, Toleto, Silvestro, Lessio, Sanchez, Angelo, Vasquez, Armilla, Valentia, Laymanno, Molina, De Lugo, Palao, Bonacina, Sa, Pontio, Cabassutio, Continuatore Tournely (Collet), *Roncaglia, Salmanticensibus, Petrocorensi, Albelly, Cardenas, Coninchio, La Croix; quorum scientia quanta sit* UNDIQUE PERFECTA EST (6). Ex quibus (quia nobis pro instituto nostro satis erit summo digito, et quasi per indicem ea attingere, quae magis necessaria et obvia sunt) diligentior scientia petenda erit. Sed in primis, iuxta Doctorem Angelicum, qui *rigat montes de superioribus suis*, S. Alphonsi (quem hodie inter Ecclesiae Doctores laetantes reveremur) vestigiis erit inhaerendum, quia in eo et sanctitas multa (7), et doctrina multa (8), et usus rerum permultus; sed praesertim (quod singulare est) quia ex ipsius S. Sedis Oraculo accepimus, opiniones *quas in sua Theol. Morali profitetur S. Alphonsus* (quas videlicet non reformavit) *tuto sequi ac profiteri posse* (9). Heic igitur sistere

(6) S. Alph. I, 70 in fin.

(7) Cuius scripta proinde decurri possunt *inoffenso prorsus pede* (Gregor. XVI in Bull. Canoniz. § 7). *Anima viri Sancti enunciat aliquando vera, quam septem circumspectores sedentes in excelso* (*Eccl.* 37, 18).

(8) Immo plurima; qua *inter implexas Theologorum sive laxiores, sive rigidiores sententias, tutam stravit viam, per quam Christifidelium animarum Moderatores tuto incedere possent* (S. R. C. 11 Mart. 1871, probante Pio IX, Const. 7 Iul. 1871).

(9) S. Poenit. 5 Iulii 1831, probante Greg. XVI. *Quin tamen reprehendendi censeantur, qui sequuntur opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas* (Ibid.): immo et quas ipsimet, ex propria scientia, probabiles iudicaverint (*Vindiciae Ligorianae*, Romae 1873, App. III, § 2, IV). Porro opiniones S. Doctoris, quas tuto profiteri licet, heic accipere debemus, regulariter, libertati faventes; nam quis quaerat, utrum tuto sequi possint quae favent legi? Nec omnes prorsus, sed quae nulli, postea editae vel evulgatae, S. Sedis Const. aut declarationi, vel SS. Urbis Congregat. decretis, quae vim legis habeant; nulli nec legi civili (alias iustae, postea latae), vel consuetudini legitime invectae contrariae sint (*Cit. Vindic.* cit. § IV). At vero non eas tantum opiniones S. Alphonsum profiteri tenendum est, quibus adhaeret expresse, sed et illas quas ipse *veriores*, aut *probabiliores*, aut *communes* vocat (*Vind. Ligor.* App. III, § 3, n. 8); immo et eas quas solas (idest nulla ex adverso opinione relata) vocat *probabiles*, si eis nihil opponat (*Vind.* n. 5).

Ad haec, S. Doctor saepius docuit, unicuique licitum esse, sequi eas TT. opiniones, quae sibi probabiles videntur, licet oppositae videantur probabiliores (Lib. VI, 604): et reprehendit tum Confessarios qui cogunt poenitentes sententias deserere, quae *non sint omnino improbabiles* (Lib. III, 669); tum alios *qui de facili laxitatis notam inurunt his quae aperte improbabiles non videntur* (Lib. IV, 52). Itaque dispicere iuverit quaenam sententiae S. Doctori videantur *omnino* improbabiles, ut ab eis cavere possimus. Et intererit, utrum, post recitatam alicuius sententiam, ipse suum

iuverit, hunc nocturna diurnaque versare manu; et ille se multum profuturum sciat, cui S. Alphonsus valde placebit.

Age nunc; quum Th. Moralis in actionibus humanis diiudicandis versetur tota, ante omnia inspicere oportet quae sit actionum huiusmodi suapte natura, vis et ratio; tum singulas componere ad eas obligationes sive quae sunt communes omnium hominum, sive quae Christianorum propriae sunt. Quamobrem huius Summulae tres erunt partes: prima regulas generales continet de actionibus, ut ex his de singulis iudicium ferri possit, quam idcirco *Prolegomena* voco: altera obligationes ingreditur quae omnes homines tenent: tertia eas prosequitur quae Christianos dumtaxat obstringunt.

de illa iudicium proferat, an iudicium alterius, an nullum. I. Si *suum,* improbabiles dicendae non sunt nedum illae, quas dicit *non improbabiles,* has enim habet *ut satis probabiles* (*Vind.* App. III, § 2, n. 3. V. S. Alph. III, 1012; V. 265, q. 1, 585, d. 2); sed nec illae, quas *non audet improbabiles dicere,* vel aliis *se remittit, an sint satis probabiles:* nam videtur eas alieno iudicio relinquere (*Vindic.* n. 3). Ceterum in has regulariter eundum est pede claudo: immo nullatenus est eundum: eoque minus in eas, quas *non audet probabiles dicere.* II. Si *aliorum* tantum iudicium profert, v. c., *Salmantic. hanc opinionem satis probabilem putant,* videtur cum eis sentire (Ex Lib. I, 70, § 85, Edit. 1762; Lib. V, 52; Lib. VII, 87, iunct. QQ. RR. I, 93). Sin demum III. *nullum,* neque suum, neque alterius iudicium exprimit, ita statuendum videtur: 1° Si unam sententiam *probabiliorem,* aut *veriorem* vocat, de contraria nihil dicens, ipsemet nos docet, hanc nulla solida probabilitate sibi pollere (Lib. V, 76). 2° Si unam tantum sententiam refert, eique, nihil prorsus opponit, et illa a gravibus Auctoribus traditur, tenendum est eam iudicare satis probabilem. Sed heic admonendi sunt qui S. Doctorem legunt, ne putent ipsum tenere eas *Busembai* sententias quibus non contradicit: quippe illum suo Operi inseruit, non ut doctrinas, sed ut methodum eius sequeretur (*Praefat. ad Theol.* Edit. 1762-1763); et *methodum tantum* (Dissert. an. 1774, cui titulus: *Dichiarazione del sistema che tiene l'Autore*). Et re quidem vera illas quandoque alias reiicit (V. Libr. I, 60, Edit. 1762; – VI, 55).

PARS PRIMA

PROLEGOMENA

DIVISIO HUIUS PRIMAE PARTIS.

18. Theologia Moralis in actibus humanis iudicandis versatur tota; ideo ante omnia nosse oportet qui sint capaces faciendi actus huiusmodi: et hos prosequar Tractatu, quem I. *De Personis* inscribere liceat. Porro actiones humanas diiudicamus ratiocinando: exempli instar sint illa Iscariotae verba (Matth. 27, 4): *peccavi tradens sanguinem iustum.* His verbis haec continetur ratiocinatio: *Ego tradidi sanguinem iustum: Qui tradit sanguinem iustum peccat*: *Ergo peccavi* (1). Hac autem ratiocinatione tria iudicia continentur, quorum primum *actionem* exhibet, alterum *legem*, tertium de actione cum lege comparata iudicium; quod iudicium cum de propria (ut hic) actione fertur, *Conscientiae* nomen subit. Ex quo licet intelligere, nullum de quavis actione nostra nos inire iudicium posse, nisi antea noverimus quid sit actus humanus, quid lex, quid conscientia. Quamobrem, post Tractatum De Personis, sequuntur II. Tract. *De Actibus humanis,* III. *De Legibus*, IV. *De Conscientia.*

19. Verum Theologo satis non est de actione humana iudicasse, utrum licita sit an illicita, sed, si est illicita (de licitis ulterius non querimus), inquirere praeterea debet, quatenus quis ea peccaverit, quam multipliciter, quam varie; ideo alio Tractatu opus erit, quem V. *De Peccatis* appellant. Demum explorare necesse est, si forte aliqua poena vel censura in peccantem constituta sit, utrum et quorsum eum teneat: quapropter VI. *De Poenis et Censuris* erit agendum. Hisce adiicimus Tract. VII. *De Irregularitatibus,* quippe multae ex is poenis proxime accedunt. Et haec sint Theologiae Moralis *Prolegomena.*

(1) Item consultum illud Principum sacerdotum: — *Non licet eos* (30 argenteos) *mittere in corbonam; quia pretium sanguinis est* (Ibid. v. 7). — Haec pecunia est pretium sanguinis. Sed non licet mittere in corbonam pretium sanguinis. Ergo etc. Actionem primo loco ponimus, ordine praepostero, quia actiones sunt *obiectum* Theol. Moralis *materiale*, quod vocant. Iudices quoque externi fori factum primo, seu *speciem*; dein legem versant.

TRACTATUS I.

DE PERSONIS

PRAENOTANDA.

20. Cum Theologia Moralis circa actiones humanas diiudicandas versetur, ante omnia scire oportet quae sint personae capaces actionum huiusmodi. Porro capacitatem cum primis accipimus naturalem, et ante omnia *mentis consilium;* ut ecce cum aliquis dicitur capax culpae, capax doli, et iniuriae faciendae. Et de ea capacitate dispiciemus, quae necessaria est ad peccandum, quae ad delinquendum, quae ad actus, maxime inter vivos vel mortis causa, ineundos; alias, de ea capacitate tractandum erit quae est necessaria, ut quis suis actionibus Deo, reipublicae, singulis demum hominibus obstringi atque obligari possit.

21. Verum ad actus, seu inter vivos seu mortis causa, ineundos, plerumque non sufficit sola capacitas naturalis, sed aliis praeterea adminiculis opus est, iure civili aut canonico requisitis: neque enim cuivis datum est, v. c., testamentum facere, contractus inire, publicis muneribus in civitate defungi; nec cuilibet in Ecclesia licet ordines suscipere, consequi ecclesiastica beneficia, solemnia vota nuncupare; sed illis tantum qui in his adminiculis, ex quibus consurgit *status personarum*, praediti sunt. De quo I. C. separatim agunt, nos pro re nostra. Amplius, cum Th. Mor. actiones humanas dispiciat qua ex eis vel oritur obligatio aliqua vel impletur; cumque omnis unius obligatio oriatur ex iure alterius, mature scire oportet quid sit ius, quid obligatio.

22. Itaque *ius* dicitur pluribus modis: sed in primis accipitur, uti Recentiores loquuntur, *obiective*, et *subiective*. *Obiective* ius appellatur plurium eiusdem speciei legum complexus; ut puta *ius* divinum, *ius* humanum etc., de quo serius. *Subiective* ius dicitur *potestas alicuius rei faciendae, vel ab alio exigendae*, de quo hic. Hoc ius nulli, nisi personis, competit: et vel statui personae cohaeret (IURA *personarum*), utputa civi, patri, marito: vel REI alicuius causa nobis constitutum est. Ex *illo* status personae consistit, et huic

adhaeret *ut lepra cuti*, eamque sequitur ubique terrarum (1). Hoc iterum vel *ad rem*, vel *in re*. Ius ad rem *(personale)* dicitur quod alium nobis obstringit ad aliquid dandum, vel faciendum, vel non faciendum; ius in re *(reale)* quod nobis obnoxiam facit rem aliquam; velut servitus, hypotheca: illo igitur experimur adversus eum tantum, qui nobis obstrictus est; hoc adversus quemcumque rei possessorem (2). Omnia aut natura competunt, ut ius emendi et vendendi; aut lege (seu civili, seu canonica), ut iura adoptionis, iura beneficiaria, restitutiones in integrum; aut hominis voluntate, ut *usus, habitatio*.

23. Obligatio definitur: *Iuris vinculum, quo necessitate adstringimur ad aliquid dandum, vel faciendum, vel non faciendum* (3). *Vinculum*, quoniam is qui nobis obligatus est, quodam quasi vinculo obstrictus intelligitur, ut evadere nequeat, nisi hoc vinculo soluto (4). *Iuris*, scilicet omnis obligatio aut iuri (saltem naturali) congruit, aut a iure aliena est; nihil est tertium. Quae sunt a iure aliena, impossibilium loco habentur (5); *impossibilium nulla est obligatio*. Et vel solo iure naturali sustinetur, vel sola aequitate (non subtilitate, ut olim) iuris civilis (seu canonici), vel utroque (6): inde diducitur in naturalem, civilem, et mixtam. Mixta tenet in foro interno (de hoc enim nobis est inquirendum) semper; civilis, nisi falsa praesumptione facti sit innixa, et dum ne sit iniusta; naturalis, nixi lex eam sustulerit nominatim (7).

(1) Voet. Lib. I, Par. II, n. 7; Lugo *De Iustit.* 24, 8. Ibique Vasquez: et hodie pluribus in locis definiti iuris est (C. G. Art. 3; Austr. § 3; Regolam. Gregor. § 5; C. It. a. 6). Itaque, exempli causa, qua aetate quis in sua patria *maior* efficitur, ea aetate ubique maior habetur: et suspensus a suo Ordinario. v. c., ab altaris ministerio, nec extra suam dioecesim permittitur celebrare: quae alibi latius explicabimus.

(2) LL. 3,24 *De Action, et Oblig.*; C. 8 *De Concess. praeb.* in 6.° Quamobrem si, v. c., mutuam Seio pecuniam dederis, isque, cum tunc locuples esset, postea omnia sua bona vendiderit et solvendo impos factus sit, si tu nullam in bonis Seii hypothecam inscripseris, nulla tibi, regulariter, adversus emptores actio competit: si inscripseras, adversus quemcumque eorum agere poteris ut vel debitum solvat, vel rem cedat; licet illi ignorantes emerint, aut venditor fundum liberum dixerit. Sed et de hoc latius alibi.

(3) Pr. Inst. *De Obligat.*

(4) Ex L. 3 *De Act. et Oblig.*

(5) L. 15 *De Condit. Instit.*; L. 6 C. *De Pact.* V. II. Machab. 3, 12.

(6) Cf. Vinn. Inst. *De Oblig.* in pr. *Solo iure naturali*, velut obligatio restituendi rem alienam usucaptam mala fide. *Sola aequitate* civili, v. c., ne quis rem, olim suam, extorqueat ab alio bona fide usucaptam. *Utroque*, velut obligatio restituendi rem alienam nondum usucaptam, etsi bona fide possessam.

(7) L. 1 *De Const. pecu.*; LL. 2, 38 *De Condict. indeb.*; Cf. Sanch. *De Matrim.* I, VII, 14, etc. *Nisi lex* etc.; nam si lex obligationem

24. Iura, adeoque et obligationes (nam *contrariorum eadem est ratio*), quae personae cohaerent, cum persona expirant; ut puta usufructus, votum: realia transeunt ad successores, seu universales, seu singulares (8). At vero iura ad rem, quae ex lege seu canonica, seu civili statum capiunt, si eis prosequendis tempus aliquod in lege ipsa statutum sit, eo tempore elapso inutiliter, evanescunt etiam in foro conscientiae, ut puta restitutiones in integrum (9); et contraria lege amittuntur (10): sed de his alibi agendum erit.

25. Nunc videamus quid sit forum (seu forus), in quo cuique datur iura sua prosequi. Itaque forum (a ferendo) est: *Exercendarum litium* (seu potius negociorum, quae auctoritate iudicis vel superioris finiuntur) *locus* (11). Est vel civile, vel ecclesiasticum. Hoc in *externum* et *internum* diducitur: externum in quo iura, negocia, sive temporalia, sive spiritualia (seu reip. Christianae, seu singulorum), exercentur, geruntur: internum in quo negocia, iura versantur, quae conscientiae singulorum intersunt. Internum iterum vel *sacramentale*, vel *conscientiae* (12). Ad forum sacramentale pertinent peccata; ad forum conscientiae cetera omnia, quae ad salutem cuiusque spiritualem pertinent (13). Est et forum *poenitentiae:* hoc nonnullis est forum sacramentale (14), aliis conscientiae forum;

quoque naturalem sustulerit, obligatio in foro quoque interno evanescit; v. c., pactum restituendi creditos nummos aureos, vel argenteos, prout crediti fuerant (S. Poen. 21 Jan. 1873).

(8) Successores *universales* accipimus eos, qui succedunt *in universum ius defuncti* vel in quotam hereditatis partem, v. c., trientem, quadrantem; et proprio nomine vocantur haeredes: *singulares*, ad quos certum ac determinatum aliquid ab alio pervenit; ceu legatarii, donatarii, emptores, etc. Hi *causam habentes* (aventi causa) hodie dici solent. Illi autem a quibus ius in nos transit, et a quibus causam habemus, *auctores* dicuntur (Vic. V. *Auctor*). Heres succedit in omnia iura et obligationes defuncti pro portione hereditaria; et, hoc nomine, una atque eadem est persona defuncti et heredis (Ex L. 9, § 1, *De Edendo*): successor singularis in ea tantum iura et obligationes succedit quae praedio cohaerent, quod ab auctore suo in se transit.

(9) Laym. *De Pact.* XVII, 29.

(10) L. 101 *De. R. I.* Ibi: *Omnia quae iure contrahuntur, contrario iure pereunt.* Ut puta usufructus patrifam. super bonis filiorumf. constitutus.

(11) C. 10 *De V. S.* Sed et negotiationum locus dicitur forus.

(12) Cf. Vincent. De Iustis *De Dispensat. matr.* Lib. I., C. VII, n. 213.

(13) V. Sanch. M. II, 45, 2. In foro sacramentali res agitur inter praesentes, sed non est opus absolutione sacramentali: ideo valet quod in eo gestum est, licet poenitens inabsolutus discesserit (Ex Salmant. 18, 1, 33; Filiucc. X, 355; De Iust. 2, VII, 207; VIII, 112; ibique M. P. Leo in *Pra. Sacrament.*) vel confessione sacrilega functus sit (De Iustis I, 8, 111). In foro conscientiae res agitur etiam inter absentes. Porro quoties deinceps dico: *utrumque forum, in utroque foro;* regulariter internum et externum intelligo.

(14) Sanch. M. VIII, 34,29.

quod magis puto, quippe est favorabilius (15). *In foro* externo *nihil est nisi quod apparet* (16); in interno, regulariter, creditur asserenti pro se, et contra se (17); nisi aliud appareat manifeste.

26. In foro externo adversus eum, qui implendae obligationis suae moram facit, *actionibus* experimur. Est autem actio: *ius prosequendi in iudicio quod sibi debetur* (18). Actiones *exceptionibus* submoventur. Qui in iudicio actionibus experitur, *actor*, is quocum agitur, *reus*, (a re quae debetur) dici solet (19). Et quia in hoc foro nihil est nisi quod apparet, actor intentionem suam (id quod petit) probare, docere debet; et reus exceptionem, quippe excipiendo fit actor (20). Nec utcumque docere potest, sed eo probationum genere quod lex recipit (21). Verum etsi probatio deficiat, non ideo ius deficit; ac proinde, ex adverso, in foro conscientiae, nec obligatio. Forum externum iure canonico sortitur quis *ordinarie*, ratione domicilii, vel ratione rei sitae; *extraordinarie,* ratione contractus, vel ratione delicti; idest si in aliquo loco se soluturum promiserit, vel deliquerit (22).

His praemissis, personas inspicere oportet: 1° qua singulae sunt; 2° quoad familiam; 3° quoad societatem.

(15) Suar. *De Legib.* VIII, 6, 15; Silv.; Bonac.; Pal.; Salm. 18, 1, 33. Quod igitur alicui committitur *in foro poenitentiae,* v. c., dispensatio, absolutio a censuris, expediri potest extra Sacram. Poenitentiae; quamvis mandatum directum fuerit *Sacerdoti Confessario* (S. Alph., Lib. I, App. II, *De Priv.,* n. IV); praeter quam si agatur de peccatis absolvendis (Suar. *De Legib.* VIII, 6, 16; Filiucc. X, 355; Schmalz. II, 2, 2).

(16) Ex L. 77 *De C. E.;* C. 4 *De Except.;* Reiff. III, 5, 348. Et ideo in hoc foro *res tunc fieri dicuntur, cum innotescunt* (Sanch. M. I. 63, 2; Reiff. cit. n. 348; Voet. 23, 3, 1): idest, cum probatae fuerint (Bened. XIV, *De Syn.* XIII, 22, 8).

(17) D. Tho., Quodl. 1, 12. Verum acta in foro interno, in externo regulariter nihil prosunt (Cf. Suar. *De Censur.* 41, 2, 11; Duard. Lib. III, § 2, Quaes. I, n. 53; Sanch. M. VIII, D. 34; De Iustis 1, VII, 207). *Regulariter,* nam interdum tolerantur; ut ecce absolutiones a censuris, dispensationes in impedimentis matrimonium dirimentibus. Quando autem alicui conceditur, v. c., absolvere, dispensare aliquem *in foro* interno, illud IN accipere debemus PRO (Ex C. S. Pii V, *Circumspecta*); et *est fere omnium sententia* (Lugo *De Fide* 23, 64).

(18) Pr. Inst. *De Action.* Et prout iura, actiones quoque vel *in rem* sunt, vel *in personam* (*reales, personales*).

(19) Pr. Inst. *De except.* Actor *creditor,* reus *debitor* est: scilicet: lata significatione, *creditor* dicitur cui aliquid ex quavis causa debetur; *debitor* autem is a quo id debetur; idest is a quo invito aliquid exigi potest (LL. 108, 111 *De V. S.*).

(20) L. 4 C. *De Edendo.;* L. 19 *De Probat.;* L. 1 *De Exception.*

(21) V. ff. Lib. 22, Tit. III. Et X, Lib. II, Tit. XXIX. Probationes fiunt cum primis per testes, iuratos inquam, et scripturas. NN. Leges interdum solam scriptam (C. G. et It. 1341), interdum solam iuratam partis confessionem (C. G. 2275; It. 2142); interdum nullam omnino (Cit. A. 1341) probationem admittunt.

(22) C. 20 *De foro compet.*

CAPUT I.

DE PERSONIS SINGULIS.

27. Singularum personarum multiplex distinctio est, quoad corpus, quoad animum, quoad aetatem.

ART. I. *De diversitate personarum quoad corpus.*

28. Et primum liceat ab his qui latent in utero matris initium capere. Hi sunt vel inanimati, vel animati. Olim creditum est, foetum anima haud donari statim a conceptione (1): contra, penes nos, semper certum fuit ea iam praeditum esse, antequam in lucem ederetur (2): verum quo medio tempore foetus anima donaretur, non satis conveniebat. Obtinuerat sententia existimantium id fieri in maribus die 40° ex quo concepti sunt, in foeminis 80° (3): eaque etiamnum utimur in poenalibus (4). Utcumque, in civilibus, *nasciturus, quoties de commodo eius quaeritur, pro nato est* (5); dummodo et vivus (6), et, ex NN. LL., vitalis postea nascatur: nam qui mortui nascuntur nec procreati videntur (7); qui non vitales (abortivi), si non supervixerint, hodie perinde habentur quasi mortui nati fuerint (8).

(1) D. Tho. 1, 118, AA. 1, 2. Arg. *Exod.* 21, 22, ap. LXX. Et, apud veteres, Hippocrates et Galenus. Nunc obtinuit contraria sententia (cuius auctor fuisse videtur Hyeron. a Florentia, Cong. Matr. Dei, in Op. *De Baptis. abortiv.*) Zacch. *QQ. Med. Legal.* Lib. I, Tit. I, Quaest. 3, n. 12; Fredault, *Physiologia Gen.* pag. 733. V. *Kergaradec* Memoria exhibita Academiae Parisiensi an. 1861. Nec sine plausu obtinuit (S. Alph. III, 394, q. 3), vita enim corporis nostri in anima est.

(2) Ex *Luc.* 2, 41. Innoc. XI, 35. Dixi *penes nos,* nam veterum philosophorum (V. Plutarch. *De Placit. Philosoph.* Cap. XV, 26; Lisia. *Orat. De Abortu*), sed in primis Stoicorum, sententia fuit: *non in utero coniungi animam..., sed effuso iam partu, vivo infanti extrinsecus imprimi* (Tertull. *De Anim.* C. 25). Hisce adhaeserunt Rñi I. C., quibus proinde foetus, quoad in lucem ederetur, non animal, homo erat; sed *spes animantis* (L. 2 *De Mort. infer.*). *hominis* (L. 14 C. *De Fideic. libert.*); et *mulieris portio,* vel *viscerum* (L. 1, § 1, *De Inspicien. Vent.*).

(3) Ex *Levit.* 12, 4; seu potius ex Aristotil. (*Histor. Animal.* L. VII, C. 3).

(4) Elbel. *Matrim.* 470. Et tenet S. Poenitentiaria (S. Alph. III, 394 in fin.).

(5) L. 231 *De V. S.* Ideo vix concepto donari potest; et, vidua praegnante relicta, haereditas defuncti interim ad eum pertinet, qui nasci speratur.

(6) L. 129 *De V. S.* Ideo si, v. c., vidua praegnans relicta mortuum ediderit, proximiores cognati viro, non ipsa filio, haeredes erunt. At filio vivo nato, is haeres erit, quamvis *incontinenti, et in manibus obstetricis decesserit* (LL. 2, 3, C. *De Posthum.*).

(7) C. G. 725, 2; It. 724, 2; Au. 138.

(8) Duobus opus est, ut infans qui postea decessit, natus vitalis dici possit: primo, ut editus sit post diem a

29. Eorum autem qui vitales sunt, vel habentur, spectanda est forma, sexus, pubertas.

Ex forma sunt vel *homines,* vel *ostenta,* vel *monstra.* Homines qui non contra; monstra qui contra formam humani generis editi sunt; ostenta quibus membra sunt ampliata, vel diminuta. Ostenta hominibus accensentur; monstra non item (9), nisi forte caput humanum habeant (10).

Quoad sexum sunt vel mares, vel foeminae. Utrorumque eadem fere conditio est (11); et verbum masculini generis etiam foeminas continet (12). Dixi *fere*, quia in his quae prudentiae et dignitatis sunt, deterior; in his quae infirmitatis, melior est conditio foeminarum (13): inde a publicis quidem officiis remotae sunt (14); sed si deliquerint, *in iudicio* regulariter mitius coercentur (15): at si contraxerint, perinde ac viri obligantur, exceptis nuptis, de quibus propediem.

Demum, qui per aetatem liberis procreandis idonei sunt, puberes dici solent (16); nihilominus in iure foeminae a 12°, mares a 14° anno puberes, et, iure canonico, matrimoniis contrahendis pares

conceptione centesimum octogesimum (C. G. ex AA. 312, 314; It. ex AA. 160, 162; Au. ex § 138; Zach. Lib. I, Tit. 2, Quaest. 212): deinde, ut sit *perfecte natus* (L. 3 C. *De Posthum. haered. inst.;* Durant. VI, 75, 76; Zach. § 80): quae omnia in peritorum aestimatione esse oportet. In dubio, qui vivus editus fuit, vitalis natus fuisse praesumitur (C. It. 724; Toull. IV, 97; Zach. n. 2).

(9) L. 14 *De Stat. hom.;* L. 38 *De V. S.;* Rit. Rom. *De Baptiz. Parv.*

(10) Ex L. 44 *De Relig.;* Haimb. § 58; Durant. VI, 75 (c). Sed Recentiores communius putant monstra omnia esse homines, quia ex muliere nasci, nisi homo, non potest (V. Eschbach, *Revue De Legisl.* I, 167. Edit. 1847).

(11) L. 3, § 1, *De Negoc. Gest.*

(12) LL. 1, 195 *De V. S.* Nempe in plurali numero (Ex L. 122 *Eod.;* Schmalz. IV, 17, 2), ut puta cum dicimus *filios* (Cit. L. 122), *fratres* (L. 93, § *Quaesitum est, De Legat.* 3°).

(13) L. 9 *De Stat. homin.*

(14) L. 2 *De R. I.* Et a civilibus quidem, moribus (L. 1 *De Iudic.*); ab ecclesiasticis, si haec ordinem desiderant, iure divino; sin iurisdictionem tantum, certe canonico, sed probabilius etiam divino (Ex I *Corinth.* 14, 34. C. 40 *De Poenit.* – V. Suar. *De Censur.* 2, 3, 5; Salmant. 10, 1, 48; S. Alph. VII, 12).

(15) V. Latini *El. Iur. Civ.* Lib. I, T. III, § 4. Dixi *in iudicio,* nam poenas latae sententiae subeunt perinde ac mares. Praeter mares et foeminas iura et Nostri recensent hermaphroditos. *Hermaphroditos,* seu *Androgynos,* vocant qui habent aliquid utriusque sexus, vel utrumque. Hos et inter homines nasci (imperfectos inquam), Physici haud dubitant; at perfectae utriusque naturae, et inter se vicibus coeuntes, extitisse aliquando, nullo exemplo compertum est. His accensent qui in alterum sexum mutantur. Verum marem foeminam factum nullum adhuc scimus (V. Lugo *Resp. Mor.* I, 31, 3); foeminae in mares, si quas mutatas accepimus (V. A. Gell. N. A. IX, 4), mares erant, quibus sexus, qui in utero matris, ob defectum caloris prodire nequivit, serius erupit (V. Moller. *De Hermaphrod.*).

(16) C. 3 *De despons. Impub.;* Pr. Inst. *Quib. mod. tut. finit.*

esse intelliguntur (17). Dixi *per aetatem*, nam mares qui utroque testiculo carent *(spadones)*, quia verum semen emittere nequeunt, perfecte coeundo, atque ideo matrimoniis contrahendis, inidonei sunt (18).

Art. II. *De diversitate personarum quoad animum.*

30. Heic videamus de diversitate personarum quoad animum, seu potius quoad intellectum, et usum rationis. Quarum triplex genus est; nempe eorum qui usum huiusmodi vel nondum adepti sunt, vel eum amiserunt, vel quibus ad momentum, sive uti dicere solemus, *ad tempus* (1) intercipitur. Ad primum pertinent infantes. His accensentur surdi muti coecique simul a nativitate (2), quos *idiotas* vocant. Surdi ac muti (scilicet a nativitate) si instituti sint, et peccandi, et delinquendi, et contrahendi capaces habentur (3). Sin minus, quidam idiotis eos comparant (4), quidam ratione utentibus (5); *quaestio delicatior quam vulgo existimetur, obscura et difficilior* (6). Illud iam fere nemo dubitat, eos ne scire quidem posse quae pertinent ad fidem (7); eaque ignorare quae ad ius positivum perti-

(17) L. 3 C. *Quando tutor. vel curat.;* CC. 3, 6 *De Despons. impub.;* V. C. Au. 631. Haec pubertas dicitur *minus plena.* Plena, iure communi, in foem. 14, in maribus 18 anno completur (Ex L. 14 *De Alimen. legat.;* L. 40 *De Adoption.*). NN. Leges pubertatem praetereunt.

(18) Xystus V., Mpr. *Cum effraenatam.* Eoque minus *castrati,* sive *eunuchi,* quibus virilia penitus abscissa sunt (§ 9 *De Adopt.*).

(1) L. 2 *Inoff. Testam.* – *Amentia,* rationis carentiam, *furor* mentis et idearum perturbationem significat; utrumque igitur recte dixeris cum Tullio (Tuscul. III, 5) *mentis ad omnia coecitatem.* Profluit ex *laesione organi imaginativae virtutis* (D. Tho. in 3 Sent. Disp. 25, 2, ad 25).

(2) Michelor. *De surdis et mutis* C. 49, n. 39; Sanch. M. I, 8, 13; Croix VI, II, 1875; S. Alph. VI, 303.

(3) Bargut. *Sullo stato fisico, intellettuale e morale de' sordo-muti.* Cap. 5.

(4) Anchar., Angel., Flam., ap. Sanc. M. I, 8, 12. Et hac aetate nostra Carmign. (*Elem. Iur. Crim.* I, 175); Giuliani (*Diritto Penale* L. I, C. VI, § 3). Quibus praeiverant (quod me plurimum movet) *Bonetus et Sicardus,* qui surdis-mutis instituendis, perpetuam et quam praeclarissimam navarunt operam.

(5) Ant. Mat., Barzelotti, *Medic. Legal.* Vol. I, C. 5, § 221.

(6) Renaz. *Elem. Iuris Crim.* I, VIII, 5. Cf. Bargut. l. c. Is, allatis ultro citroque Doctorum sententiis, rem in medio reliquit.

(7) *Civiltà Cattolica* Ser. III, Tom. V, pag. 18: *Fides ex auditu.* Maxime quod haec a sensibus et humano intellectu remotissima sunt. Atque ita respondisse tradunt, anno 1854, quatuor S. R. E. Cardinales, viginti Episcopos, et plus quam viginti surdorum mutorumque Institutores (V. *Il sordo-muto nella Società Cristiana.* Bergamo 1877).

Contra, veteres TT. pene omnes, existimabant, eos aliquatenus suae mentis esse, et ea quae ad fidem pertinent sapere posse qualiter qualiter. Quod ex recentioribus tuetur cl. Barth.

nent (8). Utrum vero sciant quae sunt iuris naturalis? Nostri communius affirmant (9); ideo tenent eos peccare posse, et contractus inire (10). Haec sententia congruit iuri civili (11), quo *inhabilitatis* aequiparantur (12); et forte etiam canonico, quo matrimonium contrahere permittuntur (13). Coeci a nativitate, quoad negocia sua contrahenda vel distrahenda, iure nostro aequiparantur surdis et mutis (14).

31. Ad secundum genus pertinent mentecapti: et hi rursus vel amentes sunt, vel dementes. Amens, seu furiosus, dicitur is qui insanit quoad omnia: dementem dixerim eum, quem graeco vocabulo monomaniacum vocant, idest qui insanit circa unam rem tantum, vel alteram. Amens per omnia et in omnibus dormientis loco habetur; ideo, quidquid faciat, nihil agit (15); adeo ut, nec acquirere sibi per se quidquam possit (16); praeterquam in intervallis, quibus sapit (17). Demens, in foro conscientiae, aequiparatur amenti in his quae ad dementiam ipsius pertinent (18).

Roetti (*Dei Sordo-Muti dalla nascita.* Firenze 1879), quia *Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (Ioan. 1-19): *enutritos quoque in sylvis et inter lupos, qui ductum rationis sequuntur in appetitu boni et fuga mali* (D. Th. *De Verit.* Quae. XII, Art. II ad I). Quin, ulterius progressus in alio opusculo, cui titulus « *Dei Sordo-muti ciechi dalla nascita.* Torino 1888 », demonstrare nititur, hos quoque et ratiocinando apprehendere posse quae ad ius naturale, et, tactibus signis impressis, posse edoceri de his quae ad ius divinum et fidem pertinent. Utinam!

(8) Puccinotti *Elem., Iur. Crim.* l. 1, 19; Renazzi *Elem.*, etc. l. VII, 5; Carmign. *Elem.* etc. § 186. Ideo si quid admiserint quod sub censura vetitum est, censuram profecto non subeunt.

(9) Michelor. *De surdis mutis.* C. 42; Sanch. M. I, 8, 12, eoque teste, TT. et Canonistae antiquiores fere omnes (Salm. 4, 7, 12; S. Alphon. VI, 303).

(10) Azor. Par. III, Lib. VI, Cap. 14, v. *Decimo.*

(11) L. 5 *De Acquir. haered.;* C, It. 340.

(12) L. 10 C. *De Testam.;* C. Au. 275; It. 340, 786.

(13) Ex CC. 23, 25. *De sponsal.,* ibiq. Gonzal., quibus matrimoniis contrahendis capaces habentur.

(14) C. It. 340.

(15) L. 2, § 2, *De Iure Codicill.;* L. 47 *De Acquir. haered.;* C. 24 *De Spons. et Matr.* Scilicet cum ad perfectam amentiam pervenerit; nam regulariter ad eam pervenitur sensim sine sensu. In periodo autem *incubationis,* uti aiunt, *latentis,* quamdiu tanta in eo superest vis intelligendi, quanta pollent hi qui infantiam vix egressi sunt, sanis, non amentibus sunt accensendi.

(16) L. 1, § 2, *De Acquir. Possess.* Dixi *per se,* nam per tutores, vel curatores suos acquirere posse, translatitium est.

(17) § 1 *Quib. non est perm. fac. test.;* C. 14, Cau. 7, 1. Dummodo haec lucida intervalla brevia non sint.

(18) Sanch. M. I, 8, 22; Pont., M. IV, 1, 9; V. Tropl. *Delle donaz. e dei testam.* § 447. Talis erat ille, de quo Horat. (*Epist.* Lib. 2, *Epist.* 2, vv. 128, etc.); et ille qui, postquam iudicibus omnia recte et bene respondisset, iussus acta subscribere, sub-

32. Ad tertium genus pertinent ebrii, et dormientes. De ebriis expedita res est; etenim ebrietas, cum fuerit perfecta, mentem intervertit, et est quaedam suavis amentia. At si non inviti in hanc amentiam inciderint, quae ebrii contra legem admittunt, imputantur (19), si ea praeviderint. Somnus quoque intellectum intercipit, et in dormiente *ratio non habet liberum iudicium* (20); ideo nec ea quae dormiens dicit, nec ea quae facit, vitio tribuenda sunt, licet somnambulus haec faciat (21); dum ne culpa fuerit in causa (22). Sed et ea quae facit dum evigilat, etsi illa nonnihil animadvertat, vix est, aut ne vix quidem est, ut imputari possint: scilicet in his quae moraliter aestimantur *minimum pro nihilo reputatur* (23).

ART. III. *De diversitate personarum quoad ætatem.*

33. Aetatis nostrae tres praecipui sunt gradus (1): infantia, maior, et minor aetas. *Infans*, natura, dicitur, qui nondum suae mentis est; iure, qui nondum septimum (2); *maior*, quod ad civilia negocia,

scripsit his verbis: *Iesus Christus* (Chardon *Potestà tutelare,* n. 214). *Nihilominus* quidam hodierni psychiatrici (*alienisti*) dementiae et amentiae eamdem vim esse contendunt, rati numquam ex parte dumtaxat laedi organum virtutis imaginativae. Quod si verum est, amens nihil agit nec mòmentis quibus sapit. Amplius: alii, nec ignobiles nec irreligiosi, novam detexerunt monomaniae speciem, quae in voluntatem cum primis, immo, ut nonnulli ex eis putant, dumtaxat, vim exserit suam; quam, quia animi aegritudinem parit, *lipemaniam* vocant. Haec, mente quidem integra, adeo voluntatem enervat, debilitat, ut pene enecet: nam qui ea laborat non potest id quod vult nolle, aut id velle quod non vult, licet probe intelligat se rem noxiam, vel illicitam facere. Quorum primum, salvis moribus, vix; alterum, salva fide, ne vix quidem admitti posse videtur. Nolumus abduci doctrinis *variis et peregrinis.*

(19) Ant. Matt. *Proleg. De Crimin.* II, 13; Renazzi, 1, V, 12.

(20) D. Tho. 2, 2, 154, 5. In somno phantasia praevalet, aut saltem *non praevalet intellectus; unde homo sequitur apprehensionem phantasticam quasi veram* (D. Tho. *De Somniis,* sect. VI).

(21) Clem. Un. *De Homic.;* V. Schenkium, *Observ. Medic.* Lib. 1, Tit. *De Noctamb.;* Horstium, *De Noctamb.* - Scilicet *usus rationis magis* quidem, *vel minus impeditur in dormiendo; semper tamen quantum ad aliquid impeditur ut non possit omnino liberum iudicium habere* (D. Tho. 2, 2, 154, 5 ad 2; Lugo *De Sacram.* 8, 106).

(22) Renazz. I, VIII, 9. Veluti si nutrix in somno infantem oppresserit.

(23) D. Tho, 2, 2, 62, 2 ad 4. Ibi ex Aristot.: *Quod modicum deest nihil deesse videtur.* Iure quoque civili *quod parvi refert, nihil refert* (Brisson *Vocab. Iur.* V. *Parvi*). Utputa si minor in contrahendo modice laesus fuit (L. 1 *De Rest. in int.*): si in recitatione officii, in auditione missae, modicum aliquid omiseris.

(1) V. D. Tho. in 4, D. 27, q. 2, art. 2.

(2) L. 14 *De Sponsalibus.* Ideo infantia in his quae ad legem naturalem pertinent, ex ratione; in his quae

qui 21^{m} (3), et Clericus, in beneficialibus et aliis spiritualibus causis, qui 14^{m} aetatis an. explevit (4); inter utrosque tenent *minores*. Infantes regulariter neque intellectum, neque rerum experientiam habent; ideo regulariter nec peccare possunt, eoque minus delinquere, nec *per se* quidquam acquirere (5).

34. Minores sunt vel impuberes, vel puberes (§ 29); et illi iterum vel *infantiae proximi*, vel *pubertati*, quod aestimatur ex annis aeque utrinque divisis (6). Omnes sunt capaces peccandi: item et delinquendi, exceptis proximis infantiae, quia sunt expertes doli (7), et delictum sine dolo non fit. Minores contrahendo, civili iure, conditionem suam meliorem utique facere possunt (8); ideo qui cum eis contrahit, obligatur naturaliter et civiliter; ipsi vero naturaliter tantum, quae communissima (9) sententia est, nisi lex obligationem

pertinent ad leges humanas, a 7° an. aestimatur; v. c., utrum quis blasphemando, furando peccaverit; utrum teneatur lege abstinentiae, vel sacro interesse diebus festis.

(3) C. G. 388; It. 323. Iure Austriaco (§ 25) qui 24° an. excessit. Dixi, quoad *civilia negocia*, nam quoad poenalia penes nos 18° aetatis anno finitur.

(4) C. 3 *De Iudic.* in 6°.

(5) L. 3, § 1, *De Acquir. Poss.;* CC. 4, 5 *De Desp. impub.*

(6) Conf. Vinn. in § 9 *De Inut. stip.* NN. LL. has distinctiones ignorant.

(7) L. 14, § 1, *De Dolo Malo;* Sayr. III, 28, 20. Nostri his verbis - *doli capaces* - aut non utuntur, aut eis intelligunt maiores infante; seu pubertati, seu infantiae proximos: idest capaces peccandi mortaliter (V. Suar. *De Censur.* Disp. 5, Sect. 1, n. 19).

(8) L. 9 *De Auct. Tut.;* §§ 2, 3 *Quib. alien.;* C. Au. § 244. Ideo, v. c., donationem, puram inquam, acceptare possunt (L. 2 *De Acceptil.*), haereditatem non possunt (§ 1 *De Auct. Tutor.*): nec alienare, ne parta quidem proprio labore, aut industria: lex non distinguit (Mazzoni II, 389; Durant. III, 683. Secus ex C. Au. § 246). Si minor a maiore aliquid accepit, non restituit (Ex L. 58 *De Act. et O.*); nisi aut penes se extet, aut ex eo factus sit locupletior (L. 5, § *Pupillus*, *De Auct. Tut.*). Quid si perdidit? Sane minoribus captis, non delinquentibus, subvenitur (L. 10, § 2, *De minor.*): itaque si id perdidit dolo malo, tenebitur; sin malo more, non item; utputa si nummos, a debitore paterno acceptos, dissipavit (LL. 7, 27 *Eod.*).

(9) Moli. To. II, D. 224; Less. II, 17, 61; Lay. *De Pact.* IX, 7; Lugo *De Iustit.* 22, 288; Sanch. M. VI, 38, 21. Et iure prorsus (L. 21 pr. *Ad L. Falcid.;* L. 101 *De V. O.;* L. 1 *De Novat.*). Ius commune excipiebat impuberes, et TT. alienationem rei immobilis, vel mobilis praetiosae: ex NN. LL. aliud iuris est. (V. C. G. 1304, 2012; It. 1300, 1899; Zach. § 297, n. 2, § 775, n. 2; Toullier VI, 105). Proinde si sponsalia, si votum inierint, tenentur sponsalibus (C. 1 *De Despons. impub.;* L. 14, § 1, *De Spons.*), voto (D. Tho. 2, 2, 88. 9). Si minor dederit quod promiserat, et ipse transfert dominium (ideoque et periculum) in accipientem; et is licite illud accipit, et retinet (Mol. l. c.; Less. II, l. c., dub. 8; Lugo *De Iust.* 22, 295), quamdiu ille non obtinuerit restitutionem in integrum. Nihilominus minor, si quid promisit, non cogitur solvere, cum repe-

quoque naturalem sustulerit (10): sed immo etiam civiliter, si non petierint suo tempore restitutionem in integrum (II, § 426). Testamentum vero a 18° aetatis suae anno facere possunt (11).

35. Maiores suis contrahendis distrahendisque negociis (paucis speciebus exceptis, de quibus suis locis) omnino capaces sunt; nisi fuerint bonis *interdicti,* vel *inhabiles* renunciati. Interdicitur quis vel ob infirmitatem mentis (12), vel in poenam, de qua serius. Renunciatur inhabilis qui suae quidem mentis est, sed excors, vel ineptus, vel prodigus; item a nativitate surdi et muti, vel caeci (13). Interdicti aequiparantur minoribus, ideo sub tutela sunt (14). Inhabilitatis curator dari solet; cumque eo omnia recte gerunt: sine eo illa tantum, quae pertinent ad bonorum administrationem (15).

36. Sunt et senes. Nostri senes accipiunt mares, et foeminas, quae sexagesimum aetatis annum sunt ingressi, tametsi viribus valeant. Senes soluti sunt lege ieiunii (16); et non sunt obnoxii reservationibus pontificiis quoad peccata et censuras, de quibus serius, quippe quae huc non pertinent. Illud potius liceat hic animadvertere, leges quae pertinent ad genus aliquod personarum, v. c. minores, nuptas, interdictos, comprehendere omnes personas quotquot in eo genere continentur, licet forte cesset in aliquibus ratio legis, v. c., in minore in suis gerendis negociis prudentissimo (17).

37. Adhuc de viventibus; nunc pauca de mortuis. Mortuum accipimus naturaliter et civiliter. Naturaliter, qui diem suum obiit; civiliter, dammatum in mortem, vel in opus publicum in perpetuum; et *regulares.* Sed mors civilis iamdiu pene ubique obsolevit; *regulares* autem, lato sensu, dicuntur civiliter mortui. Ex quo autem aliquis mortuus est, aut mortuus fuisse intelligitur, successio eius defertur:

tere possit (Ex L. 199 *De R. D.;* Lugo n. 300; S. Alph. III, 918, v. *Secunda*).

(10) Ex L. 7 C. *De Praed. minor.;* L. 41 *De Condict. ind.*

(11) C. It. 763; Au. 569; V. C. Gall. 903, 904.

(12) §§ 3, 4 *De Curat. furio.;* C. G. 489; It. 324.

(13) Cit. § 4; C. G. 513; It. 339, 340; V. C. Au. 269. At iure communi, et Austr. (§ 21) prodigo *interdicitur* bonorum administratio.

(14) C. G. 509; It. 329.

(15) C. G. 513; It. 339.

(16) S. Alph. III, 1036, 1037. Quod omnium primus docere coepit Hier. Lamas (Par. III, Cap. V, § 20) ex oraculo vivae vocis, ut ipse refert, S. Pii V.

(17) Ex L. 1, § 1, *De Minor.* Et qui nondum 21° aetat. an. egressi, vel iam 60^{m} ingressi sunt, non tenentur lege ieiunii, etsi viribus valeant (S. Alph. III, 270). Et testamentum facere non possunt qui 18° aet. an. nondum excesserint, licet plus maioribus sapiant. Scilicet lex est *praeceptum commune* (L. 1 *De Legib.*).

et in hoc utraque mors convenit; nam quoad cetera differunt. Verum quoties mortis simpliciter mentio fit, naturalis intelligitur (18). Iure civili mortuus praesumitur is, qui ubi sit ignoratur, si vel centum annos excesserit (19); vel post ann. 30 ex quo *absens* (idest incertum an vivat) officio iudicis declaratus fuit (20). Porro si duo (v. c. pater et filius) eodem temporis momento (e. gr. eodem naufragio, praelio, ruina) perierint, nec appareat uter prior, uterque eodem temporis momento praesumitur decessisse (21).

38. Heic admonendi sumus, duo haec, *mortis articulum,* et *periculum mortis*, in iure Canonico, et apud Nostros, idem plerumque, et praesertim cum agitur de sacramentis administrandis, vel recipiendis, significare: significant autem illud rerum discrimen, in quo, cum quis constitutus est, ipsum, et superesse, et occumbere posse, utrumque est vere graviterque probabile (22); sive periculum immineat ab *intrinseco,* ut puta ex morbo, vulnere inflicto, partu difficili, extrema senecta (23); sive ab *extrinseco* immineat, velut ex bello, navigatione vel itinere periculoso, etc. (24). Hoc amplius; si quis versetur in periculo incidendi in perpetuam amentiam, vel in ea rerum conditione versetur, ut deinceps copiam confessarii probabiliter non amplius sit habiturus, perinde habetur ac si versaretur in periculo mortis (25).

Et quoniam de aetatibus incidit sermo, abs re non erit dispicere quemadmodum tempora supputanda sint, nempe civiliter. Et praeterea de die, de conditionibus, de modo heic attingere quae scitu magis necessaria sunt; nam haec maturius nosse perutile est, quia passim occurrunt, et sunt difficilia. Post haec nonnulla subiiciemus de personis moralibus.

(18) V. Averani Lib. 10, Cap. V, n. 2.

(19) C. G. 129; It. 36; De Iust. II, XI, 2.

(20) C. Gall. 115 etc.; It. 20 etc.; V. Au. § 24.

(21) C. It. 924; Au. 25. Secus ex iure Gall., A. 720, et iure communi.

(22) C. 29, Cau. 17, 4; CC. 5, 13 *De S. E.;* Trid. XIV *De Poen.* C. 7; Rit. Rom. *De Poenit.;* Sanch. D. II, 13, 1; Lugo *De Poenit.* 18, 21; Laym. *De Poenit.* XII, 13, 14; S. Alph. VI, 561. Et quoties agitur de reservatis absolvendis non incerti iuris est (C. 22 *D. S. E.* in 6°). Dixi *plerumque,* quia quandoque haec regula fallit; ut ecce in benedictione apostolica danda morituris.

(23) Rit. Rom. *De Ext. Unct.*

(24) Duard. Lib. III, § 2, Quae. 2, n. 18; S. Alph. VI, 561.

(25) Croix VI, II, 1559; ibique Sylvius; Duard. n. 15; Bonaci. To. 1 *De Censur.,* Disp. I, Quae. 3, P. 3, 4.

APPENDIX I.

DE TEMPORUM SUPPUTATIONE; DE DIE, DE CONDITIONE, DE MODO.

39. Tempus horis, diebus, mensibus, annis, digestum est. *Hora* praeteriisse intelligitur, cum primus horologii ictus sequentem denunciat (1) seu horam primum nunciet, seu horae quadrantes (2). *Dies* constat horis 24; et vel naturaliter, vel civiliter computatur: naturaliter *ad momenta temporum* (3); civiliter a media nocte incipit, et sequentis noctis media parte finitur (4). Quando autem naturaliter, quando civiliter computari debeat nulla certa lege definitum est, nec ulla generali regula definiri potest. Plerumque cum de facto aliquo agitur, naturaliter supputatur, velut hominis aetas (5): cum agitur de aliqua obligatione adimplenda, computatur civiliter; nempe a media nocte diei insequentis; inde regula: *dies termini* (a quo) *non computatur in termino* (6). *Mensis*, nisi aliud in iure sit expressum, si dies *a quo* definita est, quota die incipit, tota insequentis mensis die finitur (7): secus, utrum constet 30 diebus (8),

(1) S. Alph. VI, 282. Concordant I. C., Merlin *Repert. V. Prescriz.* Sect. II, § 1, n. 3, Schmalz. (III, V, 306).

(2) Lugo *De Euch.* 15, 38. Porro ubi publica horologia signant *tempus,* uti aiunt, *medium,* haec sequi oportet (et non privata, quae verum indicant) in ieiuniis, et officiis ecclesiasticis; tametsi non proprio utantur meridiano, sed alieno (S. Poenit. 18 Iunii 1873. *Acta* VII, 399).

(3) L. 134 *De V. S.;* Sanch. M. II, 24, 29.

(4) L. 8 *De Feriis;* C. 24 *De O. D.* Et quidquid his 24 horis, quibus dies continetur (idest duabus dimidiatis noctibus, et luce media), actum est, perinde habetur ac si quavis hora diei actum esset (L. 8 cit.). Interdum ecclesiastice computatur (v. c., quoad lucrandas indulgentias), idest *a primis vesperis unius diei, usque ad integrum subsequentis diei vespertinum crepusculum* (Bened. XIV, B. *Peregrinantes* § 6).

(5) L. 3, § *Minore, De Minorib.*

(6) Ex L. 1. *Si quis cautionibus;* Barbosa, Axioma 71, 5. Scilicet integram debitori diem concedere oportet. Sed et novissimam oportet esse integram (Cit. L. 1; ibiq. Gl.). Proinde sponsus, cui datur bimestre ab inito matrimonio ad deliberandum, utrum malit ad religionem transire, si venit 61° die (L. *Ubi lex* 102 *De V. S.*) ante dimidiam partem noctis, audietur.

(7) Ex L. 5 *De Testam.* (Bonac. *De Censur.* Dis. 3, P. 3, n. 3; Menoch. *De Arbitrariis* etc. Lib. II, Cas. 50, n. 22; Sayr. IV, VII, a n. 2; Durant. *Prescriz.* § 339; Tropl. *Prescriz.* § 815): ut puta si incipit die 14 Februarii, finitur 14 Martii. Quamobrem is qui Kal. Ian. coepit possessionem beneficii, si fidei professionem non fecit, post Kal. Martias; si non recitavit officium, post Kal. Iunias, fructus non facit suos.

(8) Haimberg. § 98, ex LL. 28, 38 *De Aedilit. edicto,* iuncta L. 102 *De V. S.* Sententia olim communior. V. Menoch. n. 12 eam refellentem, et C. It. 2133, 1.

an supputari debeat uti iacet in Kalendario (9), non satis convenit. *Annus* constat diebus 365 (10). Quoties autem leges tempus desiderant conflatum ex pluribus diebus, vel mensibus, vel annis, postremum diem, mensem, annum plenum accipere debemus (11): et solum quum anceps loquutio est, in favorabilibus coeptus pro pleno erit (12). Ceterum quoties opus est mense, vel anno pleno novissima mensis vel anni, iure communi, atque ideo et canonico (nam ex NN. LL. non satis liquet), *dies coepta pro plena erit* (13), praeterquam in odiosis (14). Utcumque autem computetur tempus, non fit heic locus regulae *minimum pro nihilo reputatur* (§ 32): nam in his quae natura, aut iure, aut hominis voluntate definita sunt, non est morali aestimationi locus: itaque etsi momentum temporis desit, aut praeterierit, computabitur (15).

(9) *Pontius* M. IX, 9, 4; Lugo *De Iust.* 22, 314; Toullier III, 2, 68; Laurent XVII, 192. Et ita cautum est in C. Commer. G. 132; It. 218. Et est melius. Nihilominus in odiosis nihil prohibet sequi priorem sententiam; v. c., si suspensus fueris a beneficio per mensem (Suar. *De Censur.* 29, 1, 6).

(10) L. 4, § 5; *De Statu liber.* Et bis sextus 366; etenim Februarius non est amplius mensis intercalaris; confr. L. 3, § 3, *De Minor.*

(11) Ex L. 134 *De V. S.;* L. 5 *De Testam.;* Ex C. 2, iuncto C. 11 *De Despons. Imp.;* De Iustis *De Disp.,* III, VIII, 19. *Annum;* quamobrem si tibi aliquid testamento relictum sit *cum 14 annorum eris,* vel cum *ad 14m aetatis annum perveneris,* capies cum eos impleveris (LL. 47, 51 *De Legat.* 1). Et cum in Trid. (XX *De Reg.* 5) cautum sit, ne Abbatissa eligatur *minor ann.* 40, S. C. C. censuit, annis impletis opus esse (Ferr. V. *Abbatissa* n. 2).

(12) L. 8 *De Muner. et hon.;* L. *Qui filium* 74, *Ad S. C. Trebell.;* Pont. M. IX, 9, 4.; Gothofr. in L. *In omnibus, De O. et A.* – V. c., *ne quis* ante an. 14, beneficium obtineat; ne ante 22 ad Subdiaconatum promoveatur (Trid. XXIII *De Ref.* 6, 12). Sed iure civili italico aliud videtur (V. C. It. 55; 763, 1; 2134).

(13) L. 134 *De V. S.;* L. 5 C. *De Testam.;* Sanch. M. VII, 104, 2. Nempe, nisi in iure aliud sit expressum; ut in C. 3 *De Const.* in 6o, quo novitii prohibentur solemnia vota nuncupare *ante annum probationis elapsum.* Porro haec dictio – *per mensem* – *per annum* – tempus continuum, et completum significat (Barbo. *Diction.* 250, 2; Reiff. III, 31, 94); ideo iussus, v. c., exercitiis spiritualibus vacare per mensem, nisi novissima mensis dies praeterierit, non liberatur (Suar. *De Censur.* 29, 1, 4, etc.). At vero, etsi fictione iuris dies coepta pro completa sit, non ideo ea subinde quae insequitur dies, coepta intelligitur. Propterea qui, v. c., ingreditur 22m aetatis an. vespere Sabbati, non poterit ad Subdiaconatum (qui an. 22m coeptum desiderat) promoveri mane eius diei (S. Alph. IV, 112; VI, 800).

(14) Ex L. 5 *De O. et A.* Hinc, v. c., si Novitius professionem emiserit ultima 16i an. sui die, aut minor novissima 21i an. die, obligationem contraxerit (L. 3, § 3, *De minor.*), nihil agunt.

(15) Ex L. 15 pr. *De Divers. et tempor.;* De Iust. I, VIII, 17; S. Alph. III, 112; VI, 800.

40. Porro *dies*, in iure, plerumque tempus significat: et modo *certa* dicitur, modo *incerta*. Duo videlicet inspicienda sunt: *utrum*, et *quando* sit extitura: si neutrum ignoratur, dies dicitur certa; sin alterutrum, incerta (16). Et si ignoratur, utrum sit extitura, semper pro conditione est (17). Dies certa, si multiplex potest esse, v. c., *Kalend. Ianuar.*, *in Paschate*, nec appareat de qua actum sit, dicitur *indefinita*, et proxima accipitur (18). Obligationes (adeoque et iura) plerumque ex die initium, aut finem capiunt; et tunc dicuntur ex die, vel in diem: *ex die* deberi, est post aliquod tempus deberi, ideoque ante illud obligatio non intelligitur: *in diem* vero deberi, est, usque ad certum tempus deberi, quo proinde exacto, cessat obbligatio (19). Demum, quoad obligationem praestandam, *diem cedere* dicimus cum aliquid deberi incipit; *diem venire* cum peti potest (20); scilicet medium tempus relinquitur debitori (21). Verum quod promittitur, aut dari iubetur, nulla die adiecta, statim debetur, nisi res ipsa spatium temporis inducat (22); verum de hoc alias.

41. Conditio est — *Circumstantia actui adiecta, ex qua ipse actus pendet* (23). Circumstantia, idest eventus: quamobrem ut sit conditio, necesse est: 1° ut eventus huiusmodi ab extrinseco accedat (24): *ea quae tacite insunt*, seu natura seu lege, *si fuerint expressa*, *non faciunt actum conditionalem* (25); 2° ut ex eo actus

(16) LL. 21, 22 *Quan. dies leg. ced.* - V. c., *in Pascate proximo*, vel *cum Osius morietur*, aut, quod idem est, *cum Seius 14 annorum erit*. Quarum prima est certa, secunda et tertia incertae.

(17) L. 5, § 2, *De Legat.* 1. - V. c., *Cum Seius ad maiorem aetatem venerit.*

(18) L. 41 pr. *De V. O.* Et favet C. 16, § *Ceterum, De elect.* in 6° (Sanch. M. III, 50, 3).

(19) L. 43 *De O. et A.* - V. c., qua aetate incipiat obligatio ieiunandi, qua cesset.

(20) L. 213 *De V. S.* - E. g., implendi praecepti Paschalis dies *cedit* Dominica Palmarum, *venit* Dominica in Albis (ex L. 70 *De Solut.*).

(21) Cit. L. 70. *Diei adiectio pro reo est.*

(22) L. 41, § 1, *De V. O.*; L. 14 *De R. I.*

(23) Ex L. 37 *De Reb. credit.*, C. G. 1168; It, 1157; Au. 696.

(24) L. 98 *De Condit. et demons.*; Sanch. M. V., 1, 13. Itaque si aegrotus voveris, e. g., religionem intrare - *si convalueris* - purum votum intelligitur (Ex L. 1, *Eod.*; Suar *De Voto* Lib. I, Cap. ult., n. 12; Sanch. n. 6).

(25) Cit. L. 98; L. 69 *De Hered. instit.*; Lugo *De Iustit.* 22, 338. V. c., ut absolutus in articulo mortis a censuris reservatis satisfaciat parti laesae (*natura*); utque, si convaluerit, adeat Superiorem mandatum ab eo recepturus (*lege*). Et receptissima apud Nostros et Canonistas sententia est (V. Sanch. M. III, 33, 3). Scilicet *eadem est vis taciti et expressi:* velut in rescriptis Pontificiis ea clausola - *si vera sint exposita* - in dispensationibus impedimentorum matrimonium dirimentium, *dummodo mulier rapta non fuerit.* Nisi palam appareat expressum fuisse ut faceret conditionen (L. 68 *De Cond. et demons.*; Sanch. M. V, 1, 7; Lugo n. 338).

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

pendeat, ideoque ius quod ex actu oritur, vel obligatio (26): et ideo necesse est, ut eventus sit aliquid et futurum et incertum: alias, cum nihil moretur, conditio erit verbo tenus; et quidquid agitur aut protinus ratum, aut protinus irritum erit (27). Porro eventus vel a casu pendet, vel ab agentium voluntate, vel ab utroque: inde conditio est vel *casualis,* vel *potestativa,* vel *mixta* (28). Ea vero extante, vel deficiente, id quod actum est aut valere incipit, aut valere desinit: inde conditio iterum diducitur in *suspensivam* et *resolutivam* (29). Quamdiu conditio pendet, si est suspensiva, perinde erit quasi *nihil;* sin resolutiva, perinde quasi *pure* actum esset (30).

(26) Ex L. 37 *De Reb. Credit.;* Toullier VI, 472.

(27) LL. 100, 120 *De V. O.;* LL. 37, 39 *De Reb. Credit.* Non sunt igitur conditiones hae: - *si pater tuus vivit - si frater meus rediit - si cras sol orietur* - (L. 9, § 1, *De Novation.;* D. Tho. Suppl. 47, 5). Sed neque haec: - *si Padum ebiberis* -; nam certum est id fieri non posse (L. 7 *De V. O.*). Nihilominus si partes ignorabant conditionem de futuro necessariam esse, excutio suspenditur usque ad conditionis eventum, v. c., *si hoc anno* - vel - *eo die - erit eclipsis* (Sanch. M. V. 2, 3; Lugo *De Iustit.* 22, 336; Salmant. IX, 7, 10). Immo, etsi sciverint eam necessariam esse, si noluerint ante eius eventum se obligare, interim cessat obligatio; scilicet *in conditionibus primum locum voluntas* (eas adiicientium) *obtinet, eaque regit conditiones* (L. 19 pr. *De Condit. et demons.*). Qualiscumque igitur conditio sit, si quis noluerit sine ea obligari, non obligatur. (Sanch. M. V, 1, 4). Ad haec, necesse est, ut eventus cognosci possit humano modo; secus (v. c., si es praedestinatus) actum vitiat (L. 39 *De Reb. credit.;* Suar *De Censur.* VII, 8, 5; S. Alph. VI, 26); quia cum maneat semper incertus, exitum habere non potest. Porro conditiones impossibiles, vel turpes, vitiant actus inter vivos; in actibus ultimae voluntatis pro non scriptis habentur (§ 10 *De Hered. instit.;* L. 14 *De Cond. Instit.*): verum de his alibi.

(28) C. G. 1169; It. 1159. V. c. - *Si navis ex Asia venerit - Si Caius uxorem duxerit - Si duxerit Caiam.* Et quae in faciendo consistunt, *affirmativae;* quae in non faciendo, *negativae* dici solent.

(29) L. 7 *De C. E.;* LL. 2, 4, etc. *De in diem.;* C. G. 1168; It. 1158; Au. 696.; Reiff. IV, 6, 9. Puta, si mihi domum vendas ea lege, ut, is Osius in anno proximo uxorem duxerit, *empta fiat* (suspensiva), vel *fiat inempta* (resolutiva): vel, Caius sponsalia ineat cum Seia, ut, si pater consenserit, rata fiant, sin minus, fiant irrita. - Utra vero sit, in re praesenti petendum erit ex voluntate eam adiicientium: in dubio suspensiva intelligitur (L. 2 *De in diem addict.;* Reiff. IV, 6, 9): tum quia non ligat quamdium in pendenti est tum quia haec propriissima conditio est; et ideo quoties conditio simpliciter dicitur, suspensivam accipimus. Cum autem res de qua agitur conditionem non recipit, seu suspensivam (puta si ordinaveris Seium ea lege, *ut suo Parocho opituletur*), seu resolutivam (e. g., si Aspasia Seio nubat *dummodo domicilium non mutet*), magis pactum vel admonitio intelligitur, quam conditio (Ex L. 6 *De Tutel.;* Laym *De Voto* Cap. VI, 6). Et si eo animo fuerit apposita, ut faceret conditionem, nihil agitur.

(30) Ex LL. 10, 54 *De V. S.;* LL. 1, 2, 6 *De in diem addict.* Quamobrem domo vendita, vel initis sponsalibus, sub conditione suspensiva (V. n. 29), interim nec rei dominium a

At, cum impletur, vel cum deficit, *ipso iure,* atque ideo continuo, vim suam exerit; tametsi lateat impletam fuisse, vel defecisse (31). Et retro valet (32). Nec deinceps effectus eius, idest ius et obligatio, quae ex ea consistunt, revocantur (33): quod velim ne excidat.

venditore decedit (§ 4 *De V. O.*), nec constat publicae honestatis impedimentum; re vendita, initis sponsalibus, sub conditione resolutiva, rei dominium illico in emptorem transit (LL. 1, 2, 6 *De in diem addict.*), et statim oritur publ. honestatis impedimentum.

(31) L. 37 *Si cert. petat.;* Sanch. M. V. 8, 6; S. Alph. VI, 892. Ac proinde nullo novo consensu opus est (Sanch. n. 5; Lugo *De Iustit.,* 22, 384 etc.). Quamobrem sponsalibus initis sub ea conditione, ut, si parentes consenserint,*rata fiant,* vel, *rata maneant;* his consentientibus, statim obligant, et pariunt imped. p. h.: dissentientibus, illico evanescunt; sive sponsi sciant parentes consensisse, vel dissensisse; sive id ignorent.

(32) Ex L. 19 *De R. I.;* LL. 9, 11 *Qui potior. in pign.;* C. G. 1179; It. 1170; *Valet,* retro inquam, perinde ac si ab initio, in conditione suspensiva, *pure,* in resolutiva, *nihil* actum fuisset. Itaque si sponsalia inieris cum Seia ea lege ut *rata fiant,* vel domum vendideris ut *fiat empta,* si navis ex Asia venerit; navi appulsa, illico exoritur p. h. impedimentum, dominium rei venditae protinus in emptorem transit, et perinde habetur, ac si ab initio pure empta fuisset. Ideoque si, medio tempore, melior aut deterior domus sit facta; si pretium eius creverit, vel decreverit; totum lucro vel damno emptoris cedit (L. 8, § *Sane, De Peric. et Comm. rei vend.;* C. It. 1163. Contra C. G. 1182). Verum haec potestate et fictione iuris; natura enim tunc contractus fieri intelligitur, cum impletur conditio: atque ideo si tunc nihil desit eorum, quae ad actum ineundum sunt necessaria. Belle Bartol. in L. *Si is qui, De Usucapion.:* – *Dispositio legis quae retrotrahitur exigit terminum habilem* A QUO ET AD QUEM. Itaque si medio tempore res ad eum casum devenerit, a quo initium habere non potuisset, – si, v. c., sponsa alii nupserit, vel domus terraemotu corruerit, – nec sponsalia intelliguntur, nec emptio et venditio (Cit. L. 8, § *Plane;* L. 11, § *Inde, De iure dot.*). Unum est quod non obest, excepto matrimonio, nempe si tu interim mutaveris voluntatem (Lugo *De Poenit.* 13, 383, etc.); quia *nemo potest mutare consilium suum in alterius iniuriam* (LL. 36, 76 *De R. I.*). Itaque si, v. c., voveris castitatem, vel religionem intrare, si frater uxorem duxerit, et medio tempore retractaveris voluntatem, impleta conditione, votum ratum est ipso iure (Lugo l. c. et *De Instit.* 22, 384).

(33) L. ult. *De Pact.;* L. 7 C. *De Instit. et Substit.* Scilicet semel per eam quaesitum ius, vel extincta obligatio, alteri invito extorqueri, vel imponi amplius non potest. Itaque patre consentiente (V. n. 29), frustra postea dissentit; et contra (Sanch. M. V. 7, 5). Porro conditio exprimitur verbis – *si* – *modo* - *dummodo* - vel, ex Nostrorum et Canonistarum sententia, *ablativo absoluto,* quem vocant: sed hoc non est perpetuum (L. 108 *De condit. et demons.*), et in his quae tacite insunt *nihil mutat.* Sane, concessa dispensatione ad matr. ineundum, *servata forma Tridentini,* celebratum omissis proclamationibus, ratum esse DD. tenent (Pyrr.; Corrad. *De Disp. Matrim.* Lib. VII, Cap. VII, n. 11), et censuit S. C. C. 12 Iulii 1721 (Cavalieri *Rit. Expens.* Cap. X, n. 11 *De Nupt.*). Nec ea verba – *imposita poenitentia salutari* – quae pro ince-

42. Modus est: *Adiectio qua is qui aliquid dat* (promittit, relinquit) *demonstrat quid exinde fieri velit* (34). Adiicitur in commodum vel ipsius dantis, vel accipientis, vel tertii (35). Est adfinis conditioni, et interdum conditionis verbis, aut nomine significatur (36). Et, excepto eo qui adiicitur in commodum accipientis, prope conditionis vim habet (37): etenim in eo solum distat a conditione, quod haec actum, et dandi obligationem, suspendit, modus non item (38).

APPENDIX II.

DE PERSONIS MORALIBUS.

43. Hucusque de personis singularibus (physicis): sunt et, uti nunc aiunt, personae morales. *Persona moralis,* lata significatione, dicitur, *quidquid iuris acquirendi exercendique, lege, capax habetur;* sive pluribus personis *singularibus* constet *(corpora),* ceu Capitula Cathedralium, Monasteria, Civitates, Collegia (1); seu minus, uti hospitalia, beneficia ecclesiastica, etc. *(universitates bonorum).* Dicuntur morales quia non reipsa constant, sed fictione iuris. Omnium triplex fere genus est, nam vel ad divinum cultum obeundum sunt institutae, uti pia sodalitia in Ecclesiis erecta; vel ad civilia expedienda negocia, uti societates industriales; vel ad exercenda caritatis officia, uti Nosocomia, Montes Pietatis, etc. Illae ecclesiasticae sunt; istae laicales; hae, utrae sint, ex fundationum tabulis aestimari debet (2): in dubio, in iure canonico, censentur ecclesiasticae. Nihilominus Pia sodalitia, Confraternitates, etc., si non clericis (nempe qua clerici sunt), sed laicis constant, laicalia et haberi et dici solent (3); et ipsorum quoque bona laicalia censentur. Nobis de his,

stuosis adiiciuntur, conditionem facere tenent. (De Iust. I, VII, 209; Sanch. M. VIII, 34, 29).

(34) L. 1, § 11, *De cond. et demons.*

(35) V. Donell. XIV, 20, 10. – V. c., si testator centum Seio leget – ut ei in foro statuam ponat – vel, ut die anniversaria mortis suae puellis egenis dotes tribuat – vel, ut Seius ipse Romam visere possit.

(36) L. 5 C. *De Rer. permut.;* C. 2, *De Condit. appos.*

(37) L. 28 *De Condit. ob caus. dat.;* Ex L. 10 C. *De Pact.;* L. 1 C. *De his quae sub modo*: Sanch. M. V. 19, 4, etc.

(38) V. L. 70 pr. *De cond. et demons.;* L. 2, § ult., *De Donat.*

(1) L. 1 *Quod cuiusq. Universit.;* V. Suar. *De Legib.* VIII, 3, 4.

(2) De Luca, Disc. 1, *De Alienat.;* Disc. 50, *De Regularib.* Personis moralibus hodie accensendae sunt *Societates anonimae,* quas vocant; ut puta quae coeunt damnis ex incendiis, naufragiis, etc. reparandis; dummodo Principali rescripto fuerint comprobatae; Arcae compendiorum, seu parsimoniae, quas dicunt, etc.

(3) Ex C. 4 *De Relig. dom.;* Berardi, I. E. U., To. 2, Dissert. *De Benefic. impropriis, v. Vulgaris.*

cum primis, *quibus permissum est corpus habere Collegii,* seu quae pluribus *singularibus* personis constant, agendum est paucis.

44. Personae morales iniussu Principis (4), idest R. P. (vel Ordinarii), si ad divinum cultum (5); Regis, si ad civilia negocia; alterutrius, si ad officia caritatis pertinent, coire non possunt. Et si coierint, nec esse intelliguntur: ac proinde nec statuta eorum tenent, nec officia constant ab eis constituta; nec valet quod ab eis, vel cum eis, gestum est; nec debetur quod eis testamento relinquitur (6). At cum semel rite coierint, *instar privatorum* habentur (7). Ideo possunt sibi acquirere actibus seu inter vivos, seu ultimae voluntatis (8), contractus inire, iudicio agere, etc. (9). Quoties autem aliquid decernendum est, convocare oportet omnes, quibus suffragii ius competit (10); quod autem maior, *absolute,* pars praesens decreverit, perinde habetur ac si omnes decrevissent (11). Sed in mul-

(4) L. *Quod cuiusq. Universit.;* C. It. Art. 2, 433. Exceptis his quae constant natura sua; ut civitates, municipia, ex quibus societas civilis coalescit. Et Collegia minus quam tribus constare non possunt (L. 85 *De V. O.*). Et ex hoc capite ab eis distant toto coelo *Coetus,* et *Ordines,* personarum; qui non faciunt, ex principali auctoritate, unum corpus collegii, sed *Ordinem* tantum; ut puta clerici, nobiles, artifices (Suar. *De Censur.* 28, 3, 7).

(5) Clem. VIII. C. *Quaecumque;* L. 1 *Quod cuiusq. Universit.* Sed Ordinariis vetitum est erigere duas pias Confraternitates, vel Sodalitia eiusdem Instituti, in eodem oppido, vel civitate (V. Ferrari, v. *Confraternitas,* nn. 5, 41).

(6) Cit. L. 1, et L. 3 *De Colleg.* - Nisi relictum fuerit sub hoc modo: *cum iure coierint* (C. It. 833, 1075; Tropl. *Succes.* II, 612).

(7) L. 1, § ult., *Quod cuiusq. Universit.*

(8) L. 52 *Eod.;* L. 21 *De Reb. Dub.* Sed ex C. It. nequeunt, iniussu Principis, delatas sibi hereditates adire (art. 932). Quando autem in ius privati alicuius succedunt, pro praeteritis, privatorum iure uti debent, pro futuris, suo (L. 6 *De Iure Fisci*),

(9) LL. 1, 6, 7, 9 *Quod cuiusq. Univ.* Ideo Syndicum habent, qui procuratoris fungitur officio (LL. 1, 6 *Eod.*).

(10) LL. 3, 4 *Eodem.* Uno praetermisso, nihil agitur, licet omnium eorum, qui vocati fuerunt, suffragiis (ex CC. 28, 36 *De elect.;* Reiff. III, 38, 91). Suffragari autem potest vel consanguineis; patri quoque, vel filio (L. 5 *Quod cuiusq. Univ.*). Sed non sibimetipsi. Ex L. 1 *De Auct. Tutor.;* S. C. C. 1 Dec. 1875. Acta IX, 138). Qui autem *per se* adesse non valent, suffragari possunt per schedam, vel procuratorem (Pirhin. I, VI, 146; Reiff. I, 6, 191; Schmalz. I, VI, 27).

(11) L. 45 *Eod.;* L. 19 *Ad Munic.;* CC. 1, 4 *De his quae fiunt a maior.;* C. 42 *De Election.* Nec requiruntur duae partes, nisi id in iure sit expressum; ut in C. Un. *De Cleric. aegrot.* in 6° *Absolute:* scilicet maior pars dicitur duobus modis: *absolute* (quoad universos), et *relative* (quoad alias partes). Illa in Collegiis requiritur, haec in singulis (Ex C. 3 *De iure patr.;* Reiff. III, 38, 92; Schmalz. III, 38, 121, etc.). Nempe Collegii, *quasi unius hominis* (L. 25 *Ad Munic.*), unum suffragium intelligitur; contra, singulorum quot singuli sunt. Ideo, si, v. c., ex 12 canonicis, duo praedium Seio locare

tis minorum iure censentur (12). Uniuscuiusque autem personae moralis, licet eiusdem ordinis et instituti, causa separata est; ideoque ipsorum iura et obligationes permisceri prohibentur, quamvis ipsae eiusdem plane naturae sint; ut puta duae Ecclesiae eiusdem oppidi, vel duo monasteria eiusdem Ordinis (13). Ad haec, persona moralis nil commune habet cum his quibus constat; ideo quod, v. c., Collegio debetur, singulis non debetur; nec quod debet Collegium, singuli debent (14). Et si alicui iniuriam fecerit in his coerceri debet quae collegii, non quae singulorum, propria sunt (15). Sed hoc non prohibet, quominus in eos, qui suffragium iniquum dederunt, singulariter, si opus fuerit, animadverti possit; vel quominus poenas iure canonico latas incurrant (16).

censuerint, quatuor Caio, sex Osio, neutri locabitur (Azor. P. II, lib. VI, 21, q. 19; Ben. XIV *De Syn.* XII, 7, 6). Contra, si ex duodecim *patronis,* qui uti singuli nominant, quatuor Seium, tres Sempronium, tres Caium, duo Titium elegerint, Seius potior erit (Azor. l. cit.; Laym. *De Benef.* XIII, 18). Porro si suffragium tulerit aliquis inidoneus, velut impubes (C. 32 *De Appellat.*), excommunicatus (V. Sayr. II, 4, 1, etc.), nempe vitandus (Suar. *De Censur.* 14, 2, 3), *utile non debet per inutile vitiari* (C. 37 *De R. I.* in 6°): quod plures negant in poenam admittentium, quae nullo iure statuta est; ceu Salm. (10, 3, 88) animadvertunt.

(12) L. 4 C. *Quib. ex caus. Maior.;* C. 1 *De Rest. in integ.* in 6°. Et ideo immobilia, vel mobilia pretiosa, iniussu tutoriae auctoritatis, alienare prohibentur (Ex L. 4 *De Decr. ab Ord. facien.;* V. C. G. 2045; It. 434). Loca Pia Ecclesiastica subsunt Ordinario, qui negociis eorum superesse debet (C. 3 *De Relig. domib.*); ea visitare (Trid. XXII, Ref. 8), et rationes eorum quotannis inspicere (Ib., Ref. 9); quamvis extent in Eccl. Regularium (S. C. Epp., 14 Nov. 1698). Laicalia non item: nihilominus, cum ipse in sua dioecesi omnium piarum voluntatum Executor sit constitutus (Trid. cit. C. 8; Esp. I. E. U. II, 28, 31), rationum earum inspiciendarum ius habet (Trid., cit. 9; Esp., l. cit.).

(13) Ex L. 23 *De Fideiuss.;* C. 1 *De Reb. Eccl. non alien.;* C. 1 *Eod. tit.* in 6°; Reiff. III, 13, 50.

(14) L. 6 *Quod cuiusq. univers.* Et quod, v. c., collegio illicito legari non potest, singulis potest (L. 21 *De Reb. dub.*). Et, Capitulo interdicto, singuli canonici non sunt interdicti.

(15) V. Covarr., To. II, *Variar. Resol.,* Lib. II, Cap. VIII. n. ult.; Suar. *De Cens.* V, 1, 29. Itaque, suspenso ab *officio,* e. g., Capitulo, non singuli Canonici ab *ordine,* vel *iurisdictione* suspensi intelliguntur, sed ipsum Corpus Collegii: ut neque comitia capitularia cogere deinceps, nec ad beneficia eligere, praesentare nec bona sua elocare possit. Suspenso a *beneficiis* (V. Extr. *Iniunctae* 1 *De Election.;* et Const. *Ap. Sedis, De Suspens.*), beneficia, verius, accipere debemus, non quae singuli possident, sed quae sunt penes Capitulum (Suar. *De Censur.* 28, 3, 3; Salmat. 10, 5, 43). Et iure prorsus, quia singuli, non suo nomine agunt, sed personae moralis, quam repraesentant.

(16). Suar *De Censur.* 18, 2, 2; 28, 3, 2. Ut puta, si quem occidi decreverint; si rem ecclesiae ab usurpatoribus emerint. Heic igitur actio contemplatur qua est uniuscuiusque propria. Itaque hi qui haec decreverunt, *illic,* effectu sequuto, fiunt irregulares, *hic* excommunicari poterunt.

45. Persona moralis suapte natura perpetua est (17); nihilominus extinguitur si is, cuius auctoritate *coierat,* eam dissolvat. Ad haec, collegia evanescunt, collegis dissolutis (18), vel omnibus extinctis; *omnibus,* nam si unus supersit, *ius omnium in unum recidit* (19). Persona morali extincta, bona ipsius, si illa publicae utilitatis causa instituta fuerat, ad Ecclesiam, vel Fiscum (pro cuiusque natura) abeunt; sin privatae utilitatis (ceu Societates industriales), ad socios, seu collegas, eorumve haeredes revertuntur (20).

46. Personis moralibus accedunt Dignitates et officia publica, nam et ipsa perpetua sunt (21): ideo quod ab aliquo, quasi a Dignitate, conceditur, acceptari potest etiam eo remoto, vel mortuo (22); et quod alicui conceditur quasi Dignitati, transit ad successores (23). Verum hoc inter eas distat, quod persona moralis intelligitur semper eadem esse; dignitas, officium, ipsa quidem eadem semper esse intelliguntur (24), at non personae sibi succedentes (25): scilicet successor a decessore suo causam non habet (§ 24, 8); cumque

(17) L. 7, § ult., *Quod cuiusq. univers.;* C. 19 *De S. E.;* Suar. *De Legib.* VIII, 3, 4. Et quamdiu durat semper eadem esse intelligitur, licet omnes mutati fuerint (L. 76, § 1, *De Iud.*).

(18) Haimb. § 69 in fine.

(19) Cit. L. 7, § ult. Ideoque et Regularium (e suis Coenobiis nefaria, non lege, sed vi detrusis) si unus vel alter Custos, aut Cappellanus, ibi remanserit (Ex S. C. C., 16 Septemb. 1871. Acta VII, 34).

(20) Haimberg. l. c.; Makeld. § 146. Personae morales in Ecclesia sunt penes nos cum primis Ecclesiae Cathedrales, vel Collegiatae, Instituta Regularia, et Pia sodalitia laicalia, quae vocant; beneficia ecclesiastica, cappellaniae laicales, etc. Quarum quaedam, legibus, cum primis 7 Iulii 1866, et 15 Aug. 1867, suppressae fuerunt; quaedam servatae. Ex *illis,* Corpora et Collegia non extincta dicenda essent, sed velut *capite minuta,* quippe quibus iura dumtaxat civilia adempta sunt. *His* sua iura civilia constant, sed non perinde ac ceteris personis moralibus; nam suis bonis alienandis, principali auctoritate opus habent (C. It. 434): et hodie delectis, exutis, ad egestatem redactis, nefas eis est quidvis acquirere quoquo modo, quidvis eis relinquere, (L. 19 Iunii 1873, art. 27, 28). Amplius: ceteris personis moralibus excitandis, licet relinquere *cum iure coierint:* excitandis simplicibus beneficiis, cappellaniis, ceterisque id genus ecclesiasticis institutis, omnino non licet (C. It. 833, 1075). Scilicet - *La religione Cattolica Apostolica Romana è la sola religione dello Stato* (Statuto, art. 1)!

(21) Ex LL. 58, 59 *De Legat.* 2; C. 14 *De O. D.;* V. Sanch. M. VIII, 27, nn. 12, 21.

(22) L. 58 *De Legat.* 2; Sanch. M. VIII, 27, 24; Reiff. 1, 29, 127.

(23) L. 1 *Quis et a quo;* C. 14 *De O. D.;* C. 5 *De Rescr.* in 6°; C. 36 *De Praeb.* in 6°. Et quod ab aliquo conceditur in dignitate constituto, manet eo sublato (C. 14 *De O. D.*): puta si R. Pontifex aliquid concesserit *ad beneplacitum* Sedis Apostolicae (C. 5 *De Rescr.* in 6°), vel Episcopus *ad beneplacitum Sedis Episcopalis,* vel *Episcopi* (S. Alph. 1, 197); nempe *quia Sedes non moritur* (Cit. C. 5).

(24) Cit. C. 5; Sanch. M. VIII, 26, nn. 10, 24.

(25) Ex C. 14 *De O. D.;* cit. C. 5.

ab eo nihil accipiat, nullum ab eodem ius, nulla obligatio in ipsum transit (26). Quamobrem si quid, v. c., Episcopus, dignitatis nomine, alicui concesserit, a successore eius revocari potest (27): eoque minus, si ille aes alienum contraxerat, hic tenebitur.

CAPUT II.

DE PERSONIS QUOAD FAMILIAM.

ART. I. *De viro et uxore, parentibus et liberis.*

47. Prima hominum societas coita est ex viro et muliere, matrimonio coniunctis. Ex matrimonio multa iura profluunt, tum natura, tum lege; dummodo valide initum sit. Et ut naturalia iura constare possint, sufficit, ut matrimonium naturaliter validum sit; ut civilia, necesse praeterea est, ut secundum cuiusque Civitatis leges coitae sint nuptiae (1). Heic de iuribus tantum quae statui personae cohaerent; et paucis, et obiter.

48. Principio igitur, *caput uxoris est vir;* ideo mulier sub viri potestate est (2) in his quae ad matrimonium, idest ad individuam vitae consuetudinem, pertinent (3). Proinde: I. sine consensu viri regulariter nequit obligari voto (4); II. necesse habet viri domicilium sequi, de quo postea; III. non potest (et haec ex NN. LL. sunt introducta), nisi eo praesente, vel sine eius in scriptis consensu 1° res suas immobiles donare (ne filiis quidem suis), alienare, pignori dare (5), sortes exigere, mutuum accipere, fideiussiones interponere (6); nec 2° de his iudicio agere, vel sine eo conveniri (7); nec 3° negotia alterius gerenda suscipere (8). At enim nulla eget viri, vel alterius auctoritate, mulier viro interdicto, vel poenam anno longiorem expiante, vel absente (9): nec mulier quae mercaturam exercet,

(26) Molina; Lugo *De Iustit.* VII, 61; Reiff. 11, 26, 140.

(27) V. Sanch. M. VIII, 28, 85.

(1) § 12 *De Nupt.* - V. C. G. 165; It. 93; Au. 44.

(2) I *Corinth.* XIV - 34; *Gen.* III, 16.

(3) § 1 *De Patr. Potest.;* C. Au. 138, 163.

(4) D. Tho. 2, 2, 88, 8 ad 3; S. Alph. III, 234. Ex n° 30, 4.

(5) C. G. 217; It. 134. V. C. Au. 91. Ne eas quidem, quas labore suo et industria sibi comparavit (Proud. II, 433).

(6) C. G. et It., ll. cc. Sed an pro viro fideiubere possit? Et posse, ut domesticis necessitatibus consulat, iam fere inter omnes convenit; alias verius negatur, quia, ceu tutor minori, ita et vir uxori, *auctor in rem suam* fieri non potest (Ex L. 1 pr. *De Auctor. tutor.*).

(7) C. It. 134; G. 215.

(8) C. It. 1743; G. 1990.

(9) C. It. 135; G. 221, 222. Utrum et *inhabilitato,* non convenit (Mazzo. II, § 209). *Absente;* nempe, non ut in § 37, 20, sed utcumque (Toull. II, 651; Zachar. § 472, 20).

vel separata, officio iudicis, sine culpa sua (10). Qui cum nupta de his contrahit, iniussu viri (cum eo opus est), obligatur mulieri naturaliter et civiliter; sed et mulier ei obligatur; at mulieri, et quibuslibet eius successoribus, immo et viro, constante matrimonio (11), et fortasse etiam creditoribus (12), datur in integrum restitutio. In reliquis aequo iure utuntur: et in primis neutri fas est, altero invito, Religionem ingredi (13), nec viro, uxore invita, ordines, immo nec tonsuram, accipere (14), praeterquam si ab eo iuste, et ex iure, quoad habitationem diverterit (15).

49. *Parentum* appellatione continentur omnes adscendentes (16); *liberorum* filii, eorumque descendentes (17). Ex his, qui in primo gradu consistunt, dicuntur filii. Sunt autem: 1. *legitimi et naturales*, 2. *naturales*, 3. *legitimi*. Legitimus et naturalis is dicitur qui ex viro et uxore eius nascitur (18). Quid si controversia paternitatis mota fuerit? Principio sciendum est, foetum edi nono plerumque mense ex quo conceptus fuit, interdum septimo ineunte, nonnumquam decimo pleno (19). Itaque eius qui vel post sextum ab inito, vel ante undecimum mensem a soluto matrimonio nascitur, *is pater est, quem nuptiae demonstrant* (20). Editus, in priori casu, ante, habetur legitimus, dumtaxat, si maritus, vel duxit sciens volens mulierem praegnantem, vel, cum praesens esset, natum protinus non repudia-

(10) C. It. 135. V. C. G. 220, 222.
(11) C. It. 137. V. C. G. 225.
(12) Mazzo. II, 213. Contra Toull. VII, 566.
(13) C. Un. Extr. *De voto*. Et si unus religionem fuerit ingressus altero consentiente, is quoque statum religiosum amplecti debet (CC. 4, 13 *De Convers. Coniug.*; Sanch. M. VII, 33, 24; 41, 2; Reiff. III, 32, 25): vel, si iudicio Ordinarii, incontinentiae suspicione vacat, edere perpetuae castitatis votum (CC. 4, 8, 13. *Eodem*). Et qui transit ad religionem coniuge invito, revocari potest (CC. 3, 12. *Eodem*).
(14) C. 4 *De Tempor. Ord.* in 6°. Potest, ea consentiente, ad ordines vel sacros ascendere, sed mulier necesse habet se obstringere perpetuo castitatis voto; et, si vir fiat Episcopus, religionem intrare (CC. 5, 6 *Eodem*).
(15) V. S. Alph. VI, 969.
(16) L. 51 *De V. S.*
(17) L. 220 *Eod.*
(18) L. 6 *De his qui sui.*
(19) L. 3, § ult., *De suis et legit.*; C. Au. 138, 163. Nempe non ante 180 nec post 300 dies. C. G. 315; It. 161, etc.
(20) L. 5 *De in ius voc.* Nisi aliud sit evidentissimum (L. 6, § 1, *De his qui sui*). Nec obstat filio, si mater adultera fuerit (L. 11, § 9, *Ad L. Iuli. de adult.*; C. G. 313; It. 165; Au. 158): nec si ipsamet eum adulterinum professa sit; nisi talia proferat indicia, quae in foro exteriori satis forent (Lugo *De Iust.* 13, 26), quamvis sit fide dignissima, et iurata, ac moriens id asserat: primo, quia *nulla est causa quae unius testimonio, quamvis legitimo, terminetur* (C. 23 *De Testib.*; Less. II, X, 54; Salm. 10, 9, 46; S. Alph. III, 654, 924): deinde quia nemo meretur fidem, allegans turpitudinem suam (L. 5 C. *De Serv. pign. dato*; C. 8, § ult., *De donat.*).

vit (21): editus, in altero, serius, non habetur legitimus; nisi matris valetudo, et mores, et rerum circumstantiae aliud suadeant (22).

50. Nati extra matrimonium dicuntur filii illegitimi, seu naturales simpliciter (23). Hi, iure civili, a legitimis distant quoad ad iura successionum: iure canonico, sunt irregulares. Qui si orti sunt ex viro et muliere inter quos matrimonium valide coiri non potuisset, iure seu naturali, seu divino, seu canonico, usu iuris canonici appellantur *spurii* seu *nati ex damnato coitu* (24): iure autem civili, ne filii quidem reputantur; etsi non lateat quorum parentum sint (25). Omnes agnosci possunt, et legitimari, praeter spurios (26). Agnoscuntur autem parentum confessione, iure civili, *authentica* (27), iure canonico, vel *simplici et nuda* (28). Agniti legitimantur subsequenti matrimonio ipso iure (29): et ex quo legitimati fuerint perinde habentur, ac si ex iusto matrimonio editi fuerint (30). At agnitus tantum eius dumtaxat filius intelligitur, qui eum agnovit (31).

51. Demum legitimi fiunt per adoptionem. Adoptio est: *Actus*

(21) L. 1. *De Agnosc. Liber;* C. G. 314; It. 161; Zachar. 546, 1.

(22) Voet. 50, 5, 4; Reiff. IV, 17, 23; V. C. G. 315; Ital. 169.

(23) L. 23 *De Statu hom.* Sed licet filio, quamdiu vivit, docere quo ex patre, *scripto* quovis *authentico;* qua ex matre, etiam *indiciis,* editus sit (C. G. 329; It. 177). Et ipso, mortuo, licet heredibus (C. G. 329), et, penes nos, his, vel *liberis,* sed in quinquennio proximo, a maiore aetate, si forte minores fuerint, computando (C. It. 178).

(24) Ex CC. 3, 10 *Qui filii sint legit.;* Less. II, 19, 55. Spurii autem rursus 1° vel *adulterini,* 2° vel *sacrilegi,* vel 3° *incestuosi,* vel 4° *nefarii;* prout nempe ex parentibus, (vel uno eorum) 1° coniugatis; seu 2° obstrictis solemni castitatis voto, vel ordine sacro; seu 3° collateralibus quovis gradu (L. ult. C. *De Ritu Nupt.;* Sanch. M. VIII, 17, 29), vel affinibus; seu 4° demum adscendentibus, et descendentibus nati sunt. Quae cum primis ex matre existimantur (*De Iust.* 1, VI, 550). Iure civili spurii dicuntur omnes illegitimi (§ 2 *De Nupt.*).

(25) Ex C. G. 334, etc.; It. 179.

(26) LL. 5, 10 et Auth. C. *Si quis, De Natur. lib.;* C. 6 *Qui filii sint legit.;* Bened. XIV, C. *Redditae Nobis;* C. G. 331, 334; It. 180, 195.

(27) C. G. 334; It. 181.

(28) C. 10. *De Probat.* Agniti vero agnoscentis (seu patris, seu matris) conditionem sequuntur (L. 19 *De Statu homin.;* C. It. 185).

(29) CC. 1, 6 *Qui filii sint legit.;* L. 10 C. *De Natur. liber.;* C. Au. 161; It. 194. Etiam irrito, si bona fide initum fuit; et vel mediato (Pirhin. IV, 17-36). Sed ex NN. LL. ita demum legitimantur, si parentes eos agnovefint: et iure nostro etiam post contractum matrimonium agnosci possunt (C. It. 197. V. C. G. 331).

(30) C. 6 *Qui fil. sint legit.;* C. G. 333; It. 194; Bened. XIV *De Syno.* XIII, 24, 16. Atque ideo omnium utriusque parentis consanguineorum cognatus fit, iure quoque civili, eisque *agnascitur.* Porro *agnasci* est ius agnatorum, hodie et cognatorum (idest ius successionis) acquirere (L. 12, § ult., *De Ritu Nupt.*).

(31) C. It. 182. Ex C. G. 336. Eique soli, iure civili, cognatus fit.

quo in locum filii adsciscitur is qui natura talis non est. Quae hodie ex cuiusque regionis iure aestimari debet. Ex NN. LL. adoptatus perinde habetur, ac filius legitimus et naturalis eius dumtaxat qui eum adoptavit; eique soli agnascitur (32): nec patris sui naturalis potestati eximitur, nec in patris adoptantis potestatem et familiam transit (33). Adoptio haec perpetua est, et ne mutuo quidem consensu dissolvitur (34).

52. Hoc autem, quoad iura agnationis, distat inter filios legitimos et naturales, naturales tantum (sive legitimatos, sive agnitos), et tantum legitimos: quod *illi* tales habentur ex quo revera concepti fuerunt; *isti* ab inito parentum matrimonio, vel ex eo tempore quo postea agniti fuerint; *hi* ex quo *adoptati* sunt, quasi tunc primum concepti fuissent (35).

53. Iura parentum in liberos profluunt, ex iure naturali et civili. Natura, parentibus (sive legitimis, sive illegitimis) debetur pietas; et patri et matri aequa, et perpetuo, competit (36) Ad haec, potestas parentibus constituta est *etiam circa ea* quae ad spiritualem filiorum salutem pertinent. Et haec quoque competit utrique pariter (37). Qui

(32) C. G. 350; It. 212, 737.

(33) C. G. 348, 349; It. 210, 212. Secus ex C. Au. 183.

(34) Ex C. It. 217. Et ita Gallici quoque I. C. Secus ex C. Au. 185. Iure communi adoptio duplex erat: perfecta, seu plena (adrogatio), qua in adoptionem dabatur homo sui iuris; et imperfecta, seu minus plena (quam, omnia turbans, invexit Iustinianus), qua non sui iuris quis adoptabatur. Per *illam* adoptatus in adoptantis familiam et potestatem transibat; et *agnascebatur,* nedum patri adoptivo, sed et liberis eius in potestate; quorum proinde et cognatus fiebat iure civili. Per *hanc* non item, nisi forte adoptatus fuisset ab avo paterno; sed tantum ad adoptantis intestatam successionem admittebatur. (V. L. 23 ff; L. 10 C. *De adopt,*). Utraque solvebatur filii emancipatione; eaque soluta, omne ius adoptione quaesitum, hoc iure, evanescit; omnis cognatio, praeterquam cum adoptante, finitur. Ex his patet, adoptiones NN. LL. introductas, adoptionibus iure communi imperfectis proxime accedere; quod velim animadverti.

(35) C. It. 197, 204; Zach. 548, 15. Ideo, v. c., legitimatus per subsequens matrimonium non succedit fratri legitimo, ante legitimationem mortuo: contra, revocat donationes a patre antea factas. Et si bona ei sint, quorum usus ructus ad parentes pertinet, his a legitimatione, non antea, debetur: et ideo ante hanc nondum exacti, sui manent (V Toull. II, 930; Durant. III, 188; Mazzoni II, 313).

(36) *Exodi* XX, 12. Porro filios inspicere debemus et qua filii, et qua homines sunt (D. Tho. 2, 2, 57, ad 2): heic de his solum agitur quae parentibus, qua parentibus, competunt; nam in his, in quibus filii quasi *homines* inspiciuntur, cum eis, quasi cum hominibus ceteris, agendum est; ideo non licet, v. c., filio detrahere, furtum facere, etc.

(37) Bened. XIV. Ep. *Probe te,* § 20. Imo et avo (Id. Ep. *Postremo mense,* § 16), et aviae (Cit. Ep. *Probe te,* § 21).

si dissentiant, is praevalet qui filii saluti consulit (38) Haec potestas, in his quae pertinent ad salutem animae, septennio; in his quae ad electionem status, pubertate (39); in his quae ad disciplinam vitae et curam domesticam, emancipatione, si quid opinor, finitur. At in his quae spectant *ad substentationem corporis, et generationem prolis*, filii sui iuris sunt (40).

54. Iure communi patria potestas soli *patrifamilias* (41), sed ex NN. LL. *matri* quoque *familias* (42), *competit;* ideoque in filios legitimos tantum; sive naturales, sive adoptivos (43). Haec exercetur a patre; eoque mortuo, a matre, aequo iure (44); et diducitur in personas, et in res filiorum familias. *In personas:* hoc nomine filius prohibetur, iniussu parentum, se in adoptionem dare (45), et coire nuptias (46). *In res:* ex hoc capite is qui patriam potestatem exercet, filii negotia gerit (47), eiusque bona administrat (48): et fructus eorum, quae ad filium pervenerunt ex causa lucrativa, regulariter, suos facit (49). Filio autem maiore facto, quae a parentibus gesta

(38) Ex C. 2 *De Conv. infid.* Ben. XIV *Postremo mense* §§ 16, 21, 23. Et patre mortuo, si dissentiant Mater tutrix et Avia paterna, haec potior erit. (Cit. Ep. *Probe te* §§ 21, 23).

(39) Ex C. 12 *De Regul.;* D. Tho. in 4. Dist. 38, Quae. 1, art. 1, q. ult., Sol. 3.

(40) D. Tho. 2, 2, 104, 5.

(41) § 3 *De Patr. pot.;* C. 2 *De Conv. infid*

(42) C. G. 373; It. 220. Sed mater ea non utitur, quamdiu ea utitur pater (Zach. § 549; C. It. 46, 220, 330, 331). Quoties igitur heic patrem dico, ex NN. LL., etiam matrem intelligo.

(43) Inst. pr. *De Adopt.;* Zach. l. c.; Ex C. It. 181, 220. Sed. V. Art 66, 184.

(44) C. It. 220, 231. Nihilominus patri morienti fas est matri superstiti praescribere quem velit, in filiorum educatione et bonorum administratione, modum servari (C. It. 235, 1059; C. G. 391).

(45) C. It. 208; C. G. 346.

(46) LL. 2, 3. *De Ritu nupt.;* C. G. 142, 148; It. 63, 108; Austr. 49, etc. Matre autem dissentiente, sufficit Patris consensus (C. It. et G. locis citat., v. III, § 468, n. 4). Alias autem contrahere non prohibentur, sed iure Austr. § 152, sine consensu Patris *obligari* non possunt. Ad haec, parenti postremo decedenti (C. G 397; It. 242) tutoris dandi ius competit.

(47) C. It. 224, 242; Au. 149, 152; G. 389. Hac re, ipse, non filius, iudicio agere et conveniri debet: haereditates filio obvenientes pater, seu mater, adit, confecto inventario; donationes acceptat (C. It. 226, 1059; G. 389, 390).

(48) C. G. 389; It. 224; Au. 149. Sed et sortes exigere potest ex decreto Praetoris, huius arbitrio iterum collocandas. At bona, sive immobilia, sive mobilia, exceptis his quae servando servari non possunt (ut oleum, frumentum) et his quae tempore deteriora fiunt, distrahere vel pignori obligare non potest, nec mutuum accipere, filii nomine; nisi ob evidentem huius utilitatem, vel necessitatem, et ex Tribunalis Decreto (C. It. 224, 225; G. 389).

(49) C. It. 228, 229; G. 384, 387; Au. 149, 150. *Regulariter:* idest, nisi filio donata fuerint, vel testamento relicta ea lege, ne usufru-

sunt, siquidem ex iure, rata manent, licet non utiliter gesta fuerint (50); contra, quae non ex iure, etsi utiliter gesta sint, irrita ab eo fieri possunt (51). Haec potestas solvitur filio emancipato (52), vel maiore facto (53), vel mortuo, ante haec, utroque parente (54). In suspenso est, his interdictis, vel furiosis, vel *absentibus* (55). Amittitur ob crimen, de quo viderint I. C. Soluta patria potestate, filius-familias sui iuris efficitur, et patrisfamiliae nomen subit; sive habeat uxorem et filios, sive non habeat (56).

55. De iuribus filiorum pene expedita res est, tum quoad personam cuiusque, tum quoad res. Nam, quoad *personas*, patriae potestati eximuntur coitis nuptiis, vel maiores facti (§ 54). Quoad *res*, quidquid acquirunt, quoquo modo, sibi acquirunt (57): et eorum, quae sua industria vel labore sibi comparaverint, fructus quoque ad ipsos pertinent, licet sub patria potestate sint constituti (58). Quoad utrumque demum, sive patriae subsint potestati, sive sui

ctus ad parentes pertineat; vel nisi filii, invitis parentibus, haereditatem adierint (Cit. AA.; Auth. *Excipitur,* et L. ult., § 1, *De bon. quae liberi*). Ex *causa lucrativa:* nam, ex iure communi, paterfamilias *omnium* bonorum filiorum usumfructum, habebat. Huiusmodi ususfructus, iure communi, finitur morte patrisfam.; iure italico, emancipatione filii, vel morte, vel exacta minori aetate; demum, patre vel matre ad alias nuptias transeuntibus (C. It. 228, 232; G. 384, 386).

(50) C. G. 1314; It. 1304. Secus ex iure communi.

(51) C. It. 227.

(52) L. 3 C. *De emanc. liber.;* § 3 *Quib. mod. ius patr.;* C. Ital. 220; G. 372; Au. 174. Emancipatur autem, ex NN. LL., ipso iure, coitis nuptiis (C. G. 476; It. 310). Secus ex iure communi et Austriaco.

(53) C. G. 372; It. 220. Secus ex iure comm. et Austr.

(54) Ex Cod. Ital. 47; V. Zachar. § 549, 8. *Utroque,* nam nec vidua illam amittit, tametsi ad alias nuptias transierit (V. C. It. 237): licet in hoc casu a bonorum filii administratione removeri possit.

(55) V. C. It. 329, etc. Vel *Absentibus,* nempe ut in § 37, art. 46, 47.

(56) C. It. 241; V. Zach. § 553; L. 195, § 3. *De V. S.* Porro quaecumque parentibus competunt, iure patriae potestatis, quoad filios legitimos, competunt, penes nos, etiam quoad illegitimos a se agnitos; iure tutelae (ex C. It. 66, 184).

(57) Proudhon I, 123. Iure communi, filius erat *res patrisf.;* ideo quidquid acquirebat, patris erat: serius *peculia* introducta. Peculium dicitur - *quidquid filius a rationibus paternis separatum habet.* - Olim quadruplex erat: 1° *castrense*, ex quaesitis occasione militiae; 2° *quasi castrense,* ex quaesitis professione scientiarum, vel liberalium artium, vel ex aliquo munere; 3° *adventitium,* ex quaesitis propria industria et labore - ex alienis liberalitatibus - ex casu et fortuna; 4° denique *profectitium,* quod, vel ex re patris - vel ex donatis filio, patris contemplatione, - conflatum fuerat. Ex his, castrense, et quasi castrense totum filii; contra profectitium totum patris erat: adventitii proprietas filii, usufructus patris quoad viveret (Cf. Latini *Elem. Iur. Civil.* Lib. II. Tit. IX).

(58) C. G. 387; It. 228, 229.

iuris sint, cum ipso patrefamilias utiliter contrahere (59), et, cum suae aetatis fuerint (§ 34, 11), testamentum facere possunt (60).

56. Restat ut videamus quid iuris sit, si vir et mulier matrimonium irritum contraxerint. Et siquidem utroque nullitatis conscio, matrimonium non intelligitur (61). Sin utroque inscio, quamdiu inscii erunt, perinde habetur quasi validum fuerit; eique interim sua iura constant (62); liberi quoque ex eo suscepti, ante latam divortii sententiam, *legitimi* (63); quin et nati ante illud contractum, eo *legitimati*, ceteris paribus, intelliguntur (64). Sin demum altero sciente, altero ignaro, huic solum constant sua iura civilia; sed filii ex eo matrimonio suscepti legitimi sunt quoad utrumque (65).

57. Quid si ignoretur, num aliquis ex iusto matrimonio natus fuerit, an iniusto? Et 1° si ignoratur utrum parentes eius sint (an fuerint) vir et uxor, si vir mulierem domi habuit quasi uxorem, haec talis reputabitur; *nisi corpore quaestum fecerit* (66); 2° si igno-

(59) Iure communi paterfam. et filiusfamilias pro una persona habebantur; quando igitur nemo secum ipso contrahere potest, hoc iure, si pater aliquid sibi a filio stipulatur, vel filius a patre, nihil agunt (§ 6. *De Inutilib. stipulat.*); civiliter inquam, nam naturali iure uterque obligatur, et obligat (L. 57, § 1, *De Fideiuss.;* L. 13. *De O. et A.;* L. 64. *De Condict, indeb.*).

(60) Iure communi filiusfamilias, ne patre quidem consentiente, testari poterat de peculio adventitio, vel profectitio. De castrensi, vel quasi castrensi poterat, etiam patre invito, eo quod in his quasi paterfamilias habebatur (V. L. 6 *De Testam.*).

(61) C. 10 *Qui fil. sint legit.* C. G. 202; It. 116; Au. 160. Ideoque nec vir, nec uxor, nec dos, nec filii, legitimi intelliguntur.

(62) C. 14 *Qui fil. sint legit.;* C. G. 201; It. 116. Nec inspicitur quodnam impedimentum dirimat matrimonium (C. 14 cit.).

(63) V. L. 57 *De Ritu. nupt.;* CC. 2, 14 *Qui filii;* C. G. 201; It. 116. Immo et post eam latam, si pendente appellatione concepti fuerint (Schmalz. IV, 17, 13). Nec, verius, obest bonae fidei iuris ignorantia (cit. L. 57, Zachar. 460, 6). Verum, in iure Canonico, mala fides praesumitur, si contraxerint matrimonium in gradu prohibito, *neglectis* (non item dispensatis) denuntiationibus (C. ult., § *Si quis vero, De Cland. Desp.;* Trid. XXIV *De R. M.;* 5; Sanch. M. VIII, 25, 32; De Iust. III, 16, 11, etc.): nisi matrim. postmondum ab ecclesia comprobatum fuerit (C. 9 *Qui fil. sint legit.*). Sed in foro conscientiae veritas spectanda est; et si b. f. revera non defuit, recte docet Suar. legitimos habendos esse in foro conscientiae (V. S. Alph. VII, 425). Nec obstat cit. C. ult. § 1, nam de his loquitur, qui *affectatores ignorantiae* matrimonium inire *praesumpserint.*

(64) Ex CC. 2, 14 *Qui fil. sint legit.;* Schmalz. IV, 17, 57; ibiq. Suar., Sanch., Pont., Pirhing, etc.; Contra Zoes., Reiff., etc.

(65) C. ult., § *Si quis* 1, *De Cland. Despon.;* Cit. C. 14; C. G. 202; It 116; V. Schmalz. IV, 17, 18.

(66) L. 24 *De Rit. nupt.;* V. Schmalz. IV, 1, 233. Verum ex NN. LL. haec presumptio locum non habet, quamdiu superest unus ex coniugibus, sed is factum a se matrimonium probare debet. (V. C. It. 117, 118 et 120; C. G. 194, 195 et 197).

ratur quorum parentum sit, quia *in dubiis inspicimus quod plerumque fieri solet* (67), legitimum habendum puto; demum 3° si *expositus* fuit, tametsi quidam existiment hunc illegitimum censendum esse, quia hoc est verisimilius, alii nihilominus contra tenent, quia in dubio benigniora praeferenda sunt: et rectius (68), nam in *dubiis* huiusmodi *iudex debet in bonum et commoda prolis propensior esse* (69).

ART. II. *De Tutoribus et Curatoribus.*

58. His qui propter aetatem, vel animi aut corporis vitium, se suaque tueri nequeunt (si sub patria potestate non sunt), datur tutor, aut curator: inde *tutela,* vel *cura* (1). Utrique adiungitur plerumque concilium, seu *consilium familiae*, quod vocant: et tutori protutor datur, qui, ubi opus est, vices eius gerit (2). Sub tutela sunt minores non emancipati, et interdicti administratione bonorum (§§ 34, 35). Sub cura 1° minores emancipati, 2° maiores qui inhabiles renunciati sunt vel ob inops mentis consilium, vel ob prodigalitatem, vel quia surdi-muti sunt, vel coeci a nativitate (3). Tutor *administratoris* mandato defungitur; et omnia *per se* recte gerit quae intra administrationis fines continentur (4). Cu-

(67) L. 115 *De R. I.;* C. 45 *Eod. tit. in* 6°.

(68) Reiff. IV, 17, 14; S. Alph. VII, 432. Et ita a Gregorio XIV, cautum fuisse, referunt Salmant. (10, 9, 44).

(69) Ben. XIV *Ad Archiep. S. Dominici* § 4 (Bullar. To. I, 213).

(1) C. It. 241, 315, 330; C. G. 402, etc.; Au. § 198. Scilicet, *interest reip. ne quis re sua male utatur* (§ pen. *De his qui sui*). Et competit Marito, Avo paterno, aut materno (cit. aa.): hisque deficientibus, ex C. Au., proximioribus consanguineis.

(2) C. It. 249, 264, etc.; G. 405, 420, etc. Vel *tutelae,* si agatur de illegitimis (C. It. 261). Porro consilium *familiae* appellatur quod filiis legitimis: consilium *tutelae* (penes nos) quod illegitimis, nempe *agnitis* (§ 50), cavet. *Plerumque,* quia cessat si cura sit apud parentes, et quod ad eos qui inhabiles renunciati sunt.

(3) C. G. 389, 482, 505, 513; It. 241, 329, 314, 339, 340; V. § 35.

(4) C. G. 450, 457, 481; It. 277, 296, 318; Au. 188, 243. Quae hos fines excedunt, non item; nisi ex iustissima causa, et de consulto familiae, vel tutelae (C. It. 296; G. 482; Au 233). Eiusmodi vero sunt iure nostro: 1° sortes exigere vel collocare, 2° pecuniam mutuam accipere, 3° res mobiles vel immobiles, nisi quatenus necessitas exigit, comparare, 4° haereditates repudiare, vel adire, donationes onerosas acceptare, 5° elocare praedia ultra novennium, 6° iudicio agere de his, quae extra causam administranionis sunt (C. It. 296, etc.; C. G. 457 etc.; Au. 484). Amplius: si res alienare, vel pignori dare velit, si transigere, compromittere, divisiones sive in iure provocare sive extra ius inire; immo et pecuniam mutuam accipere, consulta familiae, vel tutelae a Tribunali confirmata (homologata) esse necesse est (C. It. 301; G. 457; Au. 482).

rator *adsistentiam,* et velut *auctoritatem* praestat ei qui sub cura est (5).

58bis. Qui sub tutela est nihil prorsus gerere, agere potest. Qui sub cura, is, auctore curatore, siquidem est minor emancipatus, permittitur sortes exigere, et iudicio agere (6): sin est maior renunciatus inhabilis, vel a nativitate aut surdus et mutus, aut coecus (§ 35, 13), omnia prorsus, auctore curatore, facere, agere potest (7). Quae autem *ex iure* geruntur, sive a tutore, sive auctore curatore, non revocantur, licet noxia his, qui sub tutela vel cura sunt, aut fuerunt (8): et, contra, revocari possunt quae utiliter gesta sunt, sed non ex iure (9). Tutori autem, vel pro-tutori, cedi nequeunt actiones quas alius forte habet adversus eum, qui sub tutela est: nec ipsi bona eius utcumque emere possunt; nec, sine consulto familiae, ea conducere (10). Amplius: quamdiu rationes dispunctae non fuerint, inter tutorem et eum qui sub tutela fuit, nulla conventio valet (11); nec si quid is tutori testamento reliquerit, tutor capit, licet ille post dispunctas rationes mortem obierit (12): sed de hoc alibi.

59. Tutela et Cura finiuntur: 1° ex parte tutoris, vel curatoris, ipso excusato, vel remoto, vel mortuo; 2° ex parte eius qui sub tutela, vel cura est, cum minor ad maiorem aetatem pervenerit, aut causa interdictionis vel inhabilitationis cessaverit (nempe illic *ipso iure,* hic *officio iudicis*) (13); aut mortem obierint; 3° si tutor vel curator sub conditione (a parentibus) datus fuerat, vel in diem, his impletis.

ART. III. *De necessitudine.*

60. Necessitudo est: *Propinquitas personarum, natura aut iure, seu civili seu canonico, constituta.* Inde est triplex: naturalis, legalis, spiritualis. Naturalis initium capit ex concubitu viri et mulieris. Diducitur in *consanguinitatem,* et *affinitatem.* Consanguinei dicun-

(5) C. It. 318, 339, 342.

(6) C. It. 318; G. 482. Quae autem tutor sine iudice, ea nec curator sine hoc facere potest (C. It. 319; G. 484.

(7) C. G. 513; It. 339; Au. 269, etc.

(8) C. G. 1314; It. 1304; G. 1450. Contra ius commune, quo laesis dabatur in integrum restitutio. Scilicet NN. LL. cavent contractuum firmitati, et securitati, bona fide contrahentium: et jure prorsus.

(9) C. It. 1300. *Revocari,* nempe per restitutionem in integrum: non enim irrita sunt *ipso iure,* ut, forte minus caute, ait art. 335, exscriptus ex C. Gall. 502; nam interim valent (V. C. It. 1107; C. G. 1125). Iure communi (L. 1. *De minor.*) secus. Scilicet iure nostro restituuntur tamquam laesi: consultius, ad lites praecidendas.

(10) C. It. 300, 1457 § 2; G. 450, 156 § 2.

(11) C. It. 307 § 1; G. 472.

(12) C. It. 769; G. 907.

(13) C. It. 338, 342; G. 512, 514.

tur qui ex eodem stipite veniunt (1). Qui, si per mares se contingunt, *agnati;* sin per foeminas, *cognati,* proprio nomine dici solent (2). Quae heic dicturi sumus pertinent cum primis ad successiones, et matrimonia; sed maxime ad haec.

61. Consanguinitas metitur stipite, gradibus, lineis. *Stipes* vulgo intelligitur is, ex quo ceteri orti progenitique sunt (3). *Gradus* sunt singulae generationes; series generationum, seu personarum a communi stipite descendentium, dicitur *linea.* Quae dispescitur in *rectam* et *obliquam.* Recta est quae complectitur genitores et genitos; utputa (Tab. I) *supra,* patrem, matrem, avum, proavum, abavum etc.; *infra,* filios, nepotes, pronepotes, abnepotes, etc. *Obliqua,* seu *transversa,* vel *collateralis,* est quae continet eos, quorum alter alterum alterius lineae non genuit, sed eos qui ex latere veniunt, idest fratres et sorores, patruos et amitas, avunculos et materteras; quique vel ab istis; vel ab his oriuntur (4). Haec, nisi ultro citroque, non intelligitur: et si consanguinei de quibus quaeritur, aequali gradu distant a communi stipite (velut Tab. I - b, b), *aequalis;* secus (ut b, c), *inaequalis* nuncupatur. *In linea recta* utrumque ius tot numerat gradus quot sunt generationes, dempto stipite (5): in transversa, dempto pariter stipite, ius civile tot gradus recenset, quot sunt generationes utriusque lineae; ius Canonicum quot alterutrius tantum, vel (si lineae sunt inaequales) remotioris (6).

62. Affinitas (Tab. 5) est: *Duarum cognationum, per coniunctionem viri et mulieris, consociatio* (7). Contrahitur, non ex nuptiis,

(1) L. 4, § 1. *De Gradibus;* C. It. 48, etc. Nec distinguitur, utrum ex iusto concubitu progeniti fuerint an ex iniusto (L. 54 *De Rit. Nupt.;* V. Laym. *De Matr.* Par. IV, Cap. III).

(2) § 1, *De legit. agnat. tut.*

(3) Ex L. 4, § 1, *De Gradib.;* CC. 1, 2. Q. 5. Cau. 33; Sanch. M. VII, 50, 3; C. It. 48, etc.

(4) L. 1, *De Grad.* Porro fratres sunt vel *germani,* vel *consanguinei,* vel *uterini:* germani, qui ex eodem patre et matre geniti sunt; consanguinei, quos pater ex alia; uterini, quos mater ex alio genuit. Duorum fratrum filii, *patrueles;* duarum sororum, *consobrini,* quasi *consororini;* fratris et sororis, *amitini* dicuntur. Sed vulgus omnes istos consobrinos vocat. Consobrinorum filii *sobrini* vocantur (L. 3 *Eod.*).

(5) C. *Ad Sedem Apostolicam* 2, Cau. 35, 5. Ideo (Tab. 1), pater et filius uno gradu distant; avus et nepos duobus, proavus et pronepos tribus, etc. (V. C. 2, et L. 1. *De Gradib*).

(6) Cit. C. 2, et C. 9 *De Consang.* Hinc regula: *Gradus remotior trahit ad se propinquiorem.* (C. ult. *Eodem.;* Sanch. M. VIII, 24, 24). Proinde (Tab. 1), duo fratres (a, a) iure civili, 2°, iure Canonico, 1°: duo consobrini (b, b) illo, 4°, hoc, 2°: duo sobrini (c, c) illo, 6°, hoc, 3° gradu distant. Nepos a patruo (b, a) iure civili, 3°, iure canonico 2° gradu remotus est. B. b. 3° canon., 6° civ. gradu distant. Antiquitus, et etiam num apud Orientales, ius canonicum civili cohaerebat.

(7) L. 4, § *Affines, De Gradib.*

Tab. 1.ª

Arbor consanguinitatis



N. Ubi Lineæ conjunguntur ibi Stipes Non tangunt dextros qui stant in parte sinistra

Tab. 2.ª

Duplex cognatio

orem ducit consanguineam e.



Tab. 3.ª

Duplex cognatio

a. ducit duas consanguineas b. c.



Tab. 4.ª

Duplex cognatio

onsanguinei e. g. ducunt

s consanguineas b. c.



Tab. 5.ª

Schema affinitatis



Tab. 6.ª

Schema cognationis legalis



sed ex concubitu, quo vir et mulier fiunt una caro, ideoque perfecto (8): perfectus autem intelligitur si vir intra vas seminarit, etiam muliere non seminante, quia generare valet (9). Omnes igitur et soli consanguinei viri (a, d, l,) fiunt affines mulieri (f); sed ei tantum; et, ex diverso, omnes et soli consanguinei mulieris (b, g, m) fiunt affines viro (e), sed ei solum. Dixi *soli* consanguinei, non item affines seu viri (c, i), seu mulieris (h, n); quia *affinitas non parit affinitatem* (10); dixi mulieris *tantum*, vel tantum viro, quia *affinitas non egreditur copulatos* (11). In affinitate nullus stipes est, nulli proinde neque gradus, neque linea. Nihilominus est quaedam lineae species; eaque vel recta vel obliqua. Recta intelligitur quae continet alterius coniugis (puta e) parentes et liberos (a, l); obliqua quae continet eius a latere (d) consaguineos (12). Quoto autem gradu aliquis est consaguineus uni èx coniugibus, toto eo gradu affinis est alteri (13). Hucusque de consanguinitate et affinitate simplici; verum utraque potest esse multiplex, vel mixta.

(8) C. 3, Cau. 35, 5. Ideoque non ex copula sodomitica (Sanch., *M.*, VII, 64, 13), vel cum eo qui utroque testiculo caret (Sanch., n. 11; De Iust., II, VII, 14; V. § 29, n. 18). Ex C. It. (Art. 52), ex solo matrimonio contrahitur affinitas.

(9) Sanch., n. 21; Pont., *M.*, VII, 33, 2. Nec amplius dubitandum videtur: nam hodie ex physiologia plane constat, mulieri semen ad generandum deesse, quippe cui et organa desunt ad illud elaborandum. Ceterum commixtio seminum numquam non praesumitur (S. Alph., VI, 1075). Contrahitur autem affinitas ex concubitu sive licito, sive illicito (C. 6, v. *Sed nec, De eo qui cogn. cons.;* Trid. XXIV, *R. M.*, 4; Cf. Laym., *De Matrim.*, Par. IV, cap. V.): etiam cum muliere invita, vel ebria, vel dormiente (Sanch., *M.*, VII, 65, nn. 16, 17). Quod autem Sanch., (*M.*, VII, 65, 9) putat, affinitatem ex copula fornicaria non esse naturalem, ex L. 4, § 8, *De Gradibus*, devium est; nam ea lex etiam de consanguinitate id affirmat, et ad iura agnationis (§ 50, n. 30) pertinet (L. 3, *De legit. agnat. tut.*).

(10) Ex C. 8, *De Consang.* Quocirca nemo prohibetur, uxore mortua, fratris eius viduam ducere (De Iust., II, VII, 25). Nec vitricus viduam privigni (e, n), nec noverca privignae viduum (f, i) (Bened. XIV, *De Syn.*, IX, 13, 2). Olim erant et alii duo affinitatis ordines; nam si, v. c., f. - mortuo e. - nupsisset Osio, et subinde - mortua f. - Osius duxisset Cleliam, consanguinei f. illinc Osio fiebant affines, hinc Cleliae (V. Sanchez, *M.*, VII, 67): hos ordines sustulit Innoc. III (C. 8, *De Cons. et affin.*).

(11) L. 4, § *Affines, De Grad.;* C. 8, *De Consang.* Hinc (Tab. V^{a}.) duo fratres (d, e) duas sorores (f, g); et pater et filius (e, l) matrem et filiam (f, m), seu filiam et matrem (C. 5 *Eod.;* Schmalz., IV, 14, 81), ducere non prohibentur.

(12) L. 5 in fin., *De Gradib.* Nomina affinium. In linea recta: – *supra*, socer et socrus (a, b), et, ex diverso, gener et nurus (f, e); *infra* – privignus et privigna (l, m), adeoque noverca et vitricus (f, e); in obliqua, levir et glos (d, g).

(13) Itaque ab (e) 1° gradu lineae rectae distant (b, m), utroque iure; (g) autem 1° lineae obliquae, iure canonico; 2°, iure civili.

63. Et consanguinitas potest esse multiplex ex triplici capite. Nempe: I. (Tab. 2), si quis (d) ex consanguinea sua (e) susceperit liberos (f, g); hi utriusque parentis, et filii et nepotes; ipsi vero et fratres, et sobrini sunt. II. (Tab. 3), si quis (a) ex uxore sua (b), et uxoris suae consanguinea (c), habuerit liberos (d, e); hi fratres erunt consaguinei et consobrini (14). Demum III. (Tab. 4), si duo consanguinei (e, g) ex duabus consanguineis (b, c) procreaverint liberos (f, h); alter ex his (f) erit alterius (h) et consobrinus et patruus (15). Affinitas quoque potest multiplex esse (Tab. 3), nempe si quis (a) ad duas consanguineas (b, c) fuerit ingressus. Non item si cum eadem consanguinea pluries commiscuerit; quia non ex actibus affinitas multiplicatur, sed ex personis (16).

64. Mixta fit cognatio ex consanguinitate et affinitate, si quis consanguineae commisceat, ut ecce (Tab. 2) si (d) cum (e) rem habuerit; ex hoc enim qui mihi consanguinei sunt (a, c) incipiunt esse et affines. Consanguinitas et affinitas vincula naturalia sunt, quae nullo iure civili, aut canonico dirimi possunt (17). Consanguinitas in linea recta, utroque iure, perpetua est: in collaterali, iure canonico, 4°; item et affinitas ex copula maritali; nam ea, quae oritur ex copula fornicaria, 2° gradu finitur (18).

65. Cognatio legalis oritur ex *adoptione* (19), quae, iure canonico, ex jure communi aestimatur tota (20). *Adoptione,* perfecta inquam, quae olim communior, et forte verior sententia fuit; quippe ea sola veri nominis adoptio erat (21). Cumque adoptiones NN. LL. intro-

(14) Et praeterea, d. est nepos et privignus c.; ac demum, e. est huius et filius et nepos.

(15) Ideoque, h. est f. et consobrinus et nepos.

(16) Sanch., *M.*, VIII, 24, 7; De Iust., I, IV, 162; S. C. C. ap. S. Alph., VI, 1138. Scilicet *relationes,* quasi *accidentia,* ex actibus quidem cum alio repetitis, at non repetitis in eodem subiecto, multiplicantur (V. Henriq., Lib. XII, cap. 10, n. 3).

(17) L. *Iura,* 8, *De R. I.* Atque ideo contingunt omnes, infideles quoque (CC. 8, et ult., *De Divort.*).

(18) C. 8, *De Consang.;* Trident. XXIV., *R. M.*, 4. Consanguinitas iure communi 7° gradu civili (*facie*) pleno finitur (C. 4, *De Gradib.*); quo jure orientales semper usi sunt (V. C. 2, Cau. 35, 5), et utuntur.

(19) § 1, *De Nupt.;* C. 1, *De Cognat. leg.*

(20) Bened. XIV, *De Syn.,* IX, 10, 5. Sane S. C. de Pr. Fi. consulta, an contraheretur ex adoptione inita iuxta leges Tonghini occidentalis, quae a iure communi plurimum distant, respondit negative, 14 Ian. 1802 (Collect., n. 869).

(21) V. Sanch., *M.*, VII, 63, 9; Laym., *De Matr.*, P. IV, C. VII, n. 3; Schalmz., IV, 12, 19; Pirhin., IV, 12, 4; S. Alph., VI, 1027. Scilicet, hoc jure, qui adoptatur his tantum agnascitur, quibus cognatus fit (L. 12, § ult., *De Rit. Nupt.*); idest patri adoptivo, et his qui sub patria potestate eius sunt (L. 55, *De R. Nupt.*). Aliud putant Tolet. (VII, 4, 7), Pont. (*M.,* VII, 41), Reiff. (IV, 12, 10), ex L. 14, *De Ritu nupt.* Et recte (sed

ductae ab hac longe recedant, non immerito dubitatum est, num ex eis oriatur cognatio legalis (quae videlicet matrimonium dirimat): sententia communior affirmat, ex responso S. Poenit. 17 Maii 1826 (22); minus communis negat, quia cognatio legalis ex eo iure metiri debet, ex quo in ius canonicum transiit (23). Mihi, inter adoptantem et adoptatum oriri semper ex iure (canonico), verius est, quippe is illi agnascitur. Item et inter fratres tenendum puto; non ex iure (civili, quod has nuptias vetat), sed ex ratione iuris (canonici): scilicet adoptatus plerumque, ex receptis moribus, transit in domum, et familiam adoptantis: haec autem cognatio ideo et inter eos introducta fuit, ut pudori simul inhabitantium, vetitis inter ipsos nuptiis, consuleretur (24). Sed optandum est, ut haec S. S. oraculo definiantur.

66. Cognatio spiritualis introducta fuit iure canonico (25). Profluit ex baptismo et confirmatione. Contrahitur hodie, ubi Conc. Trident. viget: I. inter baptizantem (vel confirmantem) et baptizatum (vel confirmatum), baptizatique (confirmative) patrem et matrem; II. inter patrinum et baptizatum (vel confirmatum), ex una

non ex hac lege), nisi haec turbasset Iustinianus (§ 51, n. 34). Et probabilis Nostris haec sententia est (Salm., 9, 12, 40); et S. C. C. in celebri *Hortana Dispensationis,* 25 Sept. 1734, his adhaesisse videtur (*Thesaur. Resolut.,* To. VI, p. 364). Cui proinde, ante contractum matrimonium, omnino standum est. Nostris et Canonistis communissime triplex est cognatio legalis, nempe paternitas, fraternitas, et affinitas (V. Tab. 6). *Paternitas,* in linea recta, inter adoptantem et adoptatum (c, r); adoptatique liberos (u, v), quos is habet in potestate (L. 27, *De Ritu Nupt.*). *Fraternitas,* in obliqua, inter adoptatum et liberos adoptantis; sive legitimos et naturales (h, r), quod nemo dubitat; sive legitimos tantum (m, r) (Ex L. 23, *De Adoption.*), quod Nostri communius negant (Sanchez, VII, 63, 28); non item cum illegitimis, nec cum emancipatis (n, o), nec cum fratribus, aut sororibus, aut parentibus (Ex cit. L. 23; Vinn., in § 1, n. 3, *De Nupt.*) adoptantis (b, e, a). Sed *affinis* (adoptato), adsit reverentia vero, *omnino in ea familia nemo est* (L. 4, § penul., *De Gradib.;* Gonzal. in C. un., n. 9, *De Cogn. legali);* ideo nulla prorsus necessitudo contrahitur inter adoptantem et uxorem adoptati (c, s), nec inter adoptatum et uxorem adoptantis (r, d): licet, hoc iure, nuptiae inter eos (L. 14, *De Ritu Nupt.*), prout inter adoptatum, et sororem (L. 12, in fi., *Eodem*), vel amitam, aut materteram (§ 1, *De Nupt.*) adoptantis, constare non possint.

(22) Carrière; Bouvier; Scavini, III, 785; Del Giovine, *De Dispensat. Matrim.,* To. I, § 221, 5; De Angelis, *Praelect. Can.,* IV, II, 3.

(23) Andrè; Corbier; Gury, II, 809. Haec sententia ex iure verior videtur. Verum quia, nedum S. Poenit. pro Gallis, sed Suprema quoque Congreg. S. U. I. (23 Feb. 1853) idem censuit pro Regno utriusque Siciliae, dicendum fortasse videtur, S. Sedem tacite probasse cognationem his legibus introductam, ne matrimonia perturbarentur.

(24) D. Tho., Supplem., 57, 2.

(25) C. Un., *De Cognat. Spirit.*

parte; et eius parentes naturales, etiam illegitimos (non adoptivos), ex altera (26). Nec inter alios contrahitur (27). Et is qui baptizat, illam contrahit in baptismo quoque privato; non item patrinus, quae verior sententia est (28). Et haec quoque multiplex esse potest: multiplicatur autem non ex personis, sed ex sacramentis (29), vel si duo invicem alter alterius filios tenuerint (30).

CAPUT III.

DE PERSONIS QUOAD SOCIETATEM.

67. Adhuc de familiis; ex his coalescit societas generis humani. Quae ex Sacerdotio et Regno (velut homo ex anima et corpore) conflata est, quasi duabus formis invicem distinctis, tum naturali iure tum divino (1); ut merito velut duas societates esse dixeris, nempe *Ecclesiam* et *Civitatem*. Quarum altera in aeterna, altera in temporalia negocia incumbit; utraque in hominum felicitatem (2), ac denique in gloriam Dei Altissimi, quippe *omnia creavit Deus in gloriam suam* (3).

68. Principio igitur utraque haec societas Deum habet auctorem; a quo utriusque moderatores potestatem accipiunt; *non est enim potestas nisi a Deo* (4). Hanc potestatem Ecclesiae ab ipsomet Deo

(26) Sanch., *M.*, VII, 54, 15. Ideoque contrahitur inter coniuges, si forte alter eorum filium communem in necessitate baptizet (C. 2, *De Cognat. Spirit.*), vel teneat in confirmatione filium alterius coniugis, forte vidui (Baruff., ad *Rit. Rom.*, Tit. *De Patrinis*). *Ubi* etc.; alibi enim disciplinae, quae in unaquaque regione viget, standum erit. (Instr. S. C. *De Prop.*, 21 Mart. 1774).

(27) Trid. XXIV, R., 2. Ideoque nec a coniuge baptizantis, nec a coniuge patrini (S. Pius V, Mp. *Cum illius vicem*); nec inter ipsos patrinos (Sanch., *M.*, VII, 54, 12) contrahitur.

(28) Sanch., *M.*, VII, 62, 9, etc.; Laym., *De Bapt.*, IX, 5; Filiucc., X, Par. II, 197.

(29) Reiff., IV, 21, Appen. *De Dispens.*, n. 201; Schmalz., IV, 16, 208. V. c., si Caium in baptismo et confirmatione, non item si plures Seii filios in baptismo, vel confirmatione, tenueris (De Iust., I, IV, 170). Quod mihi subdifficile est (V. § 63, n. 16).

(30) Sanch., *M.*, VII, 54, 16; De Iust., n. 171; Reiff, loc. cit.

(1) II *Paralip.*, XIX, 2; Matth., XXII, 21; Gelas. PP., Ep. 8, ad Anastas. Imper.

(2) *S. Isid. Pelus.*, Lib. 3, Epist. 249.

(3) Isai., XLIII, 7; *Prov.*, XVI, 4. *Soli Deo honor et gloria.*

(4) *Roman.*, XIII, 1. Qua qui pollent, *ministri eius dicuntur (Sap.*, VI, 5), ab Eo praepositi *in unamquamque gentem* (*Eccli.*, XVII, 14); qui proinde *non hominis exercent iudicium, sed Domini* (II *Paralip.*, XIX, 6).

immediate datam fuisse, de fide est (5). Nec aliunde eam accipiunt qui in civitate imperandi ius habent (6); quamvis voluntate iudicioque multitudinis, cum id licet, delecti fuerint; *eo enim delectu designatur Princeps, non conferuntur iura principatus: neque mandatur imperium, sed statuitur a quo sit gerendum* (7). Cumque utraque haec societas perfecta sit, tum natura, tum iure divino, utramque potestatem perfectam esse oportet, ut fine quaeque suo potiri valeat (8). Utriusque autem potestatis fines Christus ipse discrevit (9); et alteram R. Pontifici et Episcopis credidit; alteram Principibus Civitatis (10). Utrisque supremam; scilicet, ne altera ab altera praepediretur; quarum proinde *altera in spiritualibus; altera in temporalibus, superiorem non agnoscit* (11). Verum uti anima corpori, et felicitas aeterna temporali felicitati praestat, ita Ecclesia Civitate praestantior (12), immo potior est (13). Ceterum cum

(5) Pius VI, Const. *Auctorem fidei,* Prop. 2.

(6) SS. D. N. Leo PP. XIII, Encycl. *Immortale Dei,* 1 Nov. 1885.

(7) Leo XIII, Encycl. *Diuturnum,* 29 Iunii 1881.

(8) Pius IX, *Syllab.,* 19, 20, 34. Quo igitur iure Principes civitatum conscribunt milites, qui remp. tueantur; magistratus constituunt, qui inter cives ius dicant, et facinorosos coerceant; eodem iure Principes Ecclesiae clericos ordinant qui altari deserviant; iudices statuunt qui inter Clericos ius dicant, et in *promptu* habeant *ulcisci omnem* fidelium *inobedientiam* (I *Corinth.,* IV, 21), *coercendo, cogendo* (Bened. XIV, Br. *Ad assiduos,* an. 1755; Pius VII, cit. Const., Prop., 4), *vim inferendo* (Pius IX, *Syllab.,* 24, 26). Utque illi iure suo excitant Collegia, Universitates, etc.; ita et hi Pia Sodalitia, Clericorum Congregationes, Regularia Instituta, etc. Utque Civitati suae aedes, arces, etc.; ita et Ecclesiae sua templa, oratoria, etc. esse debent. Utque demum Civitas, ita et Ecclesia, suis suorumque necessitatibus prospiciendo, bona temporalia possidet; vectigalia, tributa suis illa civibus, haec fidelibus indicit (V. *Syllab.,* 28-32, 36).

(9) Matth., XXII, 21; Gelasius PP., Epist. Ad Anastas. Imperat.

(10) Matth., XXVIII, 18; *Roman.,* XIII, 1; I Petri, II, 13.

(11) C. 13 *Qui filii sint legit.; Syllab.,* 28, 29.

(12) CC. 5, 6, *De Maiorit. et obedien.;* C. 3, *De Iudiciis.*

(13) Extr. *Unam Sanctam, De Maiorit. et obedien.* in 6°; *Syllab.,* 24, 27. Et quando Ecclesia toto patet terrarum Orbe (Marci, 16, 15), palam est, non Ecclesiam in regnis, sed regna in Ecclesia contineri.

Hi autem quibus divina sordet revelatio, si ius naturale ipsos non fugit, fateantur oportet, utramque hanc societatem pro natura hominis constitutas, alteram ab altera separatam esse; et praestantiorem et potiorem esse eam, quae negocia moderatur quae ad ultimum finem pertinent. E' TROPPO ASSURDO (ita peracute et sapientissime Emus Pecci, hodie Leo XIII) CHE CHI HA CURA DELL'ULTIMO FINE SIA SOGGETTO A COLORO, CHE SOVRASTANO AI FINI INTERMEDII, PER RAGGIUNGERE L'ULTIMO FINE (*Epist. Pastoral. ad clerum et populum Perusin.,* 12 Februar. 1860. *Leone XIII ed il potere temporale dei Papi;* Roma, 1888).

utraque ab eodem principio manat, et ad eumdem finem tendat (§ 67), mutuo foveri debent (14): et mutuo olim fovebantur.

69. Potestas huiusmodi hodie *iurisdictio* dici solet, ampliata huius vocabuli significatione: sed et ea potestas, quae a societatis moderatoribus in eos diducitur, qui publicis muneribus funguntur, iurisdictio appellatur. Iurisdictio, regulariter, sine territorio aliquo non intelligitur; ideo iuverit ante omnia de hoc attingere quae ad rem nostram facere possunt.

70. Itaque territorium est: *universitas agrorum in qua quis muneris alicuius publici obeundi potestatem habet* (15). Et in personas quae in eo versantur, in res quae eo continentur, et in actus qui cum aliqua iuris solemnitate in eo obeuntur, diducitur. Et duobus apprime regulis regitur. Prima haec est: unicuique potestas competit in proprio territorio, regulariter; privative quoad alios. Dixi regulariter, quia excipiendae sunt personae et loca exempta: *personae* exemptae a potestate Ordinarii sunt, cum primis, viri Regulares: *loca*, eorum monasteria, quae verior sententia est (16): et quoad utrumque, abbates improprie dicti *nullius dioecesis,* si haec exemptio eis vel expresse R. P. privilegio concessa, vel consuetudine immemorabili quaesita fuit (17). Altera haec: qui in aliquo territorio potestatem habet, si eo excesserit, privatus homo est (18).

Denique ab his, qui nec naturae iudicia sequuntur, sed opinionum deliramenta, quique omnem potestatem hauriunt a populi voluntate, et quodam quasi mandato, quaerimus: si utraque haec potestas populi voluntate constitit, et seorsum constitit (semper enim, et ubique, iura et officia sacerdotum, a iuribus et officiis magistratuum separata fuerunt), quo iure hi qui rem publicam gerunt, fines mandati sui praetergressi, Ecclesiae iura invadunt, perturbant, pessumdant? (V. cl. Cavagnis, *Nozioni di dritto pubblico,* etc., Art. II. Roma, 1886).

(14) C. 1, *De Novi oper. nunciat.*

(15) Ex L. 239, *De V. S.* Praelatis Regularium nullum territorium est; atque ideo in subditos quisque suos ubique terrarum suam potestatem exercet (Silvest., V. *Excomm.,* II, 15; Sanch., *Dec.* VI, 8, 33; Salmant., 10, 1, 103; S. Alph., VII, 20).

(16) Ex Trident., XIV, R., 5; Sayr., I, VI, 40; S. Alph., I, 156 in fin.: VII, 24.

(17) Bened. XIV, Const. *Apostolici Muneris,* § 2 (Bullar., I, 76). Dixi *improprie* etc.: scilicet triplex genus eorum est; nam quidam solis monachis praesunt in aliquo Coenobio, vel Monasterio: alii iurisdictionem habent in clerum et populum alicuius loci positi intra fines alicuius dioecesis, a qua locus iste undique circumscribitur: alii demum territorium habent, a cuiusvis Episcopi territorio avulsum et penitus separatum: illi Abbates simpliciter, isti improprie *nullius* vel simpliciter *nullius,* hi *vere nullius* (dioecesis) dici solent: *illi* exempti sunt a iurisdictione Episcopi, qua sunt regulares, *isti,* ex privilegio, *hi,* quia et ipsi vere sunt Ordinarii (Cf. Bened. XIV., *De Syn.,* II, 11, 2, etc.).

(18) L. 3, *De Offic. Praesid.* Idem iuris est si consistat in loco exempto (C. 1, *De Privil.,* in 6°).

Hoc eo spectat, ne in alieno territorio eos actus obire, expedire possit, qui aliquam iuris solemnitatem desiderant (19). Sed iure canonico permittitur his defungi, consentiente eo qui in illo territorio potestatem habet (20): immo Episcopus, qui a sua dioecesi vi detrusus fuit, gerere permittitur quidquid ad regimen suae dioecesis pertinet, petita, etsi non obtenta, licentia Ordinarii eius loci (21). His praemissis, transeamus ad iurisdictionem.

ART. I. *De iurisdictione.*

71. Hoc vocabulum, vi sua, *iuris dicendi*, idest iudicandi, potestatem significat. Sed iure canonico, et hodie etiam civili, latissime acceptum est: ideo iurisdictio communiter definitur: *Potestas publica circa aliorum regimen et gubernationem* (1). Cohaeret officio superioris, et iudicis; quorum actus *proprie* iurisdictionis sunt, quod belle Suar. animadvertit, et in ligando et solvendo, et coercendo posita est (2). Nihilominus, lata significatione, iurisdictio dicitur et ea, quae ad actus et valide et licite, et ea quae solum ad eos licite ineundos, necessaria est (3). Nobis heic de priori tantum. Quae definiri potest: *Potestas iure publici muneris competens, ad gubernandum concessa, sine qua nonnulli actus valide exerceri nequirent* (4). *Potestas;* quod loco generis est. *Competens iure,* etc., ut secernatur ab ea, quae a Nostris dicitur *dominativa,* quaeque etiam privatis hominibus inest, v. c., domino, patri, marito (5). *Ad gubernandum,* ut distinguatur a potestate ordinis, quae ad san-

(19) Ex Trident., VI., R., 5; Salm., 10, 1, 105. Ut ecce jus dicere, ordinare, confirmare, pontificalia exercere, etc. - Secus si nullam solemnitatem desiderant: utputa conferre beneficia, absolvere a censuris. Et parochus potest, extra suam parochiam, matrimoniis suorum interesse quasi testis, confessiones eorum excipere, etc. (V. L. 2, *De Offic. Procons.*).

(20) C. 3, Cau. 9, q. 2. Non tamen, si quid inter aliquos decernendum sit, partibus invitis (LL. 1, 2, *De Iudic.;* Salm., 10, 1, 105; S. Alphon., VII, 21).

(21) Clem. Un., *De foro compet.*

(1) Pirhing., I, 31, 1; Reiff., I, 29, 3; Molina, *De Iustit.,* Tr. V, Disp. 2; Laym., *De legib.,* Cap. V, n. 1.

(2) Suar., *De Censur.,* 14, 1, 2. Superioris est, ferre leges, in eis dispensare, munera publica decernere, etc.: iudicis est, de causis cognoscere, mandata, decreta, sententias ferre, etc.: utriusque, poenas infligere. Iure communi, coercendi potestas vocatur *imperium.* Quod in merum et mixtum diducitur: merum est *ius gladii;* mixtum est *modica coercitio,* quae iurisdictioni est *admista;* scilicet, ne haec alias inutiliter data videatur (L. 5, *De Offic. eius cui mand. est. iurisd.;* V. Laym., *De Legib.,* V, 8).

(3) Suar., *De Censur.,* 26, 4, 19.

(4) Ex LL. 1, 8, 9, *De Offic. Procons.;* L. 20 *h. t.* (*De Iurisdict.*).

(5) Laym., Tr. *De Legibus,* Cap. V, n. 1.

ctificandum pertinet. *Sine qua,* etc., nam actus qui sine ea valent, ut baptizare, aegrotos inungere etc., magis iuris, vel officii, vel muneris nostri, quam iurisdictionis esse dixerim (6).

72. Omnis iurisdictio dispescitur vel ex obiecto, vel ex origine. Ex obiecto, est vel contentiosa, vel voluntaria. *Contentiosa*, quae exercetur inter eos, qui in iudicio contendut (7): quae non sic exercetur, est *voluntaria* (8). Illa nemo potest uti in causa propria (9), hac potest (10), nisi obstet lex, vel res ipsa (11). Ex origine, est vel ordinaria, vel delegata: *ordinaria* dicitur quae cohaeret officio, vel beneficio, cumque eo nanciscitur (12); *delegata* quae mandatur ab eo qui ordinariam habet (13). Illa profluit ex lege (14), vel consuetudine (15), et *munus proprium* est: quocirca mandari alteri potest, nisi lex vetet (16). Haec datur ab homine, et est species man-

(6) Ex cit. L. 20; Cf. Berardi *Comm. in Ius Eccl. univers.,* Dissert. I, Cap. I, pr. Et ideo dicimus, Parochos nullam in foro externo iurisdictionem habere. *Haec iurisdictio* aliquam *notionem* desiderat: quin iurisdictio a I. C. definitur: *Notio iure magistratus competens* (Cuiac., *Parati. Ad Tit. De iurisdict.;* Heinecc., *Inst.,* § 1318). Notio est ius cognoscendae rei de qua agitur, et super ea decernendi.

(7) Ex L. 2, *De Off. Procons.*

(8) Heinecc., *Ad Pand.,* 1, 249; Reiff., I, 29, 8. Velut *adoptio,* irrogatio censurarum per modum praecepti; quamvis exerceatur in invitum.

(9) L. 10, *h. t.* E. g., sibi ius dicere.

(10) L. 2, *De Offic. Praesid.;* LL. I, 2, *De Off. Praet.;* C. 44, *De Poenit. et remiss.;* Suar., *De Voto,* 6, 11, 2; Reiff., III, 7, 99. Nempe, dispensando vel concedendo. Et vel *indirecte* uti potest, ut ecce si Episcopus in sua dioecesi dispenset ab aliquo ieiunio; nam ipse quoque potest ea dispensatione uti. Vel *directe,* veluti si, ex iusta causa, hodie seipsum dispenset a ieiunio, vel ab horis Canonicis, vel in votis (Salm., 10, 1, 43; S. Alph., I, 183. Cf. Sanch., *M.,* VIII, 3, ubi latissime). Et ipsa quoque S. C. C. censuit, Episcopum, qui in aliquod reservatum incurrit, a quo ipse potest absolvere, posse Confessarium, a quo absolvatur, deputare (Suar., *De Poenit.,* 30, 2, 15; Lugo, *De Fide,* 23, 61; Filiucc., 20, 272).

(11) Ex C. 7, *De Instit.;* C. 26, *De Iurep. – Lex,* veluti beneficium sibi conferre: *res ipsa,* puta seipsum censuris absolvere, quia nemo potest esse reus et iudex (D. Th., *Suppl.,* 22, 4).

(12) Ex L. 7. in fin,, *De Off. Procons.* Licet temporaneum sit officium, utputa Vicarii Generalis, vel Oeconomi Curati.

(13) Ex LL. 5, 6, *h. t.;* C. ult. *De O. O.*

(14) V. Schmalz., I, 32, 8.

(15) C. 1, § 2, *De Foro Comp.* in 6°; S. Alph., VI, 573.

(16) L. 5, *h. t.;* C. ult., *De O. O.* Et vel universa mandari potest (L. 17, *Eod.;* Ex C. 27, § 2, *De O. D.;* S. C. C., 12 Sept. 1874; contra Sanchez., *M.,* III, 31, 12, id negantem ex L. penult., *De Offic. Praesid.,* quae huc non pertinet); dum ne in officio suo alium substituat (C. 4, *De O. V.*), nisi forte ad modicum tempus (Reiff., I, 28, 54); idest ad duas tresve hebdomadas (Ex C. 29, Cau. 7, 1; Sanch., *M.,* III, 31, 12). Dixi *nisi lex vetet;* uti hodie Parochis vetat iurisdictionem delegare ad confessiones sacramentales excipiendas.

dati (17); qua proinde qui praeditus est, *proprium nihil habet, sed eius qui mandavit iurisdictione utitur* (18). Nihilominus, quia id publice interest, delegatus non potest eam, iniussu delegantis, subdelegare (19). At eam quae mandatur a Principe (quia is, delegando, eum cui delegat magistratum et quasi legatum suum facit) subdelegari posse, nisi electa fuerit industria personae, expresse vel tacite, non incerti iuris est (20).

(17) L. 16, *h. t.;* C. 1, *De O. D.*

(18) L. 1, § 1, *De Offic. eius cui mand.* Quamobrem si plures eadem iurisdictione delegata gaudeant (v. c., Nuncius Apostolicus, et simplex confessarius) absolvendi a reservatis R. P., nihil refert, utrum quis ab illo, an ab hoc absolvatur, secus ac nonnulli existimarunt (V. Lugo, *De Poenit.,* 20, 221). Proprium *nihil* habet, sed hoc accipiendum est cum grano salis; etenim iurisdictio, verius, transfertur in delegatum (cit. § 1). Et ideo inidoneis (secus ac mandatum) delegari non potest; et delegantis et delegati non est (secus ac mandantis et mandatarii) una eademque persona; ac proinde a delegato appellatur ad delegantem (L. 4, C. *Quemadmod. et quando iudex;* C. 27, § *Porro De O. D.*), et a subdelegato ad delegatum (Reiff., II, 27, nn. 29, 61), nisi is totam sibi mandatam iurisdictionem subdelegaverit, quia, totam subdelegando, ea se abdicat (V. n. 20).

(19) L. 5 *h. t.;* C. 62, § ult., *De Appellat.;* C. 12, *De O. D.* in 6°; Laym., *De Poenit.,* 10, 12.; Suar., *De Censur.,* VII, 2, 9. In quo iterum distat a mandato, quod, quia a privatis privata negocia geruntur, potest subdelegari. Nihilominus subdelegare potest ea, quae ad instruendum delegatum pertinent (Ex C. 27, § 1, *De O. D.;* Sanch., *M.,* III, 31, 10; Engel, I, 29, 15; Reiff., I, 22, 64): v. c. recipire a partibus iuramentum, examinare testes, etc. (Clem. Un., *De Offic. Deleg.*).

(20) L. 5 C., *De Iudic.;* CC. 3, 43, *De O. D.* - *Magistratum facit* (Donell., To. IV. Lib. XVII, Cap. VIII, § 27; Voet, 1, 21, 12): atque ideo iurisdictionem quasi ordinariam facit (*quasi,* nam qui ordinariam habet, delegare potest cum facultate subdelegandi, non item delegatus a Principe. Sanch., *M.,* III, 31, 9). *Nisi electa* etc. (C. 43. *De O. D.*) *expresse,* ut ecce si iusserit delegato negocium *per se,* vel *personaliter* expedire (cit. C. 43; *Reg. Canc.* 48; ibiq. Rigant., n. 20): *tacite,* si dixerit, v. c., *se ei committere negocium difficile et arduum* (Ex C. 3, *De O. D.*; De Rosa, *De Exequut.*, etc., II, 5, 22; Corrad., *Praxis* etc., IX, 5, 33). Non item si dixerit, *prudentiae tuae, de qua specialiter confidimus* (Sanch., *M.,* VIII, 27, 43; De Iustis, I., VI, 314); vel, *conscientiam tuam onerantes* (Navarr.; Garz., *De Benefic.,* VI, II, 100, qui ita a S. C. C. decisum fuisse testatur, n. 103). Itaque delegatus a Principe negocium sibi commissum subdelegare potest alii; et, verius, etiam sine causa (quod iuri conformius esse fatetur vel ipse Engel, 1, 29, 8), et totum (Ex C. 27, § 2, *De O. D.*). Verum totum subdelegando, eo ipse se abdicat; ideoque, si a iudicio subdelegati appellandum sit, non ad delegatum, sed ad delegantem appellandum erit (Ex cit. § 2; Gonzal., in C. 3, n. 3, *De O. D.;* Rosa, *De Exequut,* etc., II, V, nn. 8, 9; Eng., n. 9).

Verum haec ita, si mandata fuerit *iurisdictio,* non si *nudum ministerium;* hoc enim subdelegari non potest (Felin.; Menoch.; Sanch., *M.,* VIII, 27, 43; De Iustis, I, VI, 313). Nudum ministerium dicitur, nudum factum, sine causae cognitione, alteri demandatum (Sbroz., *De Vic. Epis.,*

73. Inter ordinariam et delegatam tenet ea iurisdictio, quae dicitur *delegata ad universitatem causarum.* Habetur cum mandatur vel omne, vel certum aliquod genus negociorum (21). Haec vel a iure est, vel ab homine (22). Quae est a iure cohaeret officio; ideo, ex regulis iuris Canonici, est vere ordinaria (23). Quae datur ab homine, siquidem datur officio, vel cum officio, ordinariae iure censetur, nempe quatenus officio cohaeret (24); sin absque officio, non item; et planum est (§§ 71, 72). Illa delegari potest, haec secus (25).

74. Iurisdictio 1° danda est ab eo qui illam habet; *expeditam*, inquam (26): et is debet illam dare *sciens volens;* data per erro-

II, 34, 4; Sayr., II, 20, 13; Reiff., 1, 29, 157), ideoque in *nuda* (Sanch., *M.*, VIII, 27, 14) et *mera* (Ferraris, v. *Delegatus*, n. 23) exequutione, citra omnem cognitionem (C. 27, v. *Nos autem, De O. D.*), positum est; velut beneficii resignationem acceptare, praedicare indulgentias (C. 43, § ult., *Eod.*). Licet forte in ligando aut solvendo positum sit (Laym., Lib. V, Tr. IV, Cap, X, n. 14): velut excommunicare aliquem, vel a censuris absolvere, vel eum irregularibus dispensare (cit. § ult.); dummodo nullam cognitionem desideret (C. 27, pr. *Eod.;* V. Garz., l. c., n. 108): nam si aliquam notionem desiderat, magis iurisdictio (§ 71, n. 6), quam nudum ministerium intelligitur; velut examen testium (Clem. un., *De O. D.*); vel si iussus fueris Osium in beneficio instituere, si idoneum repereris (Cit. Clem. un.).

(21) Reginald., I, 50. V. c., potestas absolvendi a censuris reservatis, dispensandi ab irregularitatibus ex defectu natalium, decidendi causas sponsalia vel decimas respicientes; licet haec locis aut tempore definita sint, v. c. quae in tali oppido occurrerint, vel hoc anno (Sanch., *M*, III, 31, 4),

(22) Reiff., I, 29, 33. A iure, ut Clem. I., *De suppl. negl. Prael.*

(23) C. ult., *De O. O.;* Ben. XIV, C. *Ex gravissimo;* Engel, I, 29, 4; Suar., *De Legib.,* VI, 15, a n. 1; S. Alph., VII, 90. V. c., iurisdictio data Episcopis absolvendi a casibus occultis R. P. reservatis (S. Alph., VI, 566; VII, 243) quamquam haec *delegata* dici nequeat.

(24) Ex L. 12, *De Iudic.;* C. 2, *De O. Leg.* in 6°; Laym., *De Poenit.*, 10, 13. Cuiusmodi est ea, v. c., quae decernitur Legatis, aut Vicariis Apostolicis, Oeconomis Paroeciarum, vel his, quibus ipsimet Parochi discessuri, suas vices (Sanch., *M.*, III, 31, 14; S. Alph., VI, 566), etiam ad breve tempus (Lugo, *De Poenit.*, 19, 16), committunt. *Quatenus.* etc. et hoc planum est: heinc, v. c., Oeconomus facultatem celebrandi matrimonia aliis subdelegare potest; facultatem absolvendi a reservatis, quam forte accepit ab Ordinario, non potest.

(25) L. 1, *Quis et a quo;* V. Laym., l. c. S. Alph., VI, 566. Verum Sanch., (*M.*, III, 31, 2) et Reiff. I, 29, 62) non utuntur hac distinctione;sed res plana esse videtur: illi enim de ea delegatione loquuntur, quae sine ullo officio datur, cuiusmodi est ea qua Regulares absolvere olim poterant à casibus R. P. reserv.; hi de ea quae datur cum officio, v. c., decidendi omnes causas decimas respicientes, nam qui sic delegat quasi magistratum facit, et ideo delegat cum officio.

(26) Ex C. 12, *De except.;* C. 1, *De O. V.* in 6°. Scilicet, *nemo plus iuris ad alium transferre potest, quam ipse habet* (L. 55, *De R. I.*): sive, ut vulgo dicimus, *nemo dat*

rem (substantialem), nullius momenti est (27); datam ex metu, ratam esse est communius et verius (28). 2° Capaci danda est: sunt incapaces cuiuslibet iurisdictionis, naturali iure, qui mentis impotes sunt (29); ecclesiasticae incapaces sunt, iure divino, foeminae (§ 29, 14), et non baptizati (30); canonico, laici (31). Demum 3° is cui datur debet eam acceptare, expresse, vel tacite (32). Et si datur absenti, non antea data mihi intelligitur, quam cum id a te *directe* mihi, vel Procuratori meo, fuerit renunciatum (33). Quamobrem, si medio tempore retractaveris voluntatem, nihil erit actum (34): sed haec planius alibi.

75. Nunc videamus quemadmodum sit exercenda. Principio igitur contentiosa exerceri debet in proprio territorio, ut valeat: voluntaria ubivis exerceri potest (35). Unaquaeque autem exercenda est in suo foro (V. § 25). In iure canonico, quidquid conceditur pro foro externo, sive, uti aiunt, *in foro fori*, valet, regulariter, etiam

quod non habet; seu *rem*, seu rei usum et exercitium (C. 24, Cau. 1, 7). *Expedita* autem iurisdictio penes eum esse dicitur, qui non prohibetur ea uti; prohibentur autem *nominatim* excommunicati, vel suspensi.

(27) L. 15, *h. t.;* L. 2, *De Iudic.* - *Errantis nulla voluntas est* (Ex L. 117, *De R. I.*); veluti, si in persona erratum sit. Error accidentalis non obest (L. 11, *De C. E.*); utputa, si sacerdoti, quem doctum falso existimasti, dederis facultatem absolvendi a reservatis, non daturus si scisses (Sanch., *M.*, III., 39, 14), quamvis is te deceperit (Filiucc.; De Iust.; S. Alph., VI, 1089), quia poena foret, et nulla poena sine lege.

(28) Sanch., *M.*, III, 39, 13; Lugo, *De Iustit.*, XXII, 131; Engel, IV, 3, 5; S. Alph., I, 184; III, 716; quia metus non aufert voluntarium. Dari autem potest expresse vel tacite: tacite autem regulariter data videtur, cum is, qui dare eam debet, sciens volens patitur te, se praesente, ea uti (Spor., *De Poenit.* § 710; Regin., I, 68).

(29) L. 12, § 4, *De Iudiciis.*

(30) Suar., *De Censur.*, II, 3, 2; Salmant., 10, 51, 1. Contra, Bonac.; Henriq., etc.

(31) C. 10, *De Constit.;* Salm., 10, 1, 52; Croix, VII, 17. Seu potius nondum tonsuram adepti (Suar., *De Censur.*, II, 3, 8). Capaces autem esse oportet, nedum eos quibus decernitur iurisdictio ordinaria, quod planum est, sed et eos quibus mandatur (§ 72, n. 18).

(32) Ex LL. 10, 19, *De Donat.;* C. 17, *De Praeb.* in 6°. *Quod cuique pro eo praestatur, invito non tribuitur* (L. 199, § ult., *De R. I.;* Sanch., *M.*, III, 36, 8; Lugo, *De Poenit.*, 19, 18). Sed V. Engel (IV, 3, 17).

(33) Ex L. 25, *De Milit. testam.*

(34) C. 7, *De Procur.* in 6°. Et, ex diverso, si repudiaverim, quamdiu id tibi, vel Procuratori tuo, directe non innotuerit, mihi integrum est, mutato consilio, eam acceptare (Ex cit. C. 7; Reginal., I, 105; Sanch., *M.*, VIII, 32, nn. 2, 6).

(35) LL. 1, 2, *De Off. Procons.;* CC. 7, 9, *De Off. Leg.* Et nedum ordinaria, quod nemo dubitat; sed et delegata, quod est verius (Garz., *De Benefic.*, Par. V, Cap. VIII, a n. 129; Thesaur., *De Poenis*, Par. I, Cap. 20, v. *Dico secundo;* Sanch., *M.*, III, 34, 2), et planum est (§ 72, n. 18). Proinde Episcopus iussus a R. Pont., v. c., alicui beneficium conferre, dispensare in irregularitate aliqua publica, vel in impedimento matrimoniali, haec praestat et valide et licite, etiam cum extra dioecesim versatur.

pro foro interno; sed non contra (36). Et quod datur pro foro interno, valet pro foro tum sacramentali, tum conscientiae (37); nisi agatur de peccatis absolvendis. At quae dantur pro foro sacramentali, in hoc tantum exerceri queunt; ideoque audita confessione sacramentali (38). Deinde excercenda est in proprios subditos; et, regulariter, dum in proprio territorio versantur (39). Proinde, regulariter, non potest exerceri nec in *subditum* absentem (40), nec in *peregrinum* qui versatur in nostro territorio, nisi forte vagum, vel advenam, vel factum subditum ex delicto (§ 86). Nihilominus, quia *propensiora sunt iura ad solvendum quam ad ligandum,* quoties de solvendo agitur, in his quae ad forum dumtaxat internum pertinent, iurisdictionem voluntariam exerceri posse cum advenis, probabilissima; cum peregrinis, quamdiu in nostro territorio versantur et in his quae pertinent ad universalis Ecclesiae leges, probabilis sententia est (41). Ad extremum necesse est, ut quis exerceat iurisdictionem nec errore lapsus, nec metu inductus. Itaque si per errorem functus ea est, siquidem accidentalem, valet; sin substantialem, nihil agit (42). Si autem compulsus fuit metu gravi et iniusto, verius est valere quod actum est (43), excepta absolutione a censuris (44).

76. Ad haec, qui mandata iurisdictione utitur, debet servare diligenter fines mandati; nam, si excesserit, aliud fecisse videbitur, ideo nihil agit (45). Nihilominus si quid faciat, quod potest fieri va-

(36) Covarruv., Tom. II, Lib. II, Cap. X, n. 3; De Iust., I, VII, 207 (V. § 25, n. 17).

(37) Schmalzgr., II, 2, 2; Suar., *De Legib.*, VIII, 6, nn. 15, 16. (V. cit. § 25, n. 17).

(38) Filiucc., 10, 355; De Iustis, I, VIII, 112. ibiq. P. Leo, in *Prax. Sacr. Poenit.*

(39) Ex L. 20, *h. t.;* C. 2, *De Const.* in 6°.

(40) L. 7, § *Interdicere, De Interd.*

(41) S. Alph., I, 158; III, 332, in fin. Itaque Ordinarius loci valide eos dispensat in irregularitatibus occultis, in votis, etc.; non item in censuris reservatis in ipsorum dioecesi. Dixi *dumtaxat internum;* nam in his, quae forum quoque externum attingunt, regulariter, ne ordo constitutus perturbetur, eius est solvere cuius est ligare (Ex L. 19, *h. t.;* C. 19, *De Foro compet.*).

(42) Ex C. 2, *De Fil. presb.* in 6°; C. 8, *De fide instrum.;* Suar., *De Legib.*, VI, 21, 7. Utputa, si absolverit a censuris Seium, quem Caium putabat. Ceterum, si falso putavit sibi iurisdictionem deesse, et nihilominus eam exercuit, valet (Ex L. 2. *De Iudic.;* V. Lugo. *De Poen.*, 19, 18), quia *plus valet quod in re est, quam quod in aestimatione hominum* (L. 4, § 1, *De Manum. Vind.;* C. 4, *De Bigam.*).

(43) Reiff., 2, 40, 64; ibiq. Sanch., Pirhin,; Suar., *De Legib.* VI, 21, 5; S. Alph., 1, 184.

(44) C. 1, *De his quae vi* in 6°.

(45) L. 5, *Mandat.* Ceterum *cui iurisdictio data est, ea quoque concessa videntur, sine quibus iurisdictio explicari non potest* (L. 2, *h. t.;* C. 5, *De O. D.*).

lide quidem sed illicite, valet (46), prout valeret si is qui mandavit ipse fecisset; quippe eadem iurisdictione utitur (§ 72, 18); nisi is *conditionem* adiecerit, ut fieret hoc modo, vel illo. Sed quaestionis est, si expresserit servari ea, quae ex iure facienda sunt (v. c. si R. Pontifex iusserit absolvere Titium a censuris, *imposita ei poenitentia salutari*, vel *satisfacta parte*), utrum haec expressio sit *conditio*, ceu quidam putant (47), quia is qui mandat non praesumitur dare potestatem faciendi, nisi prout licite fieri potest; an simplex *monitio*, ceu putant alii (48), ut interdum in iure (49): atque ideo utrum non valeat, an valeat quod gestum est. Haec posterior sententia communior est, et mihi verior; nam ea *quae tacite insunt, si verbis fuerint expressa, non faciunt actum conditionalem* (§ 41, 25), nisi expressa fuerint ut facerent conditionem (50). In summa: haec perinde aestimari debent, ac si is qui mandavit ipse fecisset; quamobrem si, ab ipso aliter facta, rata vel irrita fuissent, facta a delegato, rata erunt, vel irrita (51).

77. Iurisdictio ordinaria 1° cessat abdicato officio, vel adempto (52); 2° intercipitur, excommunicato vel suspenso qui eam habet, ex quo vitandus esse coeperit (53); demum 3° silet, post appellationem ab

(46) Schmalz., V, 39, 101. V. c., si Parochus te rogaverit ut, se absente, matrimoniis celebrandis intersis, tuque eis assistas extra Parochiam, vel clandestinis (Sanch., *M.*, III, 34, 4; Pont., *M.*, V, 29, 6).

(47) Suar., *De Censur.*, III, 12, 6; S. Alph., VII, 121.

(48) Bonac.; Sanch., *M.*, III, 33; Laym., *De Censur.*, Par. II, Cap. VI, 8; Salm., 10, 2, 25; Schmalz., IV, 3, 218; Ronc.; Pala.; etc. Et probabile est (S. Alph., *l. c.*).

(49) Ut in L. 6, § 1, *De Tutel.*

(50) Cit. L. 6, § 1, *De Legat.*, Sanch., *M.*, V, 1, 7. Quod, nisi palam fuerit expressum, ex verbis, quibus is qui mandavit usus fuit, colligendum erit. V. c., Bened. XIV (in B. *Convocatis*, § 66) vetuit, occasione Iubilaei quemquam a reservatis absolvere, *nisi prius iuret*, se parti laesae satisfacturum cum primum poterit; quis dubitet, satisfactionem heic esse conditionem absolutionis? Ceterum, hac in re, Suaresii sententiae adhaerendum est ante factum; post factum, Sanchii; et regula tenenda: *in dubio omne factum praesumitur recte factum.*

(51) Salm., 10, 2, 25. Nec obstat ratio contraria, quippe interpretativa delegantis intentione nititur, quae nihil est: alias, ex interpretativa intentione legislatoris, neque si factum sit potestate ordinaria, valebit (Schmalz., V, 39, 101). Sed nonne delegatus excedit fines mandati? Minime; non enim videtur aliud agere qui *modum* non servat (Ex LL. 5, 22, *Mand.*).

(52) Sanch., *M.*, III, 22, 56. V. c., abdicata Parochia.

(53) Ex C. 10, *De O. D.* in 6°; C. 1, *De O. V.* in 6°; Suar., *De Cens.*, 13, 1, 11, etc.; Sanch., *M.*, III, D. 30, 6. Ideo nec ipsi possunt eam valide exercere (C. 16, § ult., *De Elect.*; C. un., *Ne sed. vac.* in 6°); nec aliis delegare (C. 1, *De O. V.* in 6°), quia delegatio est usus iurisdictionis (Suar., *De Poenit.*, 26, 1, 3), et delegatus eius qui delegavit iurisdictione utitur.

Dixi *ex quo vitandus* etc.: scilicet, post Conc. Costantiense, duplex

eius sententia interpositam (54). Delegata finitur: 1° finito negocio commisso (55), vel elapso mandati tempore (56); 2° cessante causa delegationis finali (57); 3° revocatione (58), vel renunciatione (59) mandati; nempe postquam *revocatio* ei cui iurisdictio delegata fuit,

est genus eorum qui censuris sunt irretiti: unum eorum qui *vitandi*, alterum eorum qui *tolerati* dicuntur (antea omnes erant vitandi, notorii inquam). *Vitandum* accipimus eum, in quem sententia excommunicationis, vel suspensionis, vel interdicti *lata fuit nominatim, ac denunciata specialiter et expresse* (Mart. V, B. *Ad evitanda*). *Sententia;* lata, inquam, officio iudicis; ideo opus est, ut in ius vocatus fuerit (Ex Clem. 2, *De V. S.*). *Nominatim;* idest, expresso eius nomine, vel ea demonstratione, quae vice nominis fungi possit; v. c., *excommunico Praetorem Reatinum* (Salm., 10, 3, 15; S. Alph., VII, 136): ac *denunciata* etc., idest proposita in loco publico, vel lecta in Ecclesia, coram omnibus (Suar., *De Censur.*, IX, 2, 8); nempe iussu illius, qui eam tulit (Salm., 10, 3, 16; Croix, VII, 185). Ceteri omnes dicuntur *tolerati;* licet manifesti sint, et notorii (Reginald., I, 115; S. Alph., VII, 136, 140). Itaque a vitandis nobis cavendum est, praesertim in divinis; a toleratis non item. Vitandis omnis adimitur iurisdictio, toleratis relinquitur, quamdiu Ecclesia eos tolerat in officio (Suar., *De Censur.*, 26, 2, 2); haereticis quoque ex secta, et schismaticis. Qui idcirco nedum solvere possunt, sed et ligare (Salm., 10, 1, 58). Quae omnia exploratissimi iuris sunt.

(54) L. un., *Nihil novari;* CC. 7, 10, *De Appellat.* in 6°: nisi forte appellatio vim habeat tantum devolutivam.

(55) C. 9, *De O. D.* Seu bene, seu male; quia mandatarius iurisdictionem suam consumpsit (Ex L. 55, *De Re Iudic.;* C. 37, § 1, *De Elect.* in 6°; De Iust., I, VI, 488). Itaque si quis pronunciaverit, rescriptum Pontificium sibi praesentatum *esse obreptitium*, non poterit, ne partibus quidem consentientibus, se retractare, et negocium resumere (C. 38, *De O. D.*); licet deceptum se noverit; nam iudicavit (Sanch., *M.*, VIII, 27, 39; Corrad., *Prax.* etc.). Nisi forte aliquid pronunciaverit vel *ex sua persona;* v. c., falsum esse, vel non videri missum sibi mandatum, quod planum est; vel *non servata* mandati, seu iuris, forma (Ex L. 25, § 1, *De Recept. Arb.;* Pirhim., I, 29, 156; De Iust., I, VI, 494); quia nihil agit (LL. 22, 41, *Mand.;* Sanch., *l. c.*): v. c., si iussus absolvere in *foro sacramentali*, extra illud absolverit. Dixi *seu bene, seu male;* idest seu iuste, seu iniuste; seu ex iure, seu minus: non item si actum irritum fecit, quia quod irritum est pro infecto est; ut ecce, si invalide absolverit a peccatis reservatis (Duard., III, § 2, q. 7, n. 7; S. Alph., VI, 563 pr.), si delegatus a Parocho sponsos invalide coniunxerit (Sanch., *Dec.*, II, 13, 16).

(56) C. 24, *De O. D.* Nihilominus delegatus a Papa poterit eum, quem condemnavit, paratum obtemperare, intra annum absolvere (C. 26, *De O. D.*). Hoc posse et delegatum ab Episcopo, tenent plures (V. Sayr., II, XX, 7, 9); sed vereor, ne verum sit, nam haec absolvendi facultas est velut nova delegatio data a R. Pontifice (V. Suar., *De Cens.*, VII, 2, 7).

(57) Ex C. 30, *De Praeb.* in 6°. Veluti, si iurisdictio data sit ad absolvendum Sempronium ut Caiam duceret, et Caia decesserit (Sanch., *M.*, VIII, 30, 12).

(58) L. 58, *De Iudic.;* V. Suar., *De Legib.*, VIII, 37.

(59) V. Suar., Cap. 33. Scilicet *nihil tam naturale est, quam eo genere quodque dissolvi, quo colligatum fuit* (L. 35, *De R. I.;* C. I, *Eod tit.*).

vel *renunciatio* deleganti, renunciata fuerit directe (60); ac demum 4°. morte personae delegatae (61); vel resoluto quoquo modo, re integra, iure dantis (62). Nisi forte is eam dederit suae dignitatis nomine (V. § 46, 23), vel eam dederit instar gratiae, de qua alibi. Quaeri potest utrum cesset praeterea iurisdictio inferioris, si quis, eo omisso, adeat superiorem? Affirmat Conradus et De Iustis, si is, omisso Ordinario, adeat R. P., quadam nempe quasi *manuum appositione;* negant, verius, ceteri fere omnes, quia id nullo iure cautum est (63).

(60) C. 7, *De Proc.* in 6°; Reiff., V, 30, 134; Pont., *De Matr.,* VIII, 18, 18. Ideo gesta medio tempore valent, licet is, cui mandata fuit iurisdictio, aliunde sciat revocatam fuisse (Reginal., 1, 105; Sanch., *M.,* III, 36, 9). *Directe;* v. § 74, n. 33.

(61) Ex L. 26, § *Morte, Mandat.;* C. 30, *De O. D.* Dixi *personae;* nam si delegata fuerit officio, vel dignitati (velut Episcopo Reatino, aut Vic. eius Generali, vel Parocho N.), transit ad successorem (Sanch., *M.,* VIII, 27, 2; De Iust., I, VI, 496; V. § 46, n. 23).

(62) L. 6, *h. t.;* C. 36, *De Praeb.* in 6°. Scilicet quia delegatus vices eius gerit: ideo iurisdictio evanescit etsi delegata fuerit a Principe (C. 36, *De Praeb.* in 6°): vel ad universitatem causarum (Ex C. 10, *De haeret.* in 6°; Sanch., *M.,* VIII, 28, 34); nisi haec delegata sit cum officio, v. c., Oeconomi Curati, quia est instar ordinariae (§ 73). Dixi *re integra,* quia si res non est amplius integra, iurisdictio durat, etiam resoluto (L. 6, *h. t.;* C. 7, *De O. D.* in 6°), eoque magis suspenso (Sanch., n. 7) iure dantis: immo etiam elapso mandati tempore (CC. 19, 20, 30, *De O. D.*). Porro res dicitur non amplius integra, si delegatus mandata sibi iurisdictione uti (C. 30, *De O. D.;* C. 14, *Eod. tit.* in 6°), idest, si ex ea gerere aliquid (L. 6, *h. t.*) coeperit. Ut ecce, in foro iudiciali, si citatio edita fuerit (C. 20, *De O. D.*); in sacramentali, si confessarius coeperit audire confessionem poenitentis, et, dum absolutionem differt, mandati tempus praetereat: vel delegatus ad dispensandum in impedimento connubiali inquirere coeperit, an vera sint exposita (Sanch., *M.,* VIII, 28, 29; De Iust., I, VI, 498), vel sponsis consuetam poenitentiam iniunxerit. Non item si delegatus eam subdelegaverit tantum, si subdelegatus nondum quidquam facere coeperit (Ex C. 14, *De O. D.* in 6°; De Iustis, I, VI, 270): scilicet, subdelegando nihil exequitur, sed alii exequendum committit (Sanch., n. 18).

(63) Ex C. 56, *De Appell.;* Sanch., *M.,* VIII, 14, nn. 3, 7; Suar., *De Legib.,* VI, 22, n. 3; ibiq. Navarrus. *Manus appositio non ligat manus Ordinariorum quoad forum conscientiae,* ait Thesaur. (Lib. I, cap. 20, Dic. II, v. *An autem;* ibique Gonzal., Glos. 52, n. 65). Sane Ordinarius absolvere potest a censuris eum, qui ad Superiorem appellavit (V. Sayr., II, 20, 3), et delegatus, ut mox dicam, gratiam concedere negatam a delegante. Oppositum tenent Conrad. et De Iustis: videamus quo iure.

Conradus (*Prax.,* Disp. VIII, I, 12) nititur CC. 1, 2, *De Confirm. util.,* et C. 56, *De Appellat.;* sed huc non pertinent. Illis enim iudex vetatur, de aliqua re (puta causa, privilegio, contractu) a R. P. scienter *confirmata,* cognoscere et iudicare (Reiff., II, 30, 18). Hoc edicitur, irritum esse quidquid a delegato, post mandati revocationem, gestum est, *cum plus sit R. P. ad se aliquod revocare negocium, quam quemquam ad eum super aliquo negocio provocare:* nempe ex his verbis Conrad. argumentari videtur quasi a minori ad

Denique, delegante excommunicato, vel suspenso nominatim, re integra, ipso iure, iurisdictio delegata suspenditur (64).

78. Nihilominus iurisdictio potest, regulariter, prorogari (65). Nempe de persona in personam, de loco ad locum, de tempore ad tempus, de re ad rem (66); nisi lex vetet. Prorogatur autem ab eo super quo exercenda est (67), sed ei tantum qui illa praeditus est (68); quippe alias, non prorogata, sed data foret; et privati iurisdictionem

maius: sed non bene, nam provocatio, seu appellatio, regulariter, suspendit iurisdictionem iudicis a quo provocatum est. De Iustis (I, VII, 225) nititur C. *Cum in distribuendis*, 12, *De Temp. Ordin.*, quo Innoc. III indulget Episcopo Bononiensi ad superiores ordines promovere *N. Ecclesiae Romanae subdiaconum.* Nempe *quia quisquis semel in hac Ecclesia ordinem sacrum* acceptat, *egrediendi de ea licentiam ulterius non* habebit (S. Gregor. M., To. II, Edit. Maur. Lib. 5, Epist. 38).

Mea sententia est, appositione manus R. P., non adimi iurisdictionem inferioribus; nihilominus rei se immiscere, in foro externo, temerarium; in interno, ex iusta et gravi causa, licitum esse. Quis enim dixerit, recurrentem ad R. P. pro absolutione ab excommunicatione ob abortum incursa, non posse ad Episcopum reverti, et absolvi? Vix enim intelligi potest quomodo quis, recurrendo ad Patrem omnium fidelium, conditionem suam deteriorem faciat.

Quando igitur aditio ad Superiorem non adimit iurisdictionem inferioris, verius, nihil interest qua iurisdictione is praeditus sit, ordinaria ne, an delegata (Suar., n. 7; Sanch., n. 6; Pont., *M.*, VIII, 17, 4); nec utrum tu superiorem adieris, inferiore inscio, an sciente et consulente, quia consulendo se iurisdictione non abdicat (Sanch., n. 8). Et si superior preces reiecerit, poteris ad inferiorem reverti (Suar., n. 3, etc.; Pont., n. 4; S. Alph., IV, 50). Quin is valide gratiam concedit, etiam ob causam quae Superiori haud sufficiens visa est (Suar., nn. 4, 6; Pont., *loc. cit.*).

(64) C. 1, *De O. V.* in 6°; C. 10, *De O. D.* in 6° *Re integra* (Sayr., II, VI, 20; Salmant., 10, 3, 85). Et planum est.

(65) Ex LL. 1, 2,, *De Iudic.*

(66) Pirhin., II, 2, 182; Reiff., II, 2, 124. *De persona in personam* LL. 1, 2, *De Iudic.*); inde, v. c., Confessarius in sua dioecesi absolvit peregrinos. *De loco ad locum*, idest extra territorium (Ex C. 11, § 2, *De Rescr.* in 6°); inde qui curam animarum habent, valide absolvunt suos subditos in parochia, vel dioecesi aliena (S. C. C., 3 Decem. 1707; Ben. XIV, Not. 86, 7). *De tempore ad tempus;* quando scilicet partes, antequam tempus elabatur iudici praefinitum, illud ulterius prorogant (L. 2, § *Si et Iudex, De Iudic.;* C. 4 *De O. D.*): heinc poenitens reverti iussus a Confessario, quem sibi elegerat in iubilaeo, post illud elapsum absolvitur a reservatis (S. Alph., VI, 537, q. 4). Denique *de re ad rem* (L. 74, *De Iudic.;* Reiff., II, 2, 126): sed haec super his tantum, quae in patrimonio nostro sunt (Ex L. 74, *De Iudic.;* L. 28, *Ad Munic.*): et ideo iudici civili ad causas criminales (L. 61, § 1, *De Iudic.*): simplici confessario ad reservata (Ex Trid., XIV, *De Poenit.*, Cap. VII) iurisdictio prorogari non potest.

(67) Ex L. 2, *De Iudic.;* L. 28, *Ad Munic.*

(68) L. 1, *De Iudiciis.*

dare non possunt (69): prorogata igitur ea solum intelligitur quae data fuerat (70).

79. Ad haec, iurisdictio suppletur a iure, si iura potuissent eam dare (71), in duobus casibus. Primus casus est, quando aliquis iurisdictionem non habens, eam exercet cum *titulo colorato*, et *errore communi* (72); non item si eam exerceat cum solo titulo colorato, sine errore communi; quae receptissima sententia est. Quid si illam exerceat cum solo errore communi, sine titulo colorato? Plures tenent

(69) L. 3, C. *h. t.* Hac re v. c., ubi viget forum ecclesiasticum, clerici iudicem laicum adire non possunt (Ex C. 18, *De foro compet.*), quippe laici in eos iurisdictionem non habent. Nec confessario prorogari potest a poenitentibus alterius dioecesis in dioecesi non sua, quia nullam in ea iurisdictionem habet. Nec prorogari potest de tempore ad tempus post elapsum mandati tempus; v. c. potestas absolvendi a reservatis, post finitum iubilaeum.

(70) Lugo, *De Poenit.*, XX, 134; Reiff., I, 29, 146. Nam secus data non prorogata esset. Ideo, verius, non potest simplex confessarius, eum qui in iubilaeo confiteri coepit, et post iubilaeum exactum absolvitur, absolvere a reservatis etiam post illud admissis (Lugo, *l. c.*): nec dispensare in votis post illud emissis (Sanch., *M.*, VIII, 15, 17); nec parochus absolvere potest suum subditum in aliena dioecesi, a reservatis in propria dioecesi, licet in aliena non sint reservati.

(71) L. 3, *De Offic. Praetor.* Quamobrem nunquam, v. c., ut mulier a censuris, diaconus a peccatis, absolvere possit (Less., II, 29, 66).

(72) Ex cit. L. 3; C. 24, *De Senten. et re iudic.*; Suar., *De Censur.*, II, 4, 3. Sive illam nunquam habuerit, sive ea exciderit; ut puta, abdicato officio, vel adempto, vel elapso mandati tempore (Regin., I, 100; Less., II, 29, 67.; Bonac.; Croix, VI, 1, 116).

Porro *titulus* causam significat (L. 13, *De petit. hered.*). Est igitur titulus, quo ius aliquod nobis acquiritur; seu in rem, velut emptio et venditio, collatio beneficii etc.; seu in personam, utputa mutuum, officium Vic. Generalis, etc. Diducitur in verum, coloratum, et putativum. *Verus* dicitur, cui nihil deest, ut ius, de quo agitur, tranferre possit: *coloratus*, cui specie tenus nihil deesse videtur, sed revera occulto vitio laborat, ideoque nihil transfert; demum *putativus*, qui falso creditur subesse. Itaque, v. c., si praedium emerim a domino suae aetatis, suaeque mentis, *verus;* si a non domino (L. 27, *De C. E.*), vel non suae aetatis aut mentis (L. 2, § 16, *Pro empt.*), *coloratus;* si demum procurator meus falso mihi persuaserit illud emisse et tradiderit (L. 11, *Eod.*), *putativus* titulus erit. Item si quis ab Ordinario paroeciam rite obtinuit, *verus;* sin simoniace, *coloratus;* si nullimode obtinuit, sed aliis falso persuasit sibi collatam fuisse, *putativus* titulus erit. Dixi *si ab Ordinario*, quia titulus ab eo debet proficisci, qui iure poterat hanc decernere potestatem (Ex cit. L. 3; Less., II, 29, 65). Nam si ab alio est, v. c., si Parochia collata fuerit a Principe, vel a patrono, vel ab alio parocho (Garz., VI, II, 51), vel populi suffragio (Pius VI, *Inst. ad Epp. Galliar.*, 26 Sept. 1791), titulus ne intelligi quidem poterit. *Error* autem *communis* est, si eo loco, ubi aliquis iurisdictionem exercet (v. c. ubi parochum agit), ea praeditus esse publice existimetur (Ex L. 3, *Ad S. C. Maced.*); seu facti error versetur, seu iuris (Ex L. 41, *Mand.;* Croix, VI, 1, 113); dummodo error iuris sit probabilis.

et huic suppleri (73); quos sequor (74). Dixi iurisdictionem *a iure* suppleri; non enim ab eo suppletur qui illam perperam dedit aut mandavit; vel dare, aut mandare debuisset, quod belle Lessius animadvertit. Quando autem lex supplet iurisdictionem, perinde est, ac quis ea praeditus esset (75): ideo potest ea uti et ad solvendum, et ad ligandum (76).

(80) Deinde suppletur in re dubia (77), modo dubium sit non mere negativum, sed positivum et vere probabile (78). Ratio est, quia ita

(73) Sanch., *M.*, III. 22, 58; Pont., *De Matr.*, V, 20, 2; Less., Suar., Lugo, Diana, etc., ap. S. Alph., VI 572; Schmalz., IV, 3, 180. Et *nunc est communissima et certa omnium TT. sententia* (Croix, *l. c.;* ibiq. Spor., *De Poenit.*, n. 714).

(74) Ex cit. L. 3, *De Offic. Praetor.*, qua edicitur iurisdictionem suppleri *propter utilitatem eorum apud quos gestum est:* quod et hic valet; maxime quod titulus nec exhiberi vulgo, nec peti soleat; ut puta cum quis accipit potestam excipiendi confessiones, vel absolvendi a reservatis. Sane error communis supplet ea quae status et conditionis personarum sunt, quoties iure, seu civili seu canonico, his opus est, ut aliquid valide fieri possit; nec eget titulo colorato: velut in eo, qui publice *liber* (cit. L. 3 et L. 2, C. *De Sent. et interl.*), *civis* (L. 1, C. *De Testam.*), *paterfamilias* (L. 3, *Ad S. C. Maced.*), *uxor* (L. 24, *De Rit. Nupt.*), *clericus* (C 12, *De S. E.* in 6°), *testis* idoneus (§ 7, *De Testament.*), *heres* (L. 44, *De A. H.*), *patronus* beneficii (Perez, *De Matr.*, 40, 5, 3), *maritus* (S. Alph., III, 232) habetur (Toull., V, 407; Duvant., IX, 109; Zach., 670, n. 25; Less., II, 29, 67). Ideo, e. c., diaconus, qui publice sacerdos existimatur, delegatus a parocho (V. Trid., XXIV, *R. M.*, I.) valide interest matrimoniis (Sanch., III, 22, 61; De Iust., II, XIX, 72): et eius, qui ob delictum vocem activam amisit, quamdiu delictum latet, suffragium valet (Suar., *De Legib.*, V, IX, 5).

Itaque in nostra sententia valide agit is, cuius iurisdictio occulte cessavit; e. c., Vicarius Generalis post eius revocationem vel post mortem Episcopi, quamdiu revocatio, vel mors ignoratur (Sbroz., III, 36, 9; Sanch., *l. c.;* Lugo, *Resp. Moral.*, I, 35; Less., II, 29, 67); confessarius, vel parochus, si ille, v. c., post elapsum mandati tempus, is post renunciatam parochiam, pergant confessiones audire; quamdiu haec ignorantur.

(75) Ex L. 3, *De O. Praetor.;* Voet. I, 14, 6. Scilicet *error ius facit* (L. 3, in fi., *De Supell. legata*).

(76) Sanch., *M.*, III, 22, 34; Suar., *De Censur.*, XIV, 1, 10. V. c., ad censuras absolvendas, et irrogandas (S. Alph., VII, 10, in fi.). Nec refert quam iurisdictionem exerceat, ordinariamne, an delegatam (Sanchez, n. 16); et quo in foro, interno, an externo (Perez, *De Matrim.*, 40, 5, 1; Less., n. 67. V. Suar., *De Censur.*, XIII, 1, 14). Proinde valide ab eo, et cum eo quoque exercetur, qui non ignorat eam exercenti deesse (Less., II, 29, 66; Croix, VI, 1, 114). Et iure prorsus, quia suppletur, non singulorum, sed publicae utilitatis causa. Sed ille eam usurpando, vel exercendo, gravi non caret (Suar., *De Censur.*, XIII, 1, 3; V. L. 2, C. *Si serv. aut libert.*).

(77) Less., *De Iust.*, II, 29, 68; Bonac., *De Matr.*, q. 2, P. 8, n. 30; Sanch., *M.*, III, 22, 65; S. Alph., I, 50; VI, 573. *Et certum moraliter est* (Innoc. XI, I, n. 20).

(78) Suar., *De Poenit.*, XXVI, 6, 7; Sanch., *Dec.*, I, 9, 35; Perez, *De Matrim.*, 46, 5, 2; Lugo, *De Poenit.*, XIX, 29. *Non negativum*, v. c., si dubitem (eo magis si ignorem), an

consuetudine est introductum (79); et consuetudine iurisdictionem acquiri posse, explorati iuris est (80). Atque ideo non intercidit, aut retractatur quod ex ea gestum est, si postea apparuerit iurisdictionem defuisse; ut puta, si inferior confessarius, in dubio reservationis, absolverit a reservatis (81).

81. Amplius: is qui neque ordinariam iurisdictionem habeat, neque delegatam, neque suppletam a iure, potest uti iurisdictione *praesumpta,* absente eo, cuius ea iurisdictio est; nempe pro certo habens, hunc ratam rem habiturum, si de his negociis agatur, quae sine ratihabitione valent (82); immo et de his, quae ratihabitione valida fiunt, prout collatio beneficii (83). Nempe in priori casu, si iusta causa id suadeat; in posteriori, ex urgentissima causa, et in casibus non extraordinariis; in his enim ratihabitio non est facile praesumenda. At in his quae nec statim valent, nec ex ratihabitione valere possunt, id nullatenus fieri potest (84), et planum est.

Adhuc de iurisdictione. Porro iurisdictio in subditos exercetur: subditus autem aut nascitur aliquis, aut fit: nascitur eo loci unde ipsi origo est; fit domicilio, vel quasi: quocirca de origine, domicilio, quasi domicilio, heic pro re nostra, et in primis quoad conscientiae forum, agendum est paucis.

APPENDIX.

De origine et domicilio, vel quasi domicilio.

82. Originem nativitas facit (1). Verum originis locus non is dicitur, in quo quis utcumque, sed in quo naturaliter natus est, aut

mihi mandata fuerit iurisdictio; *sed positivum,* etc. seu *iuris,* puta, an Ecclesia suppleat iurisdictionem cum solo errore communi (§ 79); an valeant gesta ab eo qui, aliquid facere iussus (v. c., matrimonium) servatis omnibus quae leges cavent, ea praetermiserit (v. c., denunciationes) quae actum non vitiant (§ 76), etc: seu *facti* (secus ac olim censui); ut ecce, si mihi iurisdictio mandata fuit ad certum tempus, vel ad beneplacitum concedentis, an tempus praeterierit, vel an adhuc vivat is qui mandavit (Sporer, *De Poen.,* n. 178; Croix, VI, I, 120).

(79) Suar., *De Poenit.,* XXVI, 6, 6; Lugo, n. 29.

(80) Ex C. 13, *De For. Comp.* Ideo haec sententia Nostris est communissima (Croix, VI, I, 117), tutissima (Lugo, *De Poenit.,* XIX, 30), moraliter certa (Sanch., *Dec.,* I, 9, 35; V. S. Alph., VI, 573).

(81) Lugo, *De Poenit.,* XX, 20, 22; Salmant. 6, 13, 16; Croix, VII, 160; S. Alph., VI, 600, q. 2.

(82) Ex L. 47, § *Recte, De Furt.* Velut baptizare (S. Alph., III, 700; VI, 236), confirmare, ungere aegrotos. Scilicet haec ideo vetantur, ne fiat iniuria ei, ad cuius officium pertinent; atqui nulla ei fit iniuria, qui praesumitur consentire. Sed necesse est, ut id non levi praesumptione credat.

(83) Spor., *De Poenit.,* 709; eoque teste, *certissima.*

(84) Suar., *De Poenit.,* XXVI, 1, 14; Lugo, *De Poenit.,* XIX, 22. Velut assistere matrimoniis, absolvere a peccatis, etc. (S. Alph., III, 700, q. 1).

(1) L. 1, *Ad Municip.;* C. 1, *De temp. ordin.* in 6°.

nasci debuit; idest in quo, tunc, cum in lucem editus fuit, domicilium fovebat pater eius (2); vel, si est illegitimus, mater (3). Filius enim legitimus patris, illegitimus matris originem sequitur. Ad haec, iure canonico, locus originis censetur et ille, in quo quis baptizatur adultus (4); vel baptizatus fuit infans, si ignoretur, unde ei origo sit (5); vel ubi *expositus* fuit, si quorum parentum sit, lateat (6).

Origo civem, civitas subditum facit (7).

83. Domicilium, Nostris et Canonistis, est: *locus perpetuae habitationis.* Itaque domicilium eo loco habere quis dicitur, *ubi larem perpetuum rerumque ac fortunarum suarum summam constituit* (8). Et pluribus locis habere potest, dummodo omnibus, quod difficile est, *aequaliter* sit instructus (9). Est autem (quamquam hoc non bene definitioni cohaereat) triplex: originis, habitationis, et necessarium. Domicilium *originis* quisque sortitur eo loci, unde ipsi origo est (10).

(2) LL. 6, 30, *Eod.;* Innoc. XII, B. *Speculatores,* § 4. Et non quo tunc forte versabatur, v. c., itineris, negociorum, vel temporarii muneris (v. c., medici, Praetoris) causa (Sanchez, *M.,* III, 23, 3).

(3) LL. 1, 6, 9, *Ad Municip.*

(4) Paul. III, B. *Cupientes Iudaeos;* Clem. XI, C. *Propagandae.*

(5) Salmant., 8, 4, 47.

(6) Barbo., *De off. Episc.,* II, 4, 17; Salm., *l. c.;* S. Alph., VI, 777. Praeterea, iure communi, filius adoptivus nanciscitur originem Patris adoptantis, quamdiu in familia eius remanet (L. 6, *De Senator.*). Non item, si quid opinor, ex NN. LL. (V. § 51, n. 33). Ad haec, interdum quis originarius censetur eius loci, in quo, translato domicilio, per decennium habitavit (Rota Rom., Decis. 982, cor. Molines; Amostaz, *De Caus. Piis,* Lib. IV, Cap. VII, n. 58): nempe, ut in eo loco frui possit civium privilegiis, quae municipali statuto (non hominis voluntate, puta testamentis) civibus decreta sunt (De Luca, *De Praeeminent.,* Disc. 36, n. 5; S. Alph., III, 930, q. 2).

(7) L. 7, C. *De Incol.;* L. 29, *Ad Munic.* - *Civem:* v. c., Romanum, Reatinum: *subditum,* scilitet, nisi, relicta civitate, discesserit, non amplius reversurus (L. 7, C. *De Incol.;* Voet, VI, 1, 91, in fin.; Sanch., *M.,* III, 18, 24). Nec ideo *originem* perdit (L. 6, *Ad Munic.;* L. 4, C. *De Munic.;* Sanch., *M.,* III, 25, 1); neque enim fieri potest, ut quo loco editus est, editus non fuerit.

(8) L. 7, C. *De Incol.;* C. G., 102; It., 16. *Perpetuum,* sive, ut in cit. L. 1, *unde non sit discessurus, si nihil avocet.* NN. LL. *perpetuam* habitationem non amplius desiderant, sed *praecipuam* (C. G., 102, 103; Cit. It., 16, 17): sed nobis *hic* iuri communi inhaerendum, cui ius canonicum adhaesit. Locum vero heic accipere debemus, iure civili, *municipium;* iure canonico, *parochiam;* quippe ex domicilio, illic munerum, hic sacramentorum, participes efficimur. Utrum vero eo loci bona possideat, an minus, ad rem non pertinet.

(9) LL. 5, 6, 27 § 2, *Ad Munic.;* C. 2, *De Sepult.* in 6° *Aequaliter* autem accipimus, non mathematice, sed moraliter (Ex S. C. C., 29 Nov. 1851. *Acta,* V, 609); veluti si hieme in urbe, aestate ruri degat (Sanch., *M.,* III, 24, 3; S. Alph., VI, 1086),

(10) Ex L. 11, *De Senator.* Hoc autem nemo creditur deseruisse, nisi id evidenter appareat (Ex cit. L. 11); idque Laurent (II, 74) *elementare* esse.

Habitationis, quo loco illud sibi constituit. Hoc ut acquiri possit, opus est facto, et voluntate; idest, ut eo loci larem, rerumque ac fortunarum suarum summam transferat reipsa (11): utque transferat intentione manendi ibidem perpetuo, *si nihil avocet* (12). Et si contestatus id fuerit, statim ac eo devenerit, domicilium acquirit (13); nec semel quaesitum amittit, nisi cum discedit non amplius reversurus (14). Demum *necessarium* eo loci inest, in quo necesse est commorari poenae causa; ideo relegatus ibi domicilium habet, ubi relegatus est; inclusus carceribus, ubi luit (15). Ad haec, uxor mariti (16); filius

ait; licet aliud domicilium alio sibi constituerit (Conrad., *Praxis* etc., VII, 5, 32; Sanch., *M.,* III, 23, 4). Quod autem Nostri et Canonistae impropriissime aiunt, ne amitti quidem posse, nisi loco originis funditus everso, de ipsa origine (§ 82, n. 7) intelligendum est.

(11) L. 20, *Ad Munic.;* L. 7, C. *De Incol.* Dixi *larem,* idest habitationem, domum; sive emptam, sive conductam (Schmalz., II, 2, 9). Dixi *summam,* sed nullo iure exigitur, ut maiorem rerum ac fortunarum suarum partem ibi constituat (Schmalz., n. 10). Ex diverso, non sufficit, si eo loco domum tantum, aut praedia comparaverit (L. 4, C. *Eod.*), vel tabernam conduxerit (Ex L. § 19, 2, *De Iudic.*): eoque minus, si ibi versetur studiorum (Ex L. 2, C. *Eod.*), aut colendi ruris (L. 27, *Ad Municip.;* C. 2, *De Sepult.* in 6°) causa.

(12) L. 7, C. *De Incol.;* B. *Speculatores,* § 3. Quae exterius apparere debet, quia *propositum in mente retentum nihil operatur, aut mutat.* Alias domicilium, nec quoad forum internum, acquiritur (Ex L. 63, § 5, *Locati;* et cit. B., § 11; Sanch., *M.,* I, 18, 2). Sed V. n. 8. *Si nihil avocet,* nam conditio resolutiva est, quae praesentem voluntatem non mutat. Secus si aliquo se conferat perpetuo remansurus, si ibi uxorem invenerit: nam conditio suspensiva voluntatem suspendit. Et si quis, v. c., consanguineum suum aetate minorem sibi domi asciverit adoptandum, ille, quamdiu non fuerit adoptatus, patris sui naturalis domicilium retinet (Ex S. C. C., 25 Ian. 1873. *Acta,* VII, 507).

(13) Sanch., *M.,* III, 23, 2; Pont., *M.,* V, 13, 4; De Iust., II, 19, 50; Laym., *De Poenit.,* 10, 6; Croix, VI, III, 720; S. Alph., VI, 778; Laurent, II, 79. Secus, haec intentio praesumitur ipso iure, post decennii habitationem (Ex L. 2, C. *De Incol.;* cit. B. *Speculatores,* § 11). Sed, ex NN. LL., hoc in aestimatione boni viri positum est (C. G., 105; It., 17). Ceterum in dubio, utrobi quis domicilium habeat, locone originis, an alio, illo potius habere praesumitur (Ex L. 11, *De Senator.;* Cuiac., ad L. 3, *De Munic.;* Masch., *De Probat.,* II, 535). Heic admonendi sumus, iure tum civili, tum canonico, appellatione *domicilii,* vel suae *dioecesis,* vel Episcopi *sui,* intelligi, non originis, sed habitationis domicilium, dioecesim, Episcopum (Ex C. 5, *De Paroch.;* Fagnan., in C. *Licet,* n. 10, *De Foro compet.;* Reiff., II, 2, 25; Schmalz., II, 2, 23).

(14) Ex L. 20, *Ad Munic.;* L. 7, C. *De Incol.* Ideo non sufficit discessisse, si animum revertendi habeas; nec animus discedendi in perpetuum quoad revera discesseris (Sanchez, *M.,* III, 23, 2).

(15) L. 22, *Ad Munic.* - *Ubi,* etc., et non ubi *detinetur* custodiae causa (S. C. C., 26 Maii 1707; Ben. XIV, Not. 33, 12).

(16) L. 22, § 2, *Ad Municip.* Eo quoque mortuo, quamdiu aliis nuptiis (Cit. L. 22, § 2; C. G., 108; It., 18), vel alias non permutatur. Et quae tantum civiliter nupsit, deducta in domum viri aliud domicilium habentis,

familias eius parentis sub cuius patria potestate est (17); qui sub tutela est, tutoris necessarium domicilium sequitur (18); et qui munus aliquod perpetuum exercet, ibi domicilium fovet, ubi eo munere fungitur (19).

84. Quasi domicilium habere quis dicitur eo loci, ubi versatur animo manendi non perpetuo, non obiter, sed aliquamdiu. Ideo acquiritur, perinde ac domicilium, voluntate et facto; *voluntate* manendi alicubi maiorem saltem, et non tantum notabilem, anni partem (20): quamobrem si quis aliquo venerit *quasi viator,* vel litis aut negocii expediendi gratia, *his expeditis,* aut muneris alicuius quaerendi causa, eo *non quaesito* (V. § 83, n. 12), discessurus; quamvis praeter opinionem immorari eo loci, vel per annum, contigerit, quasi domicilium eo non acquiri verius est (21). *Facto:* ideo necesse est, ut eo revera deveniat; et cum eo devenerit, prout domicilium (§ 83, n. 13), statim quasi domicilium acquirit (22). Amittit autem, non cum ex eo loco discedere constituit, sed ex quo revera discessit, non reversurus (23).

si coram parocho olim suo matrimonium contrahit, etsi eodem die, nihil agit (Sanch., *l. c.,* n. 15; Bonaci.; De Iustis, II, 19, 52).

(17) L. 3, C. *De Municip.;* C. G. et It., *ll. cc.* Nec permittitur illud alio transferre, quamdiu est sub patria potestate (Ex C. G., 372, 374; It., 220, 221, secus ac iure communi (LL. 3, 4, *Ad Munic.*), quippe quo patria potestas perpetua erat.

(18) C. G., 108; It., 18; Laurent, II, 89. Secus ex iure communi (L. 1, C. *Ubi petantur tut.*). Et hoc quoque *necessarium* esse videtur (Ex cit. art.).

(19) Ex L. 11, § ult., *De Senator;* L. 23, *Ad Munic.;* Barbo., in L. *Heres absens,* n. 162, *De Iudic.* Ceu parochi, canonici, et quotquot *residentiale* beneficium possident (Ex CC. 1, 3, *De Temp. Ord.* in 6°). Et si in duabus dioecesibus, ex dispensatione R. P., duo huiusmodi beneficia possideat, in utraque domicilium habere intelligitur (Pirhin., II, 2, 14). Qui non residentiale beneficium habet, subiicitur quidem Episcopo in cuius dioecesi beneficium situm est (Innoc. XII, B. *Speculatores*), verum quoad ea solum, quae ad beneficium pertinent (C. 29, *De Rescrip.;* Reiff., II, 1, 94); at domicilium eo loci non acquirit (Pirhin., II, 2, 16; Schmalz., II, 2, 14),

(20) Ex C. ult., *De Paroch.;* Sanch., *M.,* III, 23, nn. 7, 13; Reiff., II, 1, 22; Salm., 9, 8, 30; S. Alph., I, 156; VI, 1091. Quae recepta sententia est; contra Schmalz: (II, 2, 19) aliosque existimantes, minus temporis satis esse. Nec hodie est amplius dubitationi locus.

(21) Laym., *De Poenit.,* 10, 6.

(22) Sanch., *M.,* III, 23, 14; Laym., *De Poenit.,* 10, 6; Croix, VI, III, 722; Salm., 9, 8, 30; Reiff.; IV, 3, 60, 61; Schmalz., *l. c.* Sed voluntas huiusmodi, in foro exteriori, apparere debet contestatione, vel facto aliquo: veluti si eo loco tabernam conduxit, si operas suas locavit per maiorem anni partem, etc. Sed, si iam a mense eo loci commoratur, haec voluntas praesumitur (Ben. XIV, Lit. *Paucis abhinc hebdomadis,* To. IV, in fin.).

(23) Ex L. 27, § *Celsus, Ad Munic.;* Sanch., *M.,* III 32, 2. Dixi, *non reversurus,* nam si alibi ad momentum excurrerit, nec discessisse videbitur (Ex L. 49, *De R. I;* Trid., XXIII, *Ref.,* 1). Porro, cum quasi domicilium re-

85. Qui alicubi domicilium transtulit, dicitur *incola* (24): qui quasi domicilium, *advena* (25); qui autem eo versatur obiter, et quasi praeteriens, *peregrinus* dici solet (26). At qui, nullibi fixum domicilium habens, incertis utitur sedibus; vel, *relicto suo domicilio,* quaerit quo se conferat, atque ubi consistat, is proprio nomine dicitur *vagus* (27). Unicuique autem ius est, ubicumque maluerit, domicilium (28), eoque magis quasi domicilium, constituere: ideoque etiamsi videatur id facere in fraudem hominis alicuius, aut legis (29), quia *nemo in fraudem agit, qui suo iure utitur* (30). Domicilium subditum facit (31).

quirat *habitationem* saltem *per maiorem anni partem,* patet neminem posse duobus in locis (nec in eadem urbe) habere quasi domicilium. Sed an possit (v. c., in eadem urbe) in una parochia, puta ubi natus fuit, domicilium; et in altera, in qua moratur, e. g., famulatus, vel educationis causa (ut ephebi in collegiis, puellae in monasteriis), quasi domicilium habere? Et si potest habere duo domicilia, domicilium et quasi domicilium habere quidni possit? Contrarium sentire videtur Bened. XIV (Not. 88, 16). Sed nobis favet S. C. C., 23 Apr. 1667, ap. De Luca (*Theatr., Ad Conc. Trid.,* 36, 19). Leges Romanae quasi domicilium ignorant: NN. LL. pro quasi domicilio *residentiam* agnoscunt. Quae eo loci habere quis dicitur, in quo moratur habitualiter (C. It., 16; V. cl. Allègre, *Code Civil* etc., Tom. 1, p. 103 - Paris 1888). Sed residentia a quasi domicilio distare videtur.

(24) L. 239, *De V. S.;* L. 1, C. *De Incol.*

(25) Ex cit. L. 239, ibiq. Gl.; Bened. XIV, C. *Inter praeteritas.*

(26) Ex L. 7, C. *De Incol.* His consonat C. It.; distinguit enim quo loco quis *domicilium* habeat, quo *resideat* (quae duo fere eadem praestant), quo *moretur* (AA. 8, 16).

(27) L. 27, § *Celsus, Ad Munic.;* Ben. XIV, Not. 33, 10; Schmalz., II, 2, 18. Et *vagus* intelligitur, etsi destinaverit quo loco velit perpetuo consistere, non solum dum eum locum petit, sed et postquam eo devenerit, quoad eo revera fixerit domicilium, aut quasi domic. (Sanch., *M.,* III, 25, 3; Schmalz., *l. c.*). Et, si ibi plures extant Parochiae, quamdiu non destinaverit, qua malit sedem figere, et in ea revera sedem fixerit (Sanch., n. 4).

Iuverit nunc de militibus aliquid addere. Hi vel curionem (cappellanum) habent, vel minus. Si habent, is est quasi parocus eius cohortis. (Laym., *De Poenit.,* 10, 5); dummodo haec potestas ei non a Maiori Cappellano vel Poenitentiario Regio decreta fuerit (S. C Epp., 3 Apr. et 4 Aug. 1618. V. Ferrar., verb. *Cappellanus militum,* n. 2), sed vel a S. Sede, vel ab Ordinario loci. Porro quae datur a S. S., valet ubique locorum; quae ab Ordinariis datur, extra dioecesim dantis non valet (S. C. C., 6 Mart. 1694; Reiff., IV, 3, 97); nisi dum in itinere sunt (Croix, VI, II, 1518). A quocumque autem data sit, exercetur *cumulative,* non privative quoad Parochos (S. C. C., 29 Maii 1683; Ferr., *l. c.,* n. 7). Si autem nullum curionem habent, quo loco sunt addicti per maiorem anni partem, eo quasi domicilium habere censentur; alias habentur quasi vagi (Schmalz., IV, 3, 165).

(28) LL. 3, 4, *Ad Munic.*

(29) V. Sanch., *M.,* III, 24, 5. V. c., ne coram Parocho suo, vel ut sine parocho et testibus, eo loci ubi decretum conciliare non obtinet (S. C. C., ap. Croix, VI, III, 712; Ben. XIV, Notif. 33, 9) matrimonium contrahere possit.

(30) C. 31, *De Election.*

(31) LL. 1, 29, *Ad Municipal.;* L. 1, C. *De Incol.* Et si quis duobus in locis domicilium habet, *utriusque*

86. Subditi igitur sunt cives et incolae (32); sed cives praetereo; nam, si in patria domicilium retinent, incolarum; sin, ea relicta, alio discesserunt, peregrinorum iure censentur. Sed et advena eius loci, ubi quasi domicilium fovet, *subditus* (33) et *Parochianus* (34) interim esse intelligitur; nempe, iure canonico, *incola* quamdiu domicilium, *advena* quamdiu quasi domicilium fovet in loco habitationis; et tunc solum uterque subditus esse desinit, cum excesserit, non amplius reversurus (35). *De peregrinis,* hoc unum indubitatum est, eos, nemine excepto, teneri legibus naturalibus, et divinis, et legibus Ecclesiae, etsi hae forte in patria obsoleverint. Praeterea, quodam quasi naturali iure, tenentur legibus eius loci, in quo versantur, quae publicae tranquillitati consulunt; et si quid contra eas admiserint, ipso iure fiunt *subditi ratione delicti* (36), atque ideo coerceri possunt: *nec distinguitur unde sint* (37). Utrum vero, si in eo loco versantur quasi in termino, fiant subditi eius loci, prout advenae, non satis convenit: nonnulli affirmant (38), et S. Alphonso videtur satis probabile (39): communius negant (40); et recte (41).

iure continebitur (Ex LL. 5, 6, *Eod.;* C. 2, *De Sepult.* in 6°). Ideoque utriusque forum sortitur (c. 15 *De Foro comp.*); eoque utitur (v. c., ibi recipit sacramenta, matrimonium contrahit), quo maluerit (Sanch., *M.,* III, 24, 5; Laym., *De Poenit.,* 10, 6); etiam ubi in praesens non degit (S. Alphons., VI, 1086).

(32) L. 3, *De offic. Praesid.;* C. 3, *De Paroch.*

(33) Ex L. 5, § 5, *De Iniur.;* L. 1, § *Hospes, De his qui deiec;* Sanch., *M.,* III, 18, 9; Laym., *De Legib.,* XII, 1; S. Alph., VII, 27. Et contraria sententia, quae domicilium requirit, *non est practice probabilis* (Suar., *De Legib.,* III, 33, 3; S. Alph., I, 156). Et subditus esse intelligitur, verius, licet in dignitate sit maior eo qui in eo loco iurisdictionem habet (Schmalz., II, 2, 60; S. Alph., VII, 243); nam ibi privatus homo est.

(34) Bened. XIV, Not. 33, 11; Espen I. E. U., P. II, Tit. 38. Cap. 3, n. 8. Et quoties dicimus *parochum proprium,* etiam quasi domicilii parochus intelligitur (Ex Trid., XXIV, *R. M.,* I.). Quamobrem eo loci recipit sacramenta (excepto ordine), matrimonium contrahit (Sanch., *M.,* III, 23, 12), et (si ibi decesserit) sepelitur.

(35) Ex Clem. 2, *De Sentent. et re iudic.*

(36) CC. 19, 20, *De Foro comp.* – *Quasi,* etc. (Sanch., *Dec.,* I, 12, 38; S. Alph., I, 156).

(37) L. 3, *De Off. Praes.;* C. G., 3; It., 11. Sed hi subditi esse desinunt statim ac excesserint eo territorio, ea dioecesi (Clem. 2, *De Sent. et re iudic.;* Suar., *De Censur.,* V, 5, 3; S. Alph., VII, 26). Nihilominus, si citatione praeventi fuerint, subditi manent (C. 19, *De Foro compet.;* Filiucc., XI, 304): scilicet *ubi semel acceptum* (idest coeptum, L. 13, C. *Ad L. Iul. De Adulter.*) *est iudicium, ibi et finiri debet* (L. 30, *De Iudiciis*): et, iure canonico, citatione facta, quasi coeptum habetur (C. 20, *De O. D*).

(38) Suar., Salas, Vasq., quos refert, et sequitur Pont. (*M.,* V, 7, 6).

(39) S. Alph., 1, 156., V. *Haec sententia.*

(40) Sanch., *M.,* III, 18, 6; Tolet., S. Anton.; Bonac.; Salmant., XI, 3, 58; S. Alph., I, 156; III, 332; VII, 27.

(41) Ex C. 3, *De Paroc.* – *Praeses in suae Provinciae homines* TAN-

Demum *vagos* domicilium habere, ideoque subditos fieri eius loci in quo versantur, nempe ne sint exleges, communior sententia est, eaque utimur (42).

ART. II. *De personis quoad Ecclesiam.*

§ 1° *De Clericis.*

87. Ad ecclesiam pertinent omnes baptizati; quorum triplex genus constitui potest: nam vel clerici sunt, vel laici (illi praesunt, hi subsunt), vel (qui inter utrosque tenent) regulares. Omnibus quaedam iura constituta sunt, quae *personalia* (§ 22, n. 1) rectissime dixeris; quippe ex his velut *status* uniuscuiusque consistit, sive in Ecclesia, sive in Civitate. Horum autem quaedam lege divina, quaedam positiva, idest canonica aut civili, constituta sunt. *Divina*, ea quae profluunt ex charactere, quo obsignamur in baptismate, et sacra ordinatione: *illo* enim idonei efficimur sacramentis recipiendis, *hac* ministrandis; et quia character huiusmodi plane indelebilis est, Ecclesia sive illis recipiendis, sive his ministrandis, inidoneos nos efficere nullatenus potest (1). Quae constent ex iure seu canonico, seu civili, suis locis animadvertam: haec minui quidem et aboleri possunt, quia omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur; at quandiu constant, nobis adhaerent ut lepra cuti, nosque sequuntur ubique terrarum (§ 22, n. 1). Haec generaliter; nunc de singulis personis videamus; et primo de his qui sunt in Ecclesia: a clericis ordiendum.

88. Clerici sunt omnes mares baptizati tonsuram adepti. Nihilominus Clericorum appellatione, in odiosis, non veniunt episcopi, dignitates (2), et canonici, qui dignitatibus accedunt (3). Nec Regu-

TUM *imperium habet* (L. 3, *De Offic. Praes.*). Dixi, *quasi in termino;* nam si in transitu sint, v. c., prandendo, pernoctando, negant fere omnes fieri subditos. Et iure prorsus, nam magis *viatores* sunt (Cf. Sanch., *M.*, III, 18).

(42) Sanch., *M.*, III, 25, 5; ibiq. Sot. et Suar.; Salm., XI, 3, 60; Barb., *De Off. Paroc.* II, 21, 89; Fagnan.; Ben. XIV, Not. 33, 10. Sed negat sententia minus communis, quia id nullo iure cautum est. (Laym., *De Legibus*, XII, 7). Et verius forte; nam ea ratio, *ne sint exleges,* levior videtur, quia tenentur ut peregrini. Unum est, si quid opinor, quo communis sententia commendatur; nempe, ne pastore careant, qui necessitatibus eorum consulat. Sed priori sententiae plurimum favet Trid. (XXIV, *R. M.*, 7).

(1) D. Th., 3, 64, 9 ad 3; S. Alph., VI, 265, q. 3; VII, 159. *Communissima et certa.* V. c., ut Sacramenta collata vitandis, non valeant.

(2) Ex C. 15, *De Rescript.;* C. 22, *De Elect.* in 6°; Fagnan., in C. *Bonae memoriae,* n. 12, *De Postul. Praelat.*

(3) Fagn., *l. c.;* Barb. I. E. U., I, 39, 6; Reiff., III, 1, 14. *Canonici,* nempe Cathedralis Ecclesiae (Ex C. 11, pr., *De Rescrip.* in 6°): sed non est perpetuum. Utrum et Collegiatae, ceu retur Selvag. (*Ius Canon., De Benef.,* Tit. XVII, § 18, n. 2) ex stylo Curiae, non ausim dicere.

lares, licet tonsuram adepti: quod aut verius est, aut aequius certe (4). Clerici duplici potestate praediti sunt, iurisdictionis, et ordinis: illius regere, ligare, et solvere est; huius consecrare, et benedicere. Utraque a Christo D. N. eis constituta est (5). Utraque pluribus velut gradibus constat, quorum series dicitur *hierarchia:* inde hierarchia iurisdictionis, et ordinis. Utrique velut aditum praestat tonsura, ea nempe *caeremonia sacra, qua quis ex laico, fit clericus* (6), et ad ordines introducitur; et fit capax iurisdictionis ecclesiasticae. De utraque seorsum pauca, pro re nostra.

89. Ordo est: *Gradus alicuius potestatis ad altaris ministerium.* Potestas ordinis confertur sacra ordinatione; nec alias conferri potest. Est igitur ordinatio: quasi *mandatum* ad officia, quae ordini cohaerent, obeunda (7). Gradus huius potestatis dicuntur Ordines: inde Ordinis hierarchia. Quae constat Episcopis, presbyteris, et ministris (8). Ministrorum appellatio, lata significatione, continet Clericos minores, nempe Ostiarios, Lectores, Exorcistas, Acolythos, immo et Hypodiaconos; propria et vera, Diaconos tantum. *Clericos minores* praetereo, quippe vix ad Ecclesiae statum pertinent (nisi forte in aliquo beneficio ecclesiastico sint instituti); et eorum officia hodie etiam laici obire solent. Subdiaconi munus est, in Missa (nempe solemni) canere epistolam, et diacono calicem et patenam offerre in usum Sacrificii. Diaconi, munus ordinarium est, canere evangelium in Missa et ministrare presbytero celebranti: extraordinarium, praedicare, baptizare solemniter, et Eucharistiam fidelibus distribuere; quo proinde defungi non potest sine gravi necessitate, vel utilitate Ecclesiae (9), et ex delegatione, saltem praesumpta, eius cuius est haec obire (10). Presbyteri sunt qui, minori sacerdotio initiati, quasi seniores, potestatem habent consecrandi Eucharistiam, et absolvendi a peccatis. Hac potestate velut superstructa est potestas, 1° conficiendi sacramenta; 2° benedicendi; 3° et ecclesiasticas functiones obeundi, ceteris paribus. Sunt autem omnes (in sacris ordini-

(4) V. Sayr., V, 4, 29.

(5) Matth., XXVIII, 18.

(6) Quaestio olim fuit, utrum tonsura esset ordo, ceu canonistae; an praeparatio ad ordines, ceu TT. contendebant; quam Tridentini PP. noluerunt definire, licet non dubie inclinaverint in sentent. TT. (V. Sess. XXIII, *R.*, 4, 5, 6); quae tandem obtinuit.

(7) Ex I *Corinth.*, IV, 1: *Sic nos existimet homo ut* MINISTROS *Christi:* porro nemo *sumit sibi honorem, sed qui* VOCATUR *a Deo* (*Hebr.*, V, 4). Et *unusquisque minister Ecclesiae, quantum ad aliquid, gerit typum* (personam) *Christi* (D. Th., in 4, D. 24, Q. 3, Art. 2, Sol. 1, 1 ad 3).

(8) Trid., XXIII, *De Sacram. Ord.*, Can. VI.

(9) C. 18, D. 93; S. Alph., VI, 116.

(10) CC. 13, 18, Dist. 93.

bus constituti) inhabiles, in Ecclesia latina, matrimoniis contrahendis (11).

90. Demum Episcopi sunt velut Ecclesiae Principes (12). Ideoque iure suo, et privative quoad alios, conferunt Sacramenta, quibus Ecclesia donatur militibus et ministris; nempe confirmationem et ordines; et habent potestatem consecrandi. Sed unum eorum proprium est, ordines, nempe, hierarchicos conferre; nam cetera omnia presbyteri quoque, si non proprio et ordinario iure, delegato profecto et extraordinario, facere possunt. Nihilominus his, qui et episcopatui et dignitati renunciarunt, nefas est conferre ordines hierarchicos (13); sed collati valent, et planum est.

91. Potestas ordinis inest characteri, cumque hic sola ordinatione, nec alias, conferri possit, cumque semel impressus deleri nequeat,

(11) CC. 1, 2, *Qui Clerici, vel vovent.* Quoad clericos graeci ritus (exceptis italo-graecis), post susceptos ordines sacros, matrimonio antea contracto uti licet (C. 6, *De Cleric. coniugat.*), sed utrum illud valide contrahere possint, controversia est *plena iurgii ac dissidii* (Ben. XIV, C. *Eo quamvis tempore,* § 38. *Bull.,* I, 129). Et, licet negantium sententia communior sit et probabilior et SS. Urbis Congregationes et tribunalia ita semper censuerint, nondum tamen definiti iuris est (Bened. XIV, C. *Anno vertente,* § 13. *Bull.,* III, 28).

(12) Matth., XXVIII, 18; *Actor.,* XX, 28.

(13) C. 1, *De Ordinat. ab Episc. qui Episc. renunc.* Quando autem de potestate benedicendi et consecrandi heic incidit sermo, non abs re erit etiam de hac paucis agere. Benedictiones igitur sunt *ritus sacri quibus vel bonum aliquod alicui adprecatur, vel aliquid ex profano sacrum efficitur* (Cf. Fornici, *Instit. Liturg.* Par. IV, Cap. I); vel *sacrius,* ut ecce, cum Ecclesia simpliciter benedicta consecratur. Inde sunt vel *invocativae* (utputa benedictiones domorum, mulierum post partum); vel *constitutivae,* Ex his, quae sine sacris oleis fiunt (utputa benedictio aquae, sacrae supellectilis), *verbales;* quae illis adhibitis (ut calicis, campanarum), *reales,* et, proprio nomine, *consecrationes* dici solent. Omnes consistunt ex potestate ordinis sacerdotalis (Ex C. 9, *De Consecr. Eccl.;* C. 15, § *Ad presbyterum, De Consecrat.,* 25). Et reales sunt omnes ordinis episcopalis; verbales quaedam ordinis episcopalis, quaedam presbyteralis: quaenam illae, quaenam hae, accipe ex Rituali et Missali Rom. (*De Benediction.*). Ut generaliter dixerim, benedictio eorum, quae pertinent ad Missae sacrificium, sunt ordinis episcopalis. Questionis est, an Episcopi possint delegare presbyteris has verbales benedictiones (nam reales certum est non posse). Negantium sententia communior est (V. Ben. XIV, Notif. 21, 10), eaque utimur, praesertim ex quo Pius VII, Brevi *Quo luctu,* hanc delegandi facultatem Episcopis Galliarum indulsit. Presbyteri autem benedicere possunt cruces, quae benedicendae non sunt de praecepto; ut ecce altarium, et quae gestantur in publicis supplicationibus (S. R. C., 12 Iul. 1704); non item Coemeteriorum, vel alias publice exponendae (S. R. C., 12 Aug. 1844). Item et sacras imagines (Cavalieri, *Rit. Expens.,* Cap. XI, Decr. VII, § 3); sed privatim (Ex cit. Decr. 1704); idest ritu in Rit. Rom. (non in Pontificali praescripto (Caval., *loc. cit.*).

sponte sua fluit, potestatem ordinis nullo prorsus titulo, nec errore communi ab Ecclesia suppleri (secus ac iurisdictio) unquam vel usquam posse his, qui eo, cui illa inest, ordine carent. Et ex diverso, ei qui eam semel, suscepto ordine, nactus est, extorqueri, aut minui, aut intercipi (suspendi) nullatenus posse. Ideoque valide semper, ubivis, et ab omnibus, degradatis quoque, exercetur (14).

92. Iurisdictionis vocabulum heic patet latissime; et ideo quid sit jurisdictio definire, et eam secernere a potestate ordinis, difficile est (15). Ut generaliter dixerim, hac potestate continentur quaecumque ad christianam rempubl., et in primis quae ad fidem et mores, quae ad cultum, quae ad disciplinam pertinent. Duo autem huius potestatis sunt: 1° docere; 2° imperare; atque ideo solvere *et* ligare. Dixi *et*, non *aut;* nam una potestas sine altera imperfecta esset; ideo una sine altera non intelligitur (16). Prout autem potestas ordinis charactere, ita iurisdictionis potestas tonsura innititur tota (§ 88, in fin.), quippe qua ex laicis efficimur clerici. Qua praeterea, iure canonico, capaces efficimur obtinendis ecclesiasticis beneficiis, et horis canonicis in choro recitandis. Tonsura, hoc iure, deletur per degradationem (17); quaecumque igitur Clericus interim facit, quae ex tonsura vim et statum capiunt, rata sunt, nisi Ecclesia ea irrita faciat, ut, v. g., in vitandis.

93. Hierarchia iurisdictionis duos habet gradus: in primo eminet Rom. Pontifex, in altero Episcopi sub Romano Pontifice sunt constituti. Romanus Pontifex Petrus est; ideoque eius potestas nullis limitibus circumscripta est; neque *locorum* (18), neque *rerum,* neque *personarum* (19). Et cum *ex cathedra* docet ea, *quae ad fi-*

(14) D. Th., *Suppl.,* 22, 3 ad 2.

(15) Cf. Berardi, *Comment. in Ius Eccl. Univ.,* Dissert. I, Cap. I, pr. – Iurisdictionis vocabulum in Ecclesia invexisse dicitur. (S. Greg. M., Lib. XIV, Epist. 8).

(16) Ex L. 38, *De R. I.* Ibi: *Nemo qui condemnare non potest, absolvere potest.* Et, ex diverso *qui condemnare potest, is absolvendi quoque potestatem habet* (L. 3, *De re iud.*). Et qui dispensandi, is et revocandi dispensationem, potestatem habet (Suar., *De Leg.,* VIII, 37, 14). Verum haec pertinent ad eos tantum, qui in alterutro huius hierarchiae gradu sunt constituti; non item ad eos qui derivata ab illis iurisdictione gaudent, quamvis ordinaria (Duard., Lib. III, § 3, Quae. I, n. 6). Hinc, v. c., iudex in causis criminalibus condemnandi, non solvendi eum quem condemnavit (L. 15, C. *De Poenis*); contra, parochus absolvendi a censuris non reservatis (C. 29, *De S. E.*), non ligandi, potestatem habet.

(17) C. 2, *De Poenis* in 6°; Bened. XIV, *De Syn.,* IX, 6, 4.

(18) Is., LIV, 3; Marci, XVI, 15.

(19) Marci, XVI, 15; Io., XXI, 16; I *Corinth.,* V, 12. *Rerum,* nempe spiritualium; *personarum,* scilicet,

dem et mores pertinent, est *ex sese* fallere et falli nescius. Quod, si haec revelationis deposito continentur, *de fide* est (20); sin minus, est *certum theologice* (21). In regenda autem Ecclesia, utitur, in ipsa Urbe, Sacris Congregationibus; extra, Legatis et Praefectis Apostolicis. Ex illis potiores sunt: *S. U. Inquisitio*, quae Fidei vigilat (22); *S. C. Epp. et RR.*, quae dirimit controversias, cum primis inter Episcopos, et Regulares; *S. C. Conc.* Trident. interpres (23); *S. Dataria,* quae confert beneficia ecclesiastica, et dispensat ab impedimentis matrimonialibus quoad forum externum. Demum Sacra *Poenitentiaria*, quae ad forum cum primis internum pertinet, et conscientiae necessitatibus consulit (24); cuius proinde officium non cessat morte Pontificis (25). De Legatis (sive *natis*, sive *missis,* sive *a latere*), et de Praefectis Apostolicis, qui in locis Missionum Episcoporum officium gerunt, viderint Canonistae.

94. Venio ad Episcopos. *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* (26). Hi in locum Apostolorum successerunt (27). Inde quaesitum est, an possint in sua dioecesi, in his rebus quae dioecesis fines excedere nequeunt, quaecumque R. P. potest in Ec-

quoad *docendum*, omnium prorsus; quoad *iubendum,* eorum qui per baptismum Ecclesiam fuerint ingressi.

(20) Concilium Vatican., Sess. IV, Cap. IV. Porro ex cathedra loqui intelligitur, quoties eos, qui contra sentiunt, aut haereticos esse pronunciat, aut *res definita Ecclesiae credenda proponitur sub poena anathematis* (Charmes, *De Prolegom.*, Dissert. V, Cap. IV, Quaest. 2).

(21) V. Lugo, *De Fide,* XX, 8; Franzelin, *De Divin. Tradit.*, post thes. 12.

(22) Xystus V, C. *Immensa.* Huic accedit *Indicis Congregatio.*

(23) Pius IV, C. *Motu proprio;* Xystus V, cit. C. *Immensa.*

(24) Inn. XII, C. *Ad radicitus;* Ben. XIV, C. *Pastor Bonus.* Gratiae *a Maiori Poenitentiario* trifariam concedi solent: 1° in foro interno, seu sacramentali (V. § 25, n. 12), seu coscientiae tantum; 2° in utroque foro; 3° simpliciter (De Iust., I, 8, 24). Absolvit, iure suo, a reservatis R. P., dispensat in votis, iuramentis, irregularitatibus; item cum simoniace, vel male promotis ad ordines: convalidat titulos beneficiorum, quamdiu vitium est occultum; commutat divini officii recitationem, componit debita incerta, etc. Et hodie dispensat etiam in publicis minoribus impedimentis matrimonialibus, sed, regulariter, pauperes tantum.

(25) Clem. 2, § *Eo tamen*, *De Election.*

(26) *Actor.*, XX, 22; Trid., VI, *R.*, 1.

(27) Trid., XXIII, Cap. 4; C. 2, Dist. 21; Conc. Vat., cit. C. IV. Episcopalis ordo unus est; gradus triplex: Patriarchae, Metropolitani, et Episcopi. Patriarchae in Ecclesia latina Metropolitanorum iure censentur. Horum autem est cogere synodum, ex suffraganeis Episcopis, provincialem (Trid., XXIV, *R.*, 2); appellationes a Curiis episcopalibus recipere (C. 1, *De Censib.* in 6°); Provinciam visitare, et, dum S. Visitationem obeunt, a peccatis (C. 5, *Eod.*), atque ideo et a reservatis (Salm., 10, 2, 45), absolvere. Nempe post pallium susceptum a R. P.: nam antea archiepiscoporum nec nomen habent (C. 3, *De Auct. et usu pallii*).

clesia universa (28). Illud certissimum est, potestatem episcopalem potestate R. P., *sicut cardine ostium*, regi: illudque fere inter omnes convenit, Episcoporum potestate contineri, non quaecumque ius Canonicum eis permittit, sed quaecumque non vetat (29). Itaque Episcopus iure suo regit dioecesim; condit leges; sancit poenas et censuras (30); beneficia ecclesiastica erigit, supprimit, confert; pias Confraternitates instituit; omnium piarum dispositionum, cessantibus his ad quos pertinet, executor est, et, in dubiis, interpres (31). Ab his qui possident beneficia ecclesiastica exigit cathedraticum, in obsequium suae dignitatis (32). Est Doctor in sua dioecesi; atque ideo offici sui est, noxios libros in sua dioecesi proscribere (33); docere quae ad fidem, mores, disciplinam pertinent. Verum, quia errare potest, magisterium Episcopi in his tantum videtur obligare, quae ab aliis docentur non sine perturbatione, vel offensione fidelium (34). Ad haec, multa facere potest tamquam. Sed.

(28) Sententia negativa patronos habet multos, et graves. Affirmativam tuentur Vasq., Victor. (*Relect. De Matrim.*, Par. I, n. 7), Sotus (*De Iust.*, 1, 3), Pont. (*M.*, VI, 1, 12), Sanch. (*M.* 1, 61, 3), Laym. (Lib. I, Tr. IX, Cap. VII, n. 5), S. Alph. (VI, 613, 980), et, teste Suaresio (*De Leg.* IV, Cap. IV) qui hanc sententiam pluribus exagitat, multi ex Canonistis: apud quos velut axioma est, posse Episcopum regulariter in sua Dioecesi quod in tota Ecclesia Papa potest (Barb., *De Off. Ep.*, II, 1, 6; 33, 16; Reiff., 1, 2, 77; Sanch., *loc. cit.*).

(29) Lugo, *Resp. Moral.*, I, 45; Suar., *De Voto*. VI, 10, 4.

(30) C. 22, *De Maior.;* C. 2, *De Constit.* in 6°. *Condit leges*, nempe praeter, non contra ius canonicum: v. c., ne sponsi post inita sponsalia in eadem domo cohabitent; non item, ut haec sine scriptis, vel sine testibus inita, irrita sint. - *Sancit censuras,* nempe legibus tuendis, nedum suis, sed et Ecclesiae, si quando hae in transgressores non animadvertunt; puta in eos qui clandestinis matrimoniis testes intersunt (Sanch., *M.*, III, 53; Ben. XIV, *De Syn.*, XII, VI, 2; contra Soto). Amplius, post Constit. Bened. XIV, *Ad Militantis,* 29 Apr. 1742 (*Bull.* I, n. 48), *a quibuscumque eorum mandatis, prohibitionibus, provisionibus, et statutis,* tam in visitatione, quam extra, quae vel ad divinum cultum, vel ad curam animarum, et sacramentorum administrationem, et morum correctionem pertinent, etsi liceat ad superiorem provocare, non ideo tamen licet eorum executionem retardare, suspendere, vel impedire, quod et in aliis multis obtinet (V. cit. Const., §§ 6-37).

(31) CC. 3, 6, 17, *De Testam.;* Clem. 2, *De Relig. domib.;* Trid., XXII, *Ref.*, 8.

(32) C. *Placuit,* 10, 3. Et *procurationes,* seu victualia, dum S. Visitationem ipse obit (C. 6, *De O. O.* in 6°). Nisi aliud loci consuetudo ferat (Trid., XXIV, *R.,* 3). *Ipse;* nam, si per alium eam peragit, huic debentur (Ex cit. C. 6; S. C. C., 22 Novemb. 1613).

(33) S. C. Indic., De Mand. SSmi, 24 Aug. 1864. V. Reg. 10 Indicis, § *Verum.*

(34) Duplex obedientia distinguitur a TT.; intellectus, et voluntatis; illa debetur ei tantum qui non potest errare, haec cuilibet superiori debetur (Cf. Suar., To. IV, *De Religion.,* Lib. IV, Cap. 15; Segneri, *Let-*

Apostolicae delegatus (35), et in primis *in omnibus iis quae ad visitationem aut morum correctionem pertinent* (36). Multa demum ex receptis moribus, vel iusta interpretatione, vel epicheia. Exinde 1° absolvit a casibus et censuris R. P. reservatis, quamdiu fuerint occulta; dispensat 2° in irregularitatibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus (37); 3° in impedimentis dubiis matrimonium dirimentibus (38); nec non 4° in minoribus Ecclesiae legibus, ut puta in observantia festorum, in ieiuniis, etc.; prout latius suis locis.

95. Porro Episcoporum appellatione, cum in iure canonico de iurisdictione agitur, continentur quotquot praediti sunt iurisdictione episcopali (39); verum quinam hi, non est expeditum satis. Ea contineri Cardinales S. R. E. in Titulo quemque suo, sed circa ea tantum quae ad disciplinam ecclesiasticam et morum correctionem pertinent (40); nec non Vicarios capitulares, et Abbates *vere nullius* dioecesis (41), indubitati iuris est. Utrum ea contineantur Generales, et Provinciales Ordinum, non satis convenit; sententia communior negat, eo quod alias ad absolvendum ab excommunicatione *canonis* non indiguissent privilegio a S. Pio V eis concesso: minus

tere sul Probabil., Lett. 3, § 1, n. 6). Atque ideo praecipuum Episcopi munus est praedicare (Trid., V, *Ref.*, 2); eiusque solius est praedicatores mittere in sua diocesi (Cf. Nardi, *Dei Parochi*, Vol. I, Cap. 10). Et nec ipsis Regularibus licet, eo contradicente, vel non petita ab eo benedictione, praedicare, ne in Ecclesiis quidem suorum Ordinum (Trid., XXIV, *Ref.*, 4; Greg. XV, C. *Inscrutabili;* Bened. XIV, *De Syn.*, IX, 15, 11).

(35) Nempe, cum id ei concessum est nominatim (Engel, I, 29, 5). Sed et multa ex his quae facere non potest iure suo, facere permittitur tamquam delegatus Sedis Apostolicae (V. Trident., XXII, *R.*, 3). Hoc eo spectat, ne quis ab Episcopo ad Metropolit. appellare possit (V. sup., § 72, n. 20). Et ita obtinet (*Acta*, X, 262; XIV, 36). Haec delegatio a Conc. Trident. (IV., *R.*, 2) dicitur introducta (Cf. Pallavic., *Istoria del C. di Tr.*, Lib. VII, Cap. I, n. 5); sed eo antiquior est (C. 13, § 1, *De O. O.;* Clem. un., *De Suppl. Negl. Praelat.*).

(36) Trident., XXIV, *R.*, 10. Et hodie praeterea in aliis permultis, *et generaliter in omnibus iis quae pertinent ad curam animarum, et rectam sacramentor. administrationem, adversus visitationem, correctionem, coercitionem, et quascumq. alias provisiones, etiam quoad exemptos, sive saeculares, sive regulares, iuxta C. Gregorii XV, quae incipit* INSCRUTABILI, (Bened. XIV, C. *Ad Militantis*, 1 Apr. 1742. *Bullar.*, I, 48).

(37) Trid., XXIV, *R.*, 6.

(38) S. Alph., Lib. I, App. II, LV; Lib. VI, 902, v. *Ceterum.* Communissima.

(39) Suarez, *De Censur.*, VII, 3, 12, etc.; S. Alph., VI, 593; ibiq. Fagnan.

(40) C. 11, *De Maiorit. et obed.;* Inn. XII, C. *Rom. Pontifex.*

(41) Bened. XIV, C. *Apostolicae Servitutis*, et C. *Inter multa;* Suar., n. 15

communis affirmat, ex C. 3, *De Priv.* in 6°, et est probabilis (42). At profecto ea appellatione non continentur quando iurisdictio conceditur exercenda in propria dioecesi, ut Trid., XXIV, *R.*, 6, vel in proprio territorio, quippe nulla eis dioecesis, territorium nullum est: et ita a S. C. C. declaratum fuisse testantur Barbosa (*De Potest. Ep.*, Par. II, 39, 18) et Gallemart (ad Cap. VI, Sess. XXIV, Conc. Trid.).

96. Et ipsi quoque, praeter senatum, canonicos nempe Cathedralis ecclesiae, suos habent Vicarios generales, et parochos. Vic. gen., in his quae iurisdictionis sunt, fungitur vice Episcopi (43), eiusque utitur iurisdictione (44). Amplius; una eademque est utriusque persona, unum utriusque tribunal (45). Nihilominus Vic. generalis iurisdictionem effugiunt: 1° negocia extraordinaria (46); 2° ea quae Episcopus non facile praesumitur concessurus, nisi forte absit longe diuque (47); ac demum, 3° quae pertinent ad potestatem ordinis, licet Vic. gen. sit praeditus ordine episcopali (48). Episcopo autem sublato, puta morte, renunciatione, captivitate (49), etc., omne ius et nomen Vicarii, continuo, *etiam quoad negocia iam coepta*, cum una sit utriusque persona, evanescit (50). Et Episcopo

(42) V. Salmant., 10, 2, 72; Croix VII, 141; S. Alph., VII, 100, 101, 107.

(43) C. 3, *De Appell.* in 6°; Sbroz., *De Vic. Episc.*, Lib. I, Q. 23. Ideo quoties in iure aliquid conceditur Episcopo, nisi addatur *tantum*, Vicario quoque eius concessum intelligitur (Sbroz., II, 43, 29).

(44) Cit. C. 3. Sed quasi propria et ordinaria, quippe est a iure (ex C. 2, *De Vic.* in 6°; Sbroz., II, 55, 9); et potest alium Vicarium substituere (V. § 70, n. 16), si Episcopus hanc ei facultatem dederit (Sbroz., II, 66, 1; De Iust., I, V, 84; Sanch., *M.*, VIII, 27, 41).

(45) C. 2, *De Consuet.* in 6°; cit. C. 3. Etiam in foro interno (S. Alph., VI, 558). Et si Episcopus plures sibi Vicar. Gener. constituerit, nisi unus eorum principalior sit, vel nisi eos constituerit divisis negociis, vel territoriis, omnes in solidum agunt (Sbroz., II, 62, 3); quasi plures mandatarii (L. 60, § 2, *Mand.*). Nihilominus, si unus negocium gerere coeperit, alii non poterunt se ulterius intromittere (L. 32, *De Procurat.*); nisi forte ille postea nequeat, aut nolit, negocium implere (*C.* 8, *De O. D.* in 6°). Quando autem una eademque est Episcopi et Vicarii persona, non datur appellatio a Vic. ad Episcopum (Cit. C. 2).

(46) Ben. XIV, *De Syn*, II, 8, 2. Et in primis quae alienationem sapiunt (Ex C. ult., *De O. V.* in 6°).

(47) CC. 2, 3, *Eod.;* Sbroz., II, 35, 3. *In generali concessione non veniunt ea quae quis non esset verosimiliter concessurus* (C. 81, *De R. I.* in 6°). Ut puta conferre beneficia, ea supprimere, dividere, unire (Bened. XIV, *De Sin.*, II, 8, 2), dare ordinandis literas dimissorias (C. 3, *De temp. ord.* in 6°), dispensare in impedimentis matrimonialibus dubiis (Schmalz., IV, 16, 90; ibique Reiff.).

(48) Sbroz., II, V, a num. 1; Bened. XIV, *l. c.*

(49) C. 3, *De Suppl. negligent.*, in 6°; Reiff., I, 28, 106.

(50) Ex Clem. ult., *De Procurat. Nomen:* ideoque si quid a S. Sede ei delegatum sit, v. c., dispensatio matrimonialis, delegatio ipso iure cessat (V. Sanch., *M.*, III, 30, 9).

nominatim suspenso, vel excommunicato, iurisdictio quoque Vicarii in suspenso (§ 77, n. 56) est, ipso iure (51).

97. Vacua Sede Episcopali, tota iurisdictio Episcopi, exceptis his quae sapiunt innovationem, vel alienationem (52), seu ordinaria seu *delegata a iure,* transit in Capitulum (53), et ab eo in Vicarium capitularem transit (54). Nihilominus is non potest visitationem obire, anno ab ultima S. Visitatione nondum elapso; nec literas ad tonsuram, vel ordines dimissorias concedere infra annum, praeterquam arctatis (55); nec beneficia conferre, seu quae vacant vacua Sede, seu quae antea vacaverant; exceptis beneficiis patronatus laicalis (56). Cessat atem officium Vicarii capit. statim ac novus Episcopus pos-

(51) C, 1, *De Off. Vic.* in 6°. Etiam rebus non integris (Sanch., *l. c.,* n. 6; Salmant., 10, 3, 86). Nihilominus, quia retinet nomen Vicarii, si quid, v. c., a Sancta Sede ei mandatum fuerit, potest mandato defungi, quia mandantis, non Episcopi, iurisdictione utitur (Ex C. 1, *De O. V.* in 6°; Sanch., *l. c.,* n. 9): v. c., expedire dispensation. matrimonialem (De Iust., I, V. 80). Sed an possit, eo mortuo, vel remoto, re integra, id expedire novus Vicarius (nam Vicarius, uti Legatus, successorem non habet)? Et, ex benigna R. Pontif. mentis interpretatione, receptum est, posse (Abb.; Sanch., *M.,* VIII, 27, 10). Et de dispensationibus matrimonialibus hodie definiti iuris est.

Ad haec, Episcopi vices gerit in Cathedrali canonicus poenitentiarius, in audiendis fidelium confessionibus. Qua in re, ordinaria iurisdictione pollet, et intelligitur quasi parochus totius dioecesis (Ex Trident., XXIV, *R.,* 8; Bened. XIV, *De Syn.,* III, 4, 3): sed non potest absolvere a reservatis, nisi Episcopus hanc facultatem ei nominatim concesserit (S. C. Epp. apud Ferrar., v. *Canonicus,* IX, 71).

(52) Tot. Tit. *Ne Sede Vacan.* Sed et ab erigendis Confraternitatibus, earumque statutis approbandis, hodie ei abstinendum est (S. C. Indul., 15 Nov. 1878, probante Leone XIII, 23 Nov.; *Acta,* XI, pag. 353).

(53) CC. 11, 14, *De Maior.;* Reiff., III, 9, 25; Bened. XIV, *De Syn.,* II, 9, 2; XIII, 25, 2; Marchet., *Prax. Vic. Capit.,* Tit. XII. Non item ea quae Episcopo, aut Vic. eius Generali mandata fuerant speciatim. Exceptis dispensationibus matrimonialibus; nam hodie statutum est, has remittendas esse Ordinario; Ordinarii autem appellatione, et Episcopum, et Vic. eius Gener., et Vic. Capitularem, re sive integra, sive non integra, contineri; de quo in Tr. *De Matrim.*

(54) Trid., XXIV, *Ref.,* 16. Scilicet ipso iure, ac tota prorsus, et, quoad ipsum Capitulum, *privative,* atque *irrevocabiliter* (Pius IX, C. *Romanus Pontifex,* V. Kal. Sept. 1873. V. Bened. XIV, *De Syn.,* Lib. II, Cap. 9).

(55) Trid., VII, *R.,* 10. *Arctatus* dicitur laicus praesentatus ad beneficium ecclesiasticum, et clericus qui, ex adepto beneficio, necesse habet aliquem ordinem suscipere intra tempus definitum vel a iure, vel a fundationum tabulis. In regno Neap. arctatos Vic. cap. dimittunt quidem ad ordines suscipiendos vel infra annum, sed de consensu pleni Capituli; non arctatos autem nec post annum, nisi de S. C. C. licentia (Concord. Bened. an. 1742, Cap. VI).

(56) C. 2, *De Sede vacante;* Regg. 2, 11, *Canc. Apost.* Ad haec Fagnan. (in C. *Significasti,* n. 3, *De O. Archid.*) et Reiff. (III, 9, 76) rati sunt, Vic. Capit. nec literas formatas, seu *dimissorias,* clericis dare posse, ut e sua dioecesi abire valeant, et in aliam cooptari, ex C. 5, *De Cleric. non resid.* Sed iura quae laudant, huc non pertinent.

sessionem coeperit (57); sed gratiae ab illo factae manent quamdiu ab hoc non fuerint revocatae (58). Quae, si quasi contractum continent (v. c., electio praedicatoris), ne revocari quidem possunt (59).

98. Praeterea, uti in partem sollicitudinis R. P. vocati sunt Episcopi, iure divino; ita in partem sollicitudinis Episcoporum, vocati sunt parochi, iure canonico. His igitur, quasi vicariis Episcopi (60), credita est animarum cura. Hac re, unicuique parochiale territorium constitutum est (61); et in eo territorio ecclesia parochialis (62). Iurisdictio parochorum ad forum internum pertinet tota: eorumque est sacramenta ministrare (de quo alibi), et quasdam functiones obire, privative quoad alios (63). Functiones huiusmodi

(57) Marchet. *De Vic.,* Cap. 36, a n. 1.

(58) Sanch., *M.,* VIII, 28, nn. 83, 85. V. c., literas dimissorias ad ordines (S. Alph., VI, 787).

(59) Marchet., n. 25, ex S. C. Epp., 15 Decem. 1587. Porro Episcopi vocantur quoque *Ordinarii,* sed nomen Ordinarii generale est, eoque et Episcopus, et Vic. eius gen., et Vic. capit. continentur (Sanch., *M.,* III, 29, 4; De Iustis, I, V, 17). Quamobrem si, v. c., 1°., R. P. aliquid mandaverit *Ordinario* loci (v. c. ut Seium a censuris absolvat), poterunt id praestare seu Episcopus, seu Vic. gen., uter praevenerit (Ex C. 8, *De O. D.* in 6°; Sbroz., II, 105, 2); seu, vacua Sede, Vic. capit. (De Iust., n. 18; Sanch., n. 4). At si quid mandaverit Episcopo, expediri non poterit a Vic. gen. (Reiff., IV, 21, app. 298), ne iussu Ep. quidem (De Rosa, *De Exeq. Lit. Apost.,* P. I, cap. 8, n. 21): et ita omnino ante factum tenendum est (V. § 72, n. 20); vel Ep. absente (Conrad., *Prax.,* VII, IV, 39; De Rosa, I, 2, 24). Et ex diverso, 2°., si aliquid mandaverit Vic. Gli., Episcopus non poterit hoc expedire (Conr., n. 38; De Iust., I, V, 56); ne Vic. quidem absente, aut remoto (Sanch., *M.,* VIII, 27, 30; De Iust., *l. c.*). Immo nec ipsemet Vic., si postea eius dioecesis Episcopus creatus fuerit (Paris, *De Resig.,* XI, VIII, 8; De Iust., n. 66): sed negocium per novum Vic. erit expediendum (Paris., n. 17; Sanch., *M.,* VIII, 27, 31; De Iust., n. 56). Sed si mandatum fuit Episcopo, aut Vicario eius Gli., poterit illud expedire, utroque sublato, Vicarius capitularis (Sanch., *M.,* VIII, 27, 32), quippe Episcopi loco est: et ita decisum fuisse a S. C. C., et pluries a S. C. Episc., tradunt Pyrr., Conrad. (*Prax.* etc., VII, IV, 11), De Iust. (I, 5, 19), et Lucius Ferraris (V. *Execut. Liter. Apost.,* n. 29): nisi forte negocium magis personae, quam dignitati mandatum fuerit (Sanch., n. 2; Ferrar., n. 34).

(60) Berar. I. E. U., To. 1, Diss. VI, Cap. I, vers. *Ut commodiorem.* Scilicet dioecesis Parochia est Episcopi (C. 5, Cau. 16, 3). Ideoque ipse mediate, parochi vero immediate in parochiis iurisdictionem exercent.

(61) Ex C. 1, Cau. 14, 1; Trident., XXIV, *R.,* 13. Sed ubi iurisdictio ex familiis, non ex territorio, metitur, territorium, quo familiae continentur, omnibus parochis commune est (Barbo., *De O. Par.,* Par. I, Cap. I, 24; ex S. C. C., Espen I. E. U., Par. I, Tit. 3, Cap. I, n. 4).

(62) C. 15, *De Praeb.;* Trid., XXIV, *R.,* 13. Neque enim eis subsunt aliae ecclesiae in territorio parochiali existentes (C. ult., *De O. Archid.*; Bened. XIV, Not. 165, n. 108), licet filiales vocentur (Ex S. C. C., 25 August. 1872. *Acta,* X, 603).

(63) V. Barb., *De Off. Par.,* I, XII; Ben. XIV., Not. 105, n. 103. Functionum duo sunt genera, sacerdotales et

(quae idcirco parochiales dicuntur) sunt: Missa solemnis in feria 5 maioris hebdomadae (64), benedictio sponsi et sponsae (65), domorum in sabbato sancto, et mulierum post partum (66); item publicas supplicationes, etiam extra ecclesiam, at non extra proprium territorium, obire. Et canere missas solemnes, idest cum diacono et subdiacono, in ecclesiis confraternitatum laicalium, nisi aliud consuetudine sit introductum (67). Verum haec omnia competunt parochis quasi vicariis Episcoporum; quamobrem in potestate horum est, ea, quae sunt Parochorum, gerere, sive per se, sive per alium, quotiescumque ipsis videbitur; dummodo nihil eis detrahant ex reditibus, sive certis sive incertis, obventionibus, oblationibus et id genus ceteris (68).

99. Restat ut de reliquis Clericis videamus; nempe quae iura eis constituta sint, quae privilegia. Itaque Presbyterorum munus est sacrificium offerre, et sacris vacare (69). Ideo unicuique sua ecclesia esse debet. Et *sua* intelligitur in qua quisque beneficium possidet (70), vel cui ab Episcopo in sacra ordinatione fuerit adscriptus (71). In his igitur licet eis, *privative quoad Parochos,* omnes sacras functiones non parochiales obire, ceteris paribus (72). Nisi

parochiales: *sacerdotales* sunt quae ex mera ordinis potestate consistunt: *parochiales,* quibus aliquid iurisdictionis inest (Barb., Ben. XIV, *ll. cc.*).

(64) S. R. C. *Urbis et Orbis,* 10 Decem. 1703 ad 8^{m}.

(65) Trid. XXIV, *R. M.,* 1.

(66) S. R. C. *ib.* ad 6^{m}.

(67) S. R. C., *l. c.* ad 20^{m}, 22^{m}.; S. C. C., 24 Decem. 1718; Ben. XIV, Not. 105, nn. 118, 119. Eas recenset Monac., *Form.,* Tit. X, Form. 18, n. 4; sed *functiones* parochiales cum *iuribus* parochialibus (de quibus in III Parte agendum erit) permiscet. Ubi autem duo parochi aequali iure praesunt uni eidemque parochiae, potestas utrique in solidum competit; ideoque uterque potest obire quaevis munera parochialia, vel alii delegare, altero invito (Regin., I, 49; Sanch., *M.,* III, 24, n. ult.). Et planum est.

(68) Berar. I. E. U., *l. c.,* circa fin. – Parochis prope, vel proxime accedunt hi quibus *Vicariae* creditae sunt. Vicaria est: *Officium gerendi curam animarum, quae penes alium residet habitualiter* (Ex CC. 2, 3, 6, *De O. V.;* V. Trident., VII, *R.,* 7; XXV, *R.,* 16). Vicariis huiusmodi competit ius exercendi curam animarum: hoc autem vel perpetuum est, vel revocabile; inde sunt vel perpetui, vel amovibiles. Illi regulariter parochorum iure censentur (Clemen. un., *De O. V.;* V. Ferrar., v. *Vicarius Parochialis,* a n. 21). Hi non item (Cf. De Luca, *De Benefic.,* Disc. 80, n. 16); verum, quamdiu manent in officio, pene omnia iura, quoad sacramenta administranda, parochorum exercent.

(69) *Hebr.,* V. 1. *Sacris vacare Sacerdotes oportet* (L. 37, § 4, *De Recept. Arb.*).

(70). C. 3, *De Iure Patronat.* Proinde quod nos dicimus *beneficium* obtinere, retinere, abdicare, vacare, canones dicunt: *Ecclesiam* intrare, retinere, dimettere (C. 3, *De Cleric. non resid;* C. 4, *De Renunc.*), vacare (C. 9, *De O. O.* in 6°).

(71) Trid. XXIII, *R.,* 13, 16.

(72) Cf. Bened. XIV, *Notif.* 105, n. 102; S. Rit. Congr., 13 Ian. 1844.

parochus doceat, ecclesiam sibi subiectam esse, vel ex tabulis fundationum, vel ex privilegio, vel quia expensis ecclesiae parochialis fuit excitata, vel demum nisi legitima praescriptione aliquod in ea ius acquisierit (73). Denique latini et italo-graeci, subdiaconatu suscepto, fiunt inhabiles matrimoniis contrahendis (74).

100. Privilegia potiora Clericis constituta haec sunt: I. *Privilegium fori,* quo eximuntur a magistratibus laicis (75); sicubi adhuc viget. Verum his tantum competit, qui vel constituti sunt in sacris, vel habent beneficium ecclesiasticum; non item aliis, nisi deferant habitum, et tonsuram, et alicui ecclesiae de mandato Episcopi inserviant, aut in aliqua schola, vel universitate, de licentia eius, quasi in via ad maiores ordines suscipiendos, versentur (76). II. *Privilegium C. Odoardus.* Hoc (*beneficium competentiae*) id praestat, ne Clericus, qui aliquid alicui debet, condemnetur ultra id quod dare potest (77): ideoque relictis ei alimentis (78), pro taxa dioecesana, donec ad pinguiorem fortunam devenerit (79). Hoc quoque in regnis saecularibus obsolevit; praeterquam his locis, ubi alimenta sequestrari prohibentur, ceu penes nos; sed valet quoad fructus beneficii dumtaxat, qui instar alimentorum habentur. Demum III. *privilegium Canonis;* quo percussores clericorum incurrunt ipso facto excommunicationem R. P. reserv., de qua serius. His privilegiis I. expoliari potest officio iudicis clericus qui ludicram artem exercet; sed post annum, et si, praemonitus ter ab Ordinario, non resipuerit (80): nec non is *qui tyrannidi vel enormitati sese immiscuerit* (81). II. Ea vero amittit ipso facto clericus

(73) C. 2, *De Cappell. Monach.;* C. ult., *De O. Arch.*; S. R. C., 10 Decemb. 1703, ad 5, 6, 11, 12, 13; De Luca *De Parochis,* Disc. 21.

(74) Bened. XIV, C. *Anno vertente,* 19 Iun. 1750. Nam de graecis nondum definitum est (cit. Const., § 13).

(75) C. 2, *De Foro compet.* Et *qui cogunt sive directe, sive indirecte, iudices laicos ad eos trahendos ad suum Tribunal, praeter canonicas sanctiones,* incurrunt ipso iure excomm. R. P. r., de qua serius.

(76) Trid., XXIII, *R.,* 6. – *De mandato:* sed etsi aliae inserviat, idem iuris est (S. C. C., 23 Ian. 1603; V. Bened. XIV, *De Syn.,* XII, VI, 5.).

(77) C. 3, *De Solution.;* LL. 19, 30, *De Re iudic.*

(78) Cit. L. 30; Innoc. XI, 3 Martii 1679.

(79) S. C. C. 18 Sept. 1868. *Donec* etc. (L. un., § *Cum autem, De rei uxor. actio.*). Et dummodo sine suo *dolo malo* (cit. § *Cum autem*) solvendo esse desierit: ergo si negligentia, vel socordia sua eget, excusatur (Fagnan., in cit. C. *Odoardus,* nn. 41, 42).

(80) Clem. 1, *De Vita et honest. cleric.* Non item excommunicatus, vel depositus (Suar., *De Cens.,* 22, 1, 16).

(81) C. 23, *De S. E.* Nec ulla monitione opus est (Navarr., 27, 81; Suar., n. 15). Nec obstant C. 45, *Eod.* et C. ult., *De Vita et honest. cleric.;* illud enim ad privil. fori, hoc ad clericos negotiatores pertinet.

bigamus, qui duas legitimas uxores, aut viduam duxit (82): et clerici minores, qui dimittunt habitum clericalem (83).

101. Uti autem. R. Pontifici Episcopi, ita suis Episcopis subiacent clerici. Nempe, hi qui in minoribus ordinibus sunt constituti, nulloque gaudent ecclesiastico beneficio, quamdiu in clericatu permanserint (84): ceteri ad vitam. Porro suus Episcopus intelligitur ratione vel originis, vel domicilii, vel beneficii: verum ei tantum clericus subesse debet, in cuius dioecesi domicilium fovet; et ei in cuius dioecesi beneficium possidet, sed huic quoad ea dumtaxat quae ad beneficium pertinent. Permittitur autem in aliam dioecesim, propria relicta, discedere (85); praeterquam si in propria beneficium residentiale nactus sit (86), aut in aliquo officio ecclesiastico, licet amovibili ad nutum, ab Ordinario constitutus fuerit (87). Hi enim, si discesserint iniussu Episcopi, revocari possunt, licet in aliena dioecesi beneficium residentiale fuerint adepti (88): modo eis de congrua provideatur.

§ 2° *De Regularibus.*

102. Regulare institutum est: *Communis et perpetuus vitae status, christianam perfectionem sectantium, auctoritate R. P. constitutus.* Instituta regularia plurima sunt: omnium velut substantia consistit ex *votis* continentiae, obedientiae, et paupertatis, nempe, excepta Soc. Iesu (1), solemnibus (2). Amplius: moniales clausuram

(82) C. 1, *De Bigam.* in 6°. Non bigamus retinet haec privilegia, dummodo habitum et tonsuram deferat, et alicui Ecclesiae de mandato Episcopi inserviat (Ex Trid., *l. c.*). Sed amittit privil. C. *Odoardus* (Cf. Schmalz.. V, 39, 218).

(83) Pius IX, 20 Sept. 1860.

(84) S. C. C., 7 Maii 1672. Nec Episcopi vetare possunt, ne iniussu ipsorum habitum clericalem dimittant; vel resumant dimissum (S. C. C., 9 Sept. 1677; 14 Dec. 1647; Bened. XIV, *De Syn.*, XII, 3, 3).

(85) Ex Innoc. XI, B. *Speculatores.* §§ 3, 5; et S. C. C., 26 August. 1887 (*Acta*, X, 490); Honorante, *Prax.* etc., Cap. IX, n. 2.

(86) Barbo., *De O. Ep.*, Par. II, Alleg. IV, n. 4. Et planum est, nam eo se abdicare, iniussu Episcopi, vetitum est.

(87) S. C. Epp., 14 Aug. 1880 (*Acta*, XIV, 121).

(88) S. C. Epp., 26 Ian. 1883 (*Acta*, XIII, 120).

(1) Gregor. XIII, C. *Ascendente Domino.*

(2) Ex C. un., *De Vot. Redempt.* in 6°; D. Tho., 2, 2, 188, 1; Suar., *De Relig.*, To. IV, Tr. IX, Lib. I, Cap. 1, n. 3. Ex quibus si unum desit, Institutum regulare non intelligitur. Item si vel unum votum simplex fuerit, ceu votum paupertatis: quod sanctimoniales quaedam, praesertim in Galliis, emittunt, et rerum suarum neque dominio, neque disponendi iure se abdicant (S. Poenit., an. 1820, ap. Lucidi, *De Visitatione SS. Liminum*, II, pag. 251, n. 298).

observare debent, ut eorum vota hodie solemnia dici possint (3). Sed variant, primum ex *regulis*, nam quaedam contemplativae vitae student, quaedam activae, quaedam utrique: inde *Monachi*, *Clerici regulares*, *Fratres*. Ex his autem, *possidentia* dicuntur ea, quibus ex vi sui Instituti permissum est res immobiles possidere; cetera, *mendicantia*, licet hodie immobilia possideant (4). Deinde, quae eadem regula utuntur, pene omnia ex *constitutionibus* variant (5), quod prosequi nostrum non est. Nobis de Institutis virorum cum primis agendum est; nam quae de his dicturi sumus, monialibus facile aptari possunt, quippe sunt quasi accessoria instituta (6).

103. Regularem hodie sola expressa professio facit. Et neque haec quoad viros valet, nisi praecesserit, saltem triennio antea, professio votorum simplicium (7). Professio solemnis quasi mors intelligitur. Ideo, illa edita, professi haereditas statim defertur; eique,

(3) Ex C. *Pastoralis* S. Pii V, dummodo papalis ea sit (Cf. Lucidi, *De Vis. Sacr. Limin.*, II, pag. 132, n. 42). Nec satis est, sponte eam observare (Ex S. C. Epp., in *Aesina Votor.*, 16 Dec. 1863). Immo necesse est, ut ea ab origine fuerint obstrictae; nam si illam a S. Sede impetraverint postea, vota remanent uti fuerunt ab initio (Ex ead. S. C., 22 Febr. et 6 Decem. 1839; Bizzar., *Collect.*, pp. 96, 97).

(4) Abbas, in C. *Causam*, n. 2, *De Iudic.*; Suar., *l. c.*, VIII, 4. Possidentes sunt Benedictini; mendicantes Carmelitae, Praedicatores, Eremitani, Minoritae, etc., quibus ex concessione, cum primis Nicolai III, datum fuit res immobiles possidere; exceptis MM. OO., MM. RR. et Cappuccinis.

(5) Scilicet *Regulae* sunt quae ab antiquioribus ordinum fundatoribus (puta Benedicto, Augustino, Francisco, Dominico, Ignatio) editae fuerunt (V.C. ult.: *De Religios. domib.*). Quae autem postea his accesserunt, quaeque ad cuiusque Instituti fines propius accedunt, *Constitutiones* vocantur.

(6) Suar., *l. c.* Quaestio elegans est, utrum Regulares veniant appellatione clericorum in odiosis: v. c., an sint obnoxii censuris latis in clericos, vel in *clerum*. Quidam affirmant, quia inter clerum et populum nihil est tertium; Regulares autem populi significatione non comprehenduntur (Ex C. 16, *De S. E.*; Navarr., 26, 167; Covarr.; Fagnan.); quidam negant (Reiff., III, 1, 19); quia in iure Clerici a Regularibus separantur (Tit. *Ne Clerici, vel mona.*); alii, quoad eos qui tonsuram receperunt, illis; quoad ceteros, his adhaerent (Suar., *De Censur.*, 28, 2, 9); et rectius. (V. Salmant., 10, 6, 17; V. S. Alph., VII, 331).

(7) Pius IX, Encycl. *Neminem latet*, 19 Mart. 1857; C. *Ad Universalis Ecclesiae*, 7 Febr. 1862. Haec vota simplicia perpetua sunt (ex quo patet triennium novae probationis favore solius Religionis introductum fuisse), et R. P. reservata (S. C. Epp., Decr. 19 Iun. 1858). Nempe si forte iniussu Superioris abire velint, vel abierint, vel abire coacti fuerint, ut opinor: nam si a Superioribus suis *ante solemnem* professionem dimissi fuerunt, ab *omni votorum* huiusmodi *vinculo et obligatione eo ipso liberi fiunt* (*Ib.*, art. 3). Dimitti autem possunt *ex iustis ac rationabilibus causis* excepta causa infirmitatis post edita

nisi de ea disposuerit, succedit monasterium, si et hoc capax sit possidendi bona immobilia (8), et ius civile non obstet; quia iura successionum ex lege civili cum primis aestimantur; et iure canonico non alia ratione cautum est, bona intestato profitentium vel decedentium ad monasteria pertinere, quam quod eis *iure* debentur (9); secus succedunt heredes legitimi. Professi distinguuntur in laicos et clericos. Nobis de Regularibus, *qua regulares* sunt (atque ideo qua laici, non qua clerici), agendum est.

104. Itaque professus, ex voto continentiae, prohibetur nuptiis. Ex voto obedientiae, *amplius velle et nolle non habet* (10); ideo non potest contrahere, nisi de superiorum consensu, expresso vel tacito; et, si contraxerit, alios monasterio obligat, non monasterium, vel seipsum, aliis (11). Demum ex voto paupertatis, verius, non potest beneficia ecclesiastica possidere (12), et proprium habere nihil potest earum rerum, quae pretio aestimantur (13); sed quidquid acquirit quoquo modo, monasterio acquirit (14). Omnes autem, seu mares,

simplicia vota contractae – et absque ulla processus vel iudicii forma (cit Decr., art. 5). Soluti autem a votis huiusmodi, vel ab Ordine dimissi, recidunt sub iurisdictione proprii Ordinarii. Quamobrem is, si vel ad ordines promoveri, vel matrimonium contrahere velint, *cum illis, prout cum ceteris suis dioecesanis, sese gerere debet* (Pius IX, 20 Ianuar. 1863).

(8) Ex CC. 9, 10, Cau. 19, 3; Authent. *Ingressi, C. De SS. Eccles.* Solis promotis ad Episcopatum restituitur ius adeundi haereditates sibi a promotione delatas, sed favore suarum Ecclesiarum dumtaxat (S. C. Conc., 7 Decem. 1639; De Angelis, *Praelect. Iur. Can.,* III, 26, 6). Quid, si nondum adita hereditate decesserint, an ius eius adeundae ad suas ecclesias transmittant? Non puto, quia iura successionum ex iure civili aestimantur: et neque ius commune, neque NN. LL. eis favent. Nisi forte dignitati relicta sit (V. § 46).

(9) C. 2, *De Testam.* Seu, *quod ita lege disponitur* (C. 9, Cau. 19, q. 3); *aperta iuris definitione decretum est* (S. Gregor. M., *Epistol.,* Lib. IX, Epist. 7). Et hoc iure usi fuimus in Regno utriusque Siciliae a 70 et amplius annis, S. Sede nullatenus reclamante; nec quemquam ex haeredibus legitimis ob id inquietarunt unquam Episcopi, vel Confessarii.

(10) C. 27, *De Elect.* in 6°.

(11) Ex pr. Instit., *De Stipul. Servor;* V. Salm., 12, 2, a n. 212. Nec testamentum facere potest (C. 2, *De Testament.*). Utinam igitur hodie de delatis sibi haereditatibus disponere valeat, S. Sedis licentia indiget: et ita utimur.

(12) S. C. Episc., 17 Mart. 1671, iussu Clem. X.

(13) C. 6, *De Stat. Monac.;* Salm., 12, 2, 193. Dixi *earum,* etc., quia res spirituales acquirere possunt; v. c. SS. reliquias, *Agnus Dei* (S. Alph., IV, 14), beneficia regularia; quorum idcirco plenam administrationem habent (Laym., lib. IV, Tr. V, C. VII, 4).

(14) Trid., XXV., *De Reg.,* 2. Et, quae eis deferuntur ultimae voluntatis actibus, ad Monasterium *recta via;* quae actibus, seu potius donationibus inter vivos, ipsorum ministerio, ideoque nonnisi ipsis acceptantibus, transeunt (Lugo, *De Iust.,* III, 92,93). Ex quo patet, eos nec accipere quidquam posse nomine suo (Sanchez, *Dec.,* VII, 19, 55), quamvis datum ea lege, ut ipsorum fiat (Sed v.

seu feminae, gaudent privilegiis clericorum (§ 100). Ad haec, mares fere omnes, non item feminae (15), exempti sunt, nec non eorum ecclesiae, a iurisdictione Ordinarii (§ 70). Nihilominus eis subsunt in his quae pertinent ad sacrificium Missae, sive ab ipsis, sive ab aliis peragendum in suis ecclesiis (16): extra has vero, quoad praedicationem tantum (17). At Confraternitates laicorum in eorum ecclesiis institutae, non eis subiacent, sed Ordinario (18). Privilegia vero eis concessa constitutionibus pontificiis, *Mare magnum* appellata (19), revocata fuerunt a Conc. Trident. et Pio IV (20). Si quae autem postea confirmata sunt a RR. Pontificibus, eatenus dumtaxat confirmata fuerunt, quatenus tunc erant in usu, nec decretis Tridentinis adversa (21). At vero Regulares, qua Regulares, idest nisi cle-

Laym., VII, 20, 21; Salm., n. 169); nec in alios transferre quovis titulo (Ex L. 55, *De R. I.;* D. Th., 2, 2, 32, 8 ad 1); nec remittere, si quid forte eis debetur (S. Alph., IV, 20), ut puta livellum (S. C. Epp., 16 Iunii 1739; Ferrar., v. *Monial.,* II, 12); nec permutare, nec commodare, ne eiusdem quidem coenobii fratribus (Suar., *De Relig.,* Tom. III, lib. 8, c. 15; sed hoc ex apicibus iuris; nisi forte ex commodato coenobium detrimentum capiat); nec in eleemosynam dare (Clem. VIII, C. *Religiosa*). Excipiendi sunt Professi in Soc. Iesu, quoad solemnia vota nuncupaverint; hi enim *radicale,* uti aiunt, bonorum suorum dominium retinent; et, per haereditatem, donationes acquirere possunt; quamvis de eis uti, et disponere licite, sine superioris consensu, non possint (Ferrar., v. *Votum,* II, 119, etc.).

Hi quoque, qui in ceteris Regularibus institutis vota simplicia edunt, rerum, sive quae tunc habent, sive quae postea ante solemnem profess. acquisierint, dominium retinent; non item usumfructum et administrationem; quae proinde *cedere* interim *debent* quibus eis placuerit, vel etiam suo Ordini (S. C. Epp., 12 Iun. 1857). Et matrimonium valide contrahunt.

(15) Sunt et Moniales *exemptae,* sed hae quoque in multis subiacent Ordinariis; de quo suis locis.

(16) Trid., XXII, *De Observ. in Celeb. Miss.* Nec non in novis Reliquiis, vel SS. Imaginibus exponendis (Trid., ib., *De Invoc. SS.*). Moniales vero (exemptae) in his quoque, quae ad clausuram (Greg. XV, C. *Inscrutabili*), et collocutionem cum Regularibus (V. Ben. XIV, *De Syn.,* IX, 15, 7) pertinent.

(17) Trid., *R.,* 2.

(18) V. Benedict. XIV, *De Syn.,* XIII, 25, 6. Nempe quoad onera ab eis adimplenda, et rationes reddendas, ideoque et cappellarum, vel altarium, in quibus fuerint erectae, quoad ea dumtaxat, quae Confraternitates circa haec onerant (S. C. C., 23 Iun. 1719, apud Ferrar., *Biblioth.,* v. *Confraternitas,* Art. III, 38).

(19) Idest Clem. IV, *Virtute Conspicuas,* 21 Iulii 1265, et Xysti IV, *Regimini,* 31 Aug. 1474.

(20) Pius IV, C. *Principis Apostolorum,* 18 Febr. 1564.

(21) Greg. XIII, *Ex benigna,* 20 Maii 1575; Clem. VIII, 20 Dec. 1579; Paul. IV, 19 Iulii 1607. Nihilominus V. Reiff., V. 33, 139, etc. Quibus autem unus Ordo auctus est, gaudent, regulariter, et ceteri per *communicationem ad instar.;* exceptis his quae, vel aliis sunt onerosa, vel laedunt iurisdictionem Ordinariorum (S. C. Epp., 16 Sept. 1864. Cf. Monacelli, Tit. XIII, Form. IV, Suppl., a n. 33). Quibus autem gaudent viri, iis etiam moniales gaudent, quippe quae illorum naturam sequuntur (Suar., *De Relig.,* To. IV, Tr. IX,

ricalem tonsuram receperint, sunt incapaces iurisdictionis ecclesiasticae (§ 74, n. 31). Ceterum regularibus, qui vel metu coacti, vel errore inducti, vel non ex iure (puta ante legitimam aetatem, vel novitiatu non plane exacto) professionem ediderunt, datur intra quinquennium a professione solemni, in integrum restitutio (22). Quam cum obtinuerint, in pristinum statum, quasi professione nunquam edita, revertuntur; de quo viderint canonistae.

105. Sed videamus de eorum novitiis, famulis, tertiariis. Novitii, cum nullis votis teneantur, possunt facere quaecumque laicis non prohibentur; *hoc* tantum excepto, quod nulla renunciatio, aut obligatio ab eis post susceptum habitum facta, etiam iurata, vel in favorem causae piae, valet; nisi fiat de licentia ordinarii, intra duos menses proximos ante professionem votorum solemnium; et tunc ita demum valet, si professio revera sequuta fuerit (23). Nihilominus, in favorabilibus, Religiosorum appellatione continentur (24). Demum famuli, quoad receptionem sacramentorum, Regularium iure censentur, dummodo *actu eis inserviant, et intra eorum septa ac domus resideant, et sub eorum obedientia vivant* (25).

106. Tertiarii sunt qui, promissa in manu superioris regulae proprii Ordinis observantia, suo modo perfectiori vitae student (26). Horum fere triplex genus est. Unum eorum qui collegialiter vivunt: ex his mares gaudent Ordinum privilegiis, et exempti sunt a potestate Ordinarii (27); non item feminae, quippe quas Ecclesia vix

Lib. 2, Cap. 10, n. 6; S. Alph., IV, 60); licet Regularibus non subiaceant (S. Alph., Lib. I, Append. II, 10).

(22) V. Trident., XXV, *De Reg.*, Cap. 19.

(23) Trid., XXV, *De Reg.*, 16; Reiff, III, 31, 135. *Solemnium,* licet iam emiserint vota simplicia (Pius IX, 1 Aug. 1862). *Nulla;* ideoque, verius, nec renunciatio beneficii ecclesiastici (Paris., *De Resignat.*, III, 13, a n. 4; Reiff., I, 9, 30). *Post,* etc., ergo antea facta, licet intuitu professionis, valet (V. Garz., *De Benef.*, XI, IX, 15). Ceterum nihil prohibet, quo minus sibi reservare possint regressum ad bona renunciata, si forte e monasterio egredi ipsos contigerit; verum quoad usum tantum (S. C. Epp., 2 Decembris 1842. *Acta,* IX, 52).

(24) Reiff., n. 115.

(25) Trid., XXV, *De Reg.*, II; Clem. X, C. *Superna;* Salm., 18, 3, 8.

(26) Cf. Lezana, *Sum. Quaest. Regul.*, II, XIV, 8. Tertiarios sibi adiungere nulli Istituto regulari, nisi ex licentia S. S., permissum est. Permissum autem est Minoritis, Praedicatoribus, Augustinianis, Carmelitis, etc. Porro S. Franciscus primum Fratrum, alterum Monialium, *tertium* utriusque sexus saecularium de Poenitentia Ordinem instituit; inde Tertiarii.

(27) S. C. Epp.; 20 Dec. 1616. His accedunt *Oblati* seu *Donati* (V. Mabill., in *Praef. ad Saec.* VI. *Acta* SS. Ord. S. Bened., n. 32). At qui non vivunt collegialiter nullo prorsus privilegio gaudent (Cf. Ben. XIV, Not. 105, n. 66).

tolerat (28). Alterum mulierum tantum, quae domi coelibem, aut castam vidualem, expresso castitatis voto, et sub habitu Ordinis vitam ducunt (29). Hae indulgentiis Ordinum (non exemptione), et fori privilegio gaudent (30). Tertium denique eorum est (sive mares, sive foeminae, sive coniugati) qui nullo suscepto habitu, nec inito voto, perfectioris vitae regulam profitentur: quae nullo modo eos obligat, ne venialiter quidem (31): hi Regularium indulgentiis, non privilegiis, participant (32).

107. Regularibus aliquatenus accedunt Religiosarum Congregationum seu viri, ceu *SS. Redemptoris,* seu mulieres, uti *Sorores caritatis.* Viri et mulieres huiusmodi simplicia nuncupant vota (33), nempe paupertatis, castitatis, obedientiae; seu perpetua (*perseverantiae*) pro cuiusque Congregationis instituto, seu temporaria (34). Sed neque, ex voto paupertatis, rerum dominio retinendo, vel deinceps acquirendo, aut de iis disponendi, fiunt inhabiles (35): neque, ex voto castitatis, fiunt inhabiles matrimoniis valide contrahendis (36): neque, ex voto obedientiae, potestati Ordinariorum eximuntur; nisi id eis a S. Sede concessum fuerit nominatim (37). Quod virorum

(28) Ex C. S. Pii V, *Circa Pastoralis,* qua cautum fuit eas aboleri nisi professionem emisissent cum voto perpetuae clausurae; et Clem. XII, C. *Romanus,* an 1732. Hae subsunt locorum Ordinariis, at non parochis (S. C. C., 30 Iun. 1722; Ben. XIV, Not. 105, n. 80).

(29) Leo X, C. *Dum intra;* Fagn., in C. *Nullus,* a n. 66, *De For. Comp.* Dicuntur et *Beguinae, Bizochae,* et, hispana voce, *Beatae.*

(30) Monacel., Tom. I, Tit. VI, Form. 14. Istae a suis quidem superioribus regularibus habitum recipiunt, sed Ordinarii est id permittere, atque ideo explorare, an sint idoneae. Etenim necesse est, ut et probatae vitae sint, et annum saltem 40^{m} fuerint ingressae, et de suis reditibus vivere, et cum consanguineis vel affinibus in primo tantum gradu vivere possint (V. Ferr., verb. *Tertiarii,* n. 6). Hae nedum Ordinariis, sed et parochis subiectae sunt (Ben. XIV, C. *Emanavit nuper,* 17 Sept. 1749): ideo his tantum licet eis ministrare communionem in Paschate, Viaticum et Extr. Unct. morituris (S. C. Epp., 17 Iun. 1639; Ben. XIV, Not. 105, n. 68).

(31) Nicol. IV, C. *Supra montem;* V. Ferrar., verb. *Tertiarii,* n. 45.

(32) Cf. C. *Romanus Pontifex* Pauli V, et *Ad Romanum Pontificem,* Ben. XIV.

Sunt et *Eremitae,* de quibus vide, si lubet, Ben. XIV, *De Canoniz. SS.,* III, 35, 15.

(33) Cf. Lucidi, *De Visit. SS. LL.,* T. II, p. 252, n. 300. Quae S. C. Epp. nec. *vota religionis* appellari passa est (23 Iul. 1866).

(34) Sanch., *M.,* VIII, 9, 17; S. Alph., IV, 50.

(35) Ex S. C. Epp., 18 Febr. 1853. Quo pacto vero debeant ea administrare, eisque uti frui possint, ex cuiusque Instituti regulis petendum est (Lucidi, *l. c.,* p. 261, n. 319).

(36) Ex. S. C. C., 1 Apr. 1718; Lucidi, *ib.,* p. 256, n. 307.

(37) Ex Ben. XIV, C. *Emanavit* 21 Ian. 1758.

Congregationibus concedi solet; ideo sine dimissoriis ac testimonialibus Episcopi *sui,* non secus ac saeculares, ordinari prohibentur (38): foeminarum non item, licet Generalis moderatricis imperio et potestate regantur, quaeque idcirco nedum Episcopis subsunt, sed et parochis quaequae suis (39).

§ 3° *De Laicis.*

108. Laicos heic intelligo omnes baptizatos. Et vel catholici sunt, vel acatholici. Omnes sunt incapaces, iure canonico, iurisdictionis ecclesiasticae (1). De catholicis unum inquirimus; quatenus sint participes bonorum spiritualium; non eorum quidem, quae profluunt ex Dei miseratione immediate, nempe gratiarum et virtutum; nec eorum, quae pertinent ad communionem Sanctorum (2); sed eorum, quae Ecclesiae communione continentur, quae nempe D. N. I. C. Ecclesiae administrationi concredidit. Porro communio huiusmodi in externam et internam diducitur. Ad externam spectat participatio sacramentorum, divinorum officiorum et sepulturae ecclesiasticae: ad internam, participatio fructuum ex sacrificio Missae, ex indulgentiis, ex publicis Ecclesiae precibus. Quae omnia, non immerito, *iura personalia* hominis christiani esse dixeris. Itaque boni sunt utriusque communionis participes; mali, exterioris tantum; escommunicati neutrius. Et excommunicati praeterea sunt inhabiles gratiis pontificiis obtinendis, de quo serius; et, si fuerint vitandi (§ 77, n. 53), amittunt iura pene omnia, quae statui personae christianae cohaerent; sed et de hoc alibi.

109. Acatholicos dicimus quotquot Catholici non sunt. Horum genus triplex: schismatici, haeretici, apostatae, de quibus V. II, 7, 8.

110. Itaque apostatae, haeretici, schismatici, omnes *per se* extra Ecclesiam sunt (3), verumtamen subditi manent (4). Ad haec, haere-

(38) S. C. Epp., 6 Maii 1864.

(39) S. C. C., 26 Augusti 1702. *Acta,* VIII, 32.

(1) Salm., 10, 1, 52; Navarr., 27, 6.

(2) Communio Sanctorum, idest iustorum, fundata est in fide et charitate; quibus singuli, velut unius corporis membra, Christo, quasi capiti, coniunguntur; ideo bona cuiusque opera omnibus communicantur (V. Suar., *De Censur.,* IX, 3, 5; Salmant., X, 1, 8; 3, 1).

(3) Ex Epist. Cath. S. Iudae Ap., 19; S. Hieron., *Epistol.,* I, 25. Nempe, *suo arbitrio ab Ecclesia recedentes* (Id., in C. 3, *Epist. ad Titum*); *a nobis non eiecti, ultro se eiiciunt* (S. Cyprian., Epist. 40). Scilicet, uti communionis Sanctorum *charitas,* ita et communionis Ecclesiae *fides* radix et vinculum est.

(4) Trident., VII, Can, VIII; Benedictus XIV, Ep. *Singulare nobis,* 9 Febr. 1749, § 16.

tici et apostatae, si haeresim exterius prodiderint; schismatici semper (quia schisma in facto consistit), sunt excommunicati ipso facto (5); ideoque, ex hoc capite, bonorum omnium, quae communione Ecclesiae continentur, sunt expertes, et arcentur ab officiis et beneficiis ecclesiasticis (6). Quaesitum est, an liceat *communicare* cum his, qui aliquam sectam profitentur; an eis *cooperari*. Et refert, utrum in divinis, an in civilibus, an in mixtis (7). An liceat cum eis COMMUNICARE. Et primo *in divinis,* nempe quae obeunt more et ritu plane catholico; nam in his, quae redolent haeresim, non licet omnino (8): plerique affirmant, quippe, aiunt, ab eis quasi ab excommunicatis prohibemur (9); alii negant, quia arcemur ab eis tamquam ab haereticis (10). Et ita, regulariter, saltem ex iure canonico, tenendum est: et est grave (11). *In civilibus,* licet; nam, quod ad haec, cum ci-

(5) § 390, I, III.

(6) Insuper haeretici dogmatizantes denunciandi sunt (ibid. I, not. 1).

(7) In *divinis;* v. c., interveniendo eorum sacris, cum eis orando, etc.: in *civilibus,* ut puta mensa, tecto, vel cum eis negociando, contractus ineundo, etc.: in *mixtis,* idest in his quae obire solemus tum religionis, tum civilis officii causa; velut in nuptiis quae ritu religioso ab eis coeuntur, in iustis funerum, etc. Dixi cum his qui *aliquam sectam,* nam cum catholicis, qui fidei naufragium fecerunt, si nulli acatholicae religioni nomen dederint, perinde ac cum perditis scelestisque hominibus agendum est. Et quaerimus, utrum id liceat, salvo fidei praecepto: idest, quin exinde aut religio catholica aliquid detrimenti capiat, aut ego fidei meae periculum subeam. De scandalo aliorum heic non quaerimus, quippe hoc pertinet ad praeceptum charitatis.

(8) Suar., *Defens. Fidei,* Lib. VI, Cap. 9. Et sedulo cavendum est, ne in eorum precibus aliquid haeretici, vel in ritibus aliquid novi, et a ritibus catholicis alienum, contineatur; nam si quid, vel minimum, ab ipsis circa ritus et caeremonias, quas tenet Ecclesia catholica, utcumque immutatum fuerit, quia hoc ideo factum est, ut ab hac ecclesia distinguerentur; ac proinde quasi sectae distinctivum, et haeresis protestativum habendum sit, non licet, salva fide, cum eis communicare. In extrema dumtaxat necessitate licet ab eis recipere sacramenta mortuorum, dummodo ea ministrent valide (S. U. I., ap. Albit., XVIII, 32), etsi non ritu catholico (Gotti, in 2, 2, Quae. IV, Dub. VII, n. 11); exemplo christianorum qui non dubitabant vesci palam idololitis, ne fame interirent (Theodoret., *Hist.,* III, 15)

(9) Suar., *De Fide.* 21, 3, 4; Lungo, *De Fide,* XXII, 1. etc. Sententiam hanc tuentur TT. et Canonistae quique doctissimi, in his Azorius, Laymann, Toletus, Salmantic., Pirhin., Reiff. et vel ipse Albitius (Cap. 18, n. 30): et, licet, teste Ben. XIV (*De Syn.,* VI, 5, 2), contrariae sententiae perpetuo adhaeserint Congr. S. U. I. et De Prop. F., ipse ausus non est eam improbare.

(10) V. Pont., *De Matrim.,* Append. ad Lib. XII, ubi late.

(11) Ex Lit. Pii VII, *Ad Elector. Bavar.,* 1805, ap. Roskovan., To. II, p. 9. Huic sententiae perpetuo adhaeserunt Congr. S. U. I. et de Prop. Fide. Et Pius VI, (Instruct. 1 Apr. 1794) vetuit interesse Missis, quae a sacerdotibus *intrusis* cele-

vibus, non cum haereticis, schismaticis, etc. communicamus (12). Exinde intelligimus quid iuris sit *in mixtis:* in his, quia bonum ex integra causa, ita demum licet, si et gravior causa id suadeat, et eatenus tantum, quatenus haec mere civile officium exhibent (13). Eis autem COOPERARI, materialiter inquam, in his quae ad religionem eorum pertinent, *per se* illicitum est; atque ideo semper, et ubique, *si cooperatio fuerit pars ritus religiosi;* sin minus, licita erit, ad vitandum damnum grave (14).

brantur, eisque baptizantibus, patrini munus obire. Et eadem S. U. I. iamdiu, si recte memini, prohibuit eos viaticum deferentes comitari, vel prosequi.

Dixi *regulariter,* quia contraria tantorum virorum sententia facile damnanda non est; his praesertim locis, in quibus catholici cum haereticis permixti vivunt; vel cum urgentissima causa aliud suadet. Dicam plane, in re tam salebrosa, quod sentio. Communicatio in divinis non suapte natura illicita est (alias nefas esset mixta, quae vocant, matrimonia permittere), sed quia aut *adhaesionis* damnatae sectae speciem praesefert; aut fovet *indifferentismum,* quae aetatis nostrae contagiosa lues est; uno verbo, propter ipsius catholicae religionis periculum. Ubi igitur huiusmodi periculum cessat, recidimus in legem ecclesiasticam, cui derogare fas est, cum longe plus incommodi quam commodi habet. Hoc primum; deinde aequum non est eadem regula uti pariter ultro citroque; sed plurimi refert, utrum nos cum haereticis, an haeretici nobiscum communicent; illic enim religionis dispendium gravius metuendum est; hic non item, quin interdum magis compendii (idest conversionis) spes subest. Hac re, v. c., quamvis nobis non liceat in eorum templis ipsorum conciones audire (S.U.I., 10 Maii 1770, ap. Verric., *De Apost. Miss.,* Lib. 2, Cap. 19, n. 5), eos ad nostras admittere, immo advocare, caritatis et religionis officium est. Item, etsi nobis non liceat haereticorum, vel schismaticorum Missas audire, licet carendum eis sit diebus vel solemnissimis, nobis celebrantibus, eos adstantes (toleratos inquam) eiicere non oportet (Lugo, *De Fide,* XXII, 10): et in collegiis catholicis, in quibus etiam filii haereticorum in disciplinam recipiuntur, tolerari potest, ut hi divinis nobiscum intersint (S. C. De Pr. Fide, 25 Apr. 1868). Item, etsi nobis nefas omnino sit pulsare organa in templis haereticorum, vel schismaticorum; eos in nostris arcessere, huius rei causa, aliis deficientibus, remoto scandalo, et ad tempus, non est illicitum.

(12) Ex S. Poenit., 5 Iulii 1867. V. c., famulari dominis haereticis, vel in templis (V. IV *Regum,* V, 18, 19, et S. C. De Pr. F., 7 Sept. 1626. *Collect.,* 1070, 1). *Porro sicuti profana aedificia, sic et templa haereticorum adire, est actus per se indifferens, qui nonnisi a pravo fine, vel ex circumstantiis efficitur malus:* (S. U. I., 14 Ian. 1818. *Collect.,* 1089, 2); ideo ea adire, *merae curiositatis causa,* non est illicitum; nisi id alicubi nominatim vetitum sit.

(13) Lugo, *De Fide,* XIV, 159, 173. Ut in nuptiis, baptismis, et iustis funerum. Hinc licet *per se,* v. c., sponsos, et infantes baptismate abluendos, comitari usque ad ianuas templi schismatici, vel haeretici; et probabilius templum quoque ingredi licet, et baptismo, nuptiis adesse: at offerre ministello baptizandos, vel coniungendos, omnino non licet (Lugo, n. 157).

(14) S. C. De Prop. F., Ad Vicar.

111. Venio ad infideles: infideles accipimus qui nondum baptizati sunt; nempe, lata significatione, sive hebraeos, sive paganos; cathecumenos quoque (15). Hi non tenentur legibus Ecclesiae (16): sunt autem incapaces ordinum iure divino, iurisdictionis iure canonico, et, forte verius, divino (17). Inter eos et baptizatos coita matrimonia non constant, de quo dicam alibi. Nos autem ab eis prohibemur, in his quae religionis ipsorum sunt, aut iudaicam, vel paganam superstitionem sapiunt quoquo modo (18). Ad haec, propter periculum perversionis, prohibemur, *sani*, famulari hebraeis, sive domi, sive extra domum; *aegroti*, eorum ministerio uti (19): verum hoc hodie in aestimatione boni viri esse debet.

Siamen., 2 Iulii 1827. *Collect.*, 1903. Verum heic longa doctrina est, nec explicari potest, nisi ex his quae de cooperatione alibi dicenda erunt. Quae autem dicenda sit *pars ritus religiosi*, varie, si quid opinor, ex personis, ex locis, et ceteris circumstantiis aestimari debet. E. c., S. U. I. consulta, an permissum sit haereticorum ecclesias (seu synagogas) aedificare, die 14 Ian. 1818 respondit: *Non esse inquietandos, dummodo non adsit scandalum, nec fiat in contemptum religionis* (*Collect.*, 1089 ad 1): et nihilominus *a peccato gravi non excusantur qui, in fanis haereticorum extruendis, architectos operumve redemptores aut praefectos agunt*, ait Synod. Dioec. Albanen. (Par. I, Art. VI, n. 6), superiori anno celebrata ab Eminentissimo Raphael Monaco La Valletta, Card. Episcopo Albanen., Maiori Poenitentiario, et Supremae Congregationis S. U. I. a Secretis, utriusque Congregationis mentis probe conscio.

(15) V. D. Th., in 4., Dist. 39, art. 1, ad 5.

(16) I *Corinth.*, V, 12. Ibi: *Quid mihi de his, qui foris sunt, iudicare?* C. 8, *De Divort.*; Trid., XIV, *De Poenit.*, 2. Proinde si quid infideles admiserint contra leges Ecclesiae, postea conversis non obest; v. c., si vir, aut mulier in infidelitate suos coniuges sustulerint, ut matrimonium inter se contrahere possent, post susceptum baptismum non prohibentur illud inire (V. Sanch., *M.*, VII, 78, nn. 3, 4).

(17) V. Salmant., 10, 1, 51.

(18) Ut puta circumcisionibus hebraeorum adesse (S. U. I., Edict. 31 Dec. 1600; Albit., 24, 58). Quoad paganos consulendae cum primis sunt Const. Bened. XIV, *Ex quo*, 11 Iulii 1742, et *Omnium sollicitudinum*, 12 Sept. 1744, super ritibus Malabaricis et Sinensibus. Amplius: non licet cooperari ad aedificanda templa vel altaria idolorum; nec eorum statuas conficere (S. U. I., 8 Ian. 1851; S. C. De Prop. F., 7 Sept. 1726; *Collect.*, 1070, 1109). Ceterum pro incolumitate regum infidelium, et eorum qui in sublimitate sunt, orare, ut quietam et tranquillam vitam agamus (V. I Timot., II, 2) licitum est; et constat ex perpetua Ecclesiae traditione (Martene, *De Antiquit. Eccl.*, Lib. I, Cap. IV, Art. VIII); eorum quoque nominibus inter sacra mysteria recitatis; nullo enim iure id vetitum est (Cf. Bened. XIV, C. *Ex quo primum tempore*, §§ 26, 27; *Bullar.*, IV, 54). Dixi *infidelium*; nam pro haereticis et schismaticis nominatim orare vetitum est, quippe excommunicatis (CC. 28, 38, *De S. E.*

(19) CC. 8, 13, *De Iudaeis*. Gregor. XIII, C. *Alias piae memoriae*. Quin olim vetitum erat vel agros

APPENDIX.

DE SEPULTURA ECCLESIASTICA.

112. Sepulchrum, sepulchri ius, et sepultura, differunt. *Sepulchrum*, Nostris, est: locus benedictus, ab Episcopo, aut usu addictus, fidelibus, pie in Christo decedentibus, sepeliendis (1). Ius *sepulchri* est, ut quis in aliquo sepulchro, exclusis ceteris, sepeliatur. Hoc quoque, latiori significatione, dicitur sepulchrum; et vel *familiare* (*gentilitium*) est, vel *hereditarium*. Familiare quod quis constituit sibi et familiae suae; hereditarium quod sibi et heredibus (2). Denique *sepultura* est actio ipsa et ritus, quae in efferendis sepeliendisque

eorum colere (C. 2, *Eodem*): hodie aliud obtinet: scilicet, *servi dominati sunt nostri.*

(1) Reiff., III, 28, 3; Salmant. 10, 3, 73. *Aut;* scilicet multorum sententia est, deputationem Episcopi locum sacrum efficere (Sanch., *M.*, IX, 15, 39) et est valde probabile (Laym., *De Sacrific.*, Cap. V, n. 1); eaque utimur in favorabilibus. Sed utrum ea utendum sit et in odiosis, v. c., quoad sepulturam excommunicati, vel interdicti? Affirmant quidam, in his Suar.; negat Sayr. (V, 8, 4), et meliori iure. Quae extra ecclesiam extructa sunt *coemeteria* (dormitoria) vocantur; belle S. Ambros. (*De offic.*, n. 142): *In sepulturis christianorum requies defunctorum est.* Porro ubi legibus, vel moribus regionis, permittitur cuiusvis mortui, etiam haeretici, hebraei, infidelis, cadaver inferre, in novis coemeteris extruendis, totis viribus conandum est, ut locus separetur catholicis tumulandis: si id obtineri nequeat, non sunt benedicenda, sed sacerdos singulas scrobes, seu loculos, singulis vicibus benedicat oratione assignata in Rit. Romano (S. U. I., 12 Febr. 1862).

(2) L. 5, *De Religios.* Quod sibi, et *suis consanguineis;* aut *sibi et parentibus suis,* familiare est, et competit omnibus agnatis et cognatis (De Luca, *De Iurepat.*, Disc. 28, n. 4); non item affinibus (S. C. Epp., 30 Aug. 1878. *Acta,* XI, p. 352). Addunt et *mixtum;* quod nempe quis constituit suis et heredibus. In hereditario inferri possunt omnes heredes, quamvis extranei; in familiari nedum omnes de familia, sed vel tantum heredes (L. 6, *Eod.;* LL. 4, 13, C. *Eod. tit.,* Molin., *l. c.*, n. 214). Ius sepulchri in ecclesia constitui non potest sine licentia Ordinarii (Pirhin., III, 28, 32; Schmalz., III, 28, 7). Constitutum in *publicis coemeteriis,* IN BONIS est (Ex L. 14, C. *De Legat.;* De Luca, *Miscell. Eccl.*, Disc. 28, 11): constitutum *in ecclesiis* habetur quasi ecclesiae SERVITUS, et usufructui proxime accedit (Salmant., 18, 3, 181). Ideo *illud* in alios transferri potest (Ex cit. L. 14, C. *De Legat*); *hoc* non item. Illud, extincta familia, fit hereditarium, hoc cessat (Fargna., *De Iur. Patron.*, P. 1, Can. 1, 2, Cas. 2, n. 4; De Luca, Disc. 38, 7; S. C. C., 17 Sept. 1867).

mortuis obimus (3). Sepultura ecclesiastica duobus constat: loco sacro, vel alio ad id destinato (4), et ritu catholico (5).

113. Haec sepultura est pars communionis Ecclesiae (§ 108); ideo, regulariter, nulli fidelium deneganda est. Porro omnes sepeliendi forent in suis ecclesiis parochialibus (6); nihilominus unicuique concessum est sibi eligere sepulturam ubi maluerit (7): uxori quoque, invito viro; et filiofamilias, invito patre (8); exceptis impuberibus (9), et Regularibus (10). Qui nulla sibi electa sepultura decedit, sepeliendus est in sepulchro maiorum (11). Secus in ea parochia in qua decessit, si in ea domicilium (12), vel quasi domicilium habuit (13). Et si extra haec loca decesserit, deferendus est

(3) Reiff., III, 28, 2.

(4) CC. 1, 3, Cau. 24, 2; C. 12, pr., *De Sepult.*

(5) Rit. Rom., *h. t.* (*De Sepult.*); Sayr., V, 8, 2.

(6) C. 1, *h. t.;* Clem. 2, *Eod. tit.* in 6°; Pirhin., III, 28, 29; Schmalz., III, 28, 38; Moli., II, 214. Et in his tantum sepulchra haberi posse, unanimis veterum Canonistarum sententia fuit. Et ita quoque censuit Rota Rom. ab ipsomet R. P. de hac re consulta (V. *Acta,* V, 209).

(7) C. 1, *h. t.;* C. 2, *Eod. tit.* in 6°. Dum ne eligat in ecclesiis monialium (S. C. C., ap. Schmalz., III, 28, nn. 18, 20); et locum religiosum, aut saltem non profanum (velut oratorium privatum), eligat (CC. 2, 4, *h. t.*). Electio vero potest fieri vel ore tenus coram duobus testibus, sed expresse (S. C. C., 13 Febr. 1666; Ferrar., Verb. *Sepultura,* n. 114; Ben. XIV, Not. 105, n. 124); et conferri in arbitrium alterius (Ex C. 13, *De Testam.*): dummodo (quidam aiunt) is eligat mandante adhuc vivo, quia privilegium odiosum est (Pirhin., n. 28; Schmalz., n. 22); sed haec limitatio a iure tum canonico (cit. C. 13), tum civili (L. 12, § ult., *Mandat.*) aliena, et absona est.

(8) C. 7, *h. t.;* C. 4, *Eod. tit.* in 6°.

(9) C. 4, *h. t.* in 6°. Potest his pater eligere sepulturam (cit. C. 4); aut mater, eo mortuo (S. C. C., 27 Novemb. 1649; Ferrar., *h. verb.,* n. 105); vel, ut puto, patriam potestatem non exercente (§ 54, n. 42). Sed pater, probabiliter, etiam si consuetudo terrae id non habeat (Ex S. C. Epp., 5 Martii 1704; Ferr., *h. verb.,* n. 102); mater non item (Ex cit. C. 4). Modo et vivo eligant (cit. S. C., Mai. 1670; *Acta,* V, 568; nam est quasi filii testament.); et non *in actu baptismatis, vel in actu proximo* (Ex C. 1, *h. t.* in 6°, cit. S. C., *ibid.*).

(10) C. ult., *h. t.* in 6°. Nisi decesserint a propriis monasteriis adeo remoti, ut ad ea commode deferri nequeant (cit. C. ult.).

(11) C. 1, *h. t.;* C. 1, *Eod.* in 6°. Infans quoque (S. C. C., 15 Mar. 1704; Ferr., *h. v.,* n. 15). Et si is duo habeat sepulchra, alterum hereditarium, alterum familiare, hoc praefertur (Petra, Passer., Ferr., n. 14).

(12) Ex CC. 1, 10, *h. t.;* CC, 1, 3, *Eod. tit.* in 6°. Quid si aedes habebat in confinio duarum parochiarum? Et profecto in ea sepeliendus est, in qua aditus aedibus patet (Ex L. 30, *De Legat.,* III); et si in utraque pateat, in ea in qua principalior patet (Schmalz., III, 28, 40). Et si defunctus duo habuit domicilia, sepeliendus est ubi decessit (Ferr., *h. v.,* n. 25).

(13) Pirhin., III, 28, 7; V. § 86, n. 33, etc.; Sanch., *M.,* III, 23, 13. Quamvis parochia domicilii facile adiri possit, si quid opinor (V. Schmalz., II, 2, 16); immo, si quid opinor, etsi eodem loco (V. § 86, n. 34), forte in alia parochia, etiam domicilium

ad locum domicilii (14), vel quasi. Qui, si adeo remotus sit, ut eo commode portari nequeat (15), sepeliendus erit, nisi aliud ferat loci consuetudo, in ecclesia cathedrali (16); vel, si ibi non extat, eius parochiae, in qua decessit (17). Iure autem speciali, uxor (dum ne diverterit) sepelienda est in sepulchro ultimi viri sui, sive eo iam mortuo (18), seu vivo (19) decedat. Infantes *expositi* in sepulchro hospitalis a quo alebantur (20). Clerici in ea ecclesia in qua residentiale beneficium (etsi non domicilium) morientes habebant (21). Regulares in ecclesia sui Ordinis, licet extra monasterium decesserint; si ad eam commode deferri queunt (22). Ideoque (§ 105) et hi qui Regularium iure censentur, seu novitii (23), seu famuli (24), seu tertiarii; immo et tertiariae, quae in monasteriis perpetuo degunt (25), ac demum mulieres, quae de licentia Sedis Ap. monasterium intraverant, animo ibi perpetuo manendi (26). Non item puellae, quae eo morabantur educationis causa; quae sepeliendae

habeat: nisi aliud vel consuetudine locorum, vel Statutis, ceu Romae (V. Ben. XIV, Not. 33, 16), sit introductum.

(14) Ben. XIV, Not. 105, 44, 45; licet in aliquo monasterio decesserit (S. C. C., 3 Feb. 1694; Schmalz., III, 28, 47).

(15) C. 5, *h. t.* in 6°. Puta, si ab eo distet iter unius diei (Donat., *De Sepult. in ord. ad Saecul.*, Tr. X, q. 2). Ceterum hoc ab Episcopo lege lata definiri potest (Ben. XIV, Not. 105, 44).

(16) S. C. Epp., *Ad Episcop. Fulginat.*, 6 Iulii 1592; Barb., *De Off. Par.*, III, 26, 35. Dummodo eo loci defunctus commoratus fuerit aliquamdiu; quod ex cuiusque civitatis consuetudine aestimari debet (V. Petra, *Ad Const. IX Innoc. III*, n. 5).

(17) Ex C. 3, *h. t.* in 6°, Cit. S. C. Epp.; Pirhin., III, 28, 8; Ferr., *h. v.*, nn. 22, 40.

(18) C. 3, § 1, *h. t.* in 6°. Quamvis in domum paternam reversa fuerit (Pirhin., n. 12; Reiff., III, 28, 22).

(19) Ex cit. C. 3, § 1. Idest in eo quod vir sibi elegit; et si nullum elegit, in familiari, vel hereditario; alias in suo; vel in parochia (Pirhin. et Reiffenst., *ll. cc.*; Ferr., *h. v.*, n. 75). Et si vir prior decedat non electa sepultura, sepeliri debet in ea, quam elegerit uxor (Ex C. 2, Cau. 13, 2; Reiff., n. 24; Ferr., n. 83).

(20) Latini, *Elem. Iur. Can.*, Lib. II, Pars II, Tit. VI, § 5.

(21) Ex C. 2, *h. t.* in 6°; Reiff., n. 15. *Etsi* etc.; (Schmalz., III, 28, 47).

(22) C. ult.; *h. t.* in 6°; Ferr., *h. v.*, n. 14.

(23) Ex C. 21, *De S. E.* in 6°. Pirhin., III, 28, 25; Engel, n. 12. Non item advenae in ipsorum conventibus decedentes (S. C. C., 27 Septemb. 1670, ap. Ferrar., v. *Eucharistia* I, 19): nec alumni, ne Ordinario quidem consentiente (S. C. C., 21 Iul. 1848).

(24) Reiff., III, 28, 21. Ex Const. Clem. V et Pauli III.

(25) Ex S. C. Epp., 20 Dec. 1616; V. Ferrar., v. *Tertiarii*, n. 3. Tertiariae vero quae seorsum vivunt, sepeliri possunt in ecclesiis Ordinis, cuius assumpserant habitum, si in his extet earum communis sepultura, nec alia electa sepultura decesserint; secus, in ecclesiis parochialibus sepeliendas esse decrevit S. C. Ep., 17 Iunii 1639 (Ben. XIV, Not. 105, 68),

(26) Ex C. 4, *De Sepult.*; Pelliz., *De Monialib.*, X. 233.

sunt in parochia, intra cuius fines monasterium positum est (27). Porro cuius sit mortuos efferre, eisque iusta persolvere; quae funeralia, et cui debeantur, alibi dicendum erit.

114. Sed non omnes gaudent sepultura ecclesiastica; quidam enim ea arcentur ratione peccati; quidam ex ea regula iuris, ut *quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis* (28); quidam utroque nomine arcentur. Ex primo capite prohibentur *peccatores manifesti et publici, qui sine poenitentia perierunt* (29). Necesse est igitur, 1° ut de peccato dubitari non possit, nec quoad factum, nec quoad intentionem facientis (30); 2° ut peccatum sit publicum (31); 3° demum, ut absque ullo signo contritionis obierint (32). Verum hi qui ex vulnere accepto in duello, sive in duelli loco, sive alio vitam finierunt, arcentur ecclesiastica sepultura, quamvis ab-

(27) Pignat., *Consult.,* 63, a n. 7; S. C. C., 21 Apr. 1742, ap. Giral., *Expos. Iur. Pont.,* Sect. 488; Ferr., v. *Moniales,* 1, 62; contra alios. Scilicet habitatio intra septa monasterii, *quasi domicilium* in ea parochia, non *adlectionem* monasterio praestat.

Porro hodie, extructis fere ubique locorum publicis coemeteriis, ius sepulturae sublatum est; *haec* autem *coemeteria subrogata intelliguntur singularum Ecclesiarum sepulturis* (Ex S. C. C., 24 Maii 1824). Ideo iusta funebria in ea ecclesia persolvenda sunt, in qua defunctus alias sepeliri debuisset (S. C. C., 24 Martii 1821. *Acta,* V, 556). Sed de hoc alias.

(28) C. 12, *De Sepult.*

(29) Rit. Rom., *h. t.* V. c. adulteri, blasphemi (C. 2, *De maled.*), raptores (C. 2, *De Raptor.*), concubinarii (Salm., 18, 3, 198), usurarii (C. 2, *De Usur.*), qui mortem sibi consciverunt (Rit. Rom., *l. c.*). Verum de his duo dubitari possunt: 1° utrum ipsi sibi manus intulerint, et hoc constare debet evidentissime; itaque si quis veneno interemptus, vel laqueo suspensus inveniatur, in dubio, tenendum est, ab alio fuisse interemptum (Pirhin., III, 28, 65; Reiffenstuel, III, 28, 89; Salmant., n. 200). 2° Utrum compos sui; sed hoc praesumendum est, nisi contrarium probabile videatur (V. S. Alphons., III, 375); v. c., si mane confessus fuerat, si tristitiae se dederat (Croix, VII, 256). In dubio dari poterit ecclesiastica sepultura, *vetitis tamen pompis et solemnitatibus exequiarum* (S. U. I., 16 Maii 1866). His proxime accedunt qui intereunt ex vulnere accepto in duello (Trident., XXV, *R.,* 19); vel in hastiludiis, seu *torneamentis* (CC. 1, 2. *De Torneam.*). Praeterii eos qui praecepto communionis in Pasch., vel confess. annuae non satisfecerunt (C. 12, *De Poenit.;* Rit. Rom., *l. c.*): quia hi non privantur sepultura ecclesiastica, nisi post edictum propositum (S. C. Epp., 14 Iun. 1595); quod hodie amplius proponi non solet.

(30) Croix, VII, 255. Veluti si quis in ebrietate moriatur; nam dubitari potest, utrum ebrietas fuerit voluntaria.

(31) Rit. Rom., *l. c.;* Clemen. 1, *h. t.* Publicum, idest notum *maioris urbis* (pagi, oppidi) *parti* (Salm., 18, 3, 192; V. Gury, II, 1012). Quamobrem is, qui fungebatur officio, quo per leges Ecclesiae defungi non poterat, si id pauci sciant, eccl. sepultura prohibendus non est (Frassin., et cl. Del Vecch., I, 540, 5).

(32) Rit. Rom., *l. c.* Secus igitur si, v. c., confessarium arcesserint, si res sacras deosculati fuerint, si Deum invocaverint; et sufficit de his unus testis (Silvest.; Pirhin., III, 28,

soluti decesserint (33). Ex altero, arcentur nominatim excommunicati vel interdicti (34). Et hi quidem iure canonico; illi indirecte divino, nam quasi profiteri videremur, eo qui in mortali decedunt salvos nihilominus fieri posse. Demum, ex utroque capite, prohibentur schismatici, et haeretici ex secta (35): itaque non licet catholicos eorum sepulchris, et eos catholicorum sepulchris licet gentilitiis, inferre. Primum grave, quia redolet quamdam cum eis communicationem in divinis; alterum gravius, quia quasi haeresim redolet; nam tacite profiteri videremur, eos quoque non secus ac catholici, diem suum in spem resurrectionis obire (36). Nihilominus, ad cavenda deteriora, utrumque tolerari potest; et in priori casu sufficit iusta causa (37), in posteriori causa oppido gravi opus est: puta si absque tumultu, aut scandalo resisti non possit (38): remoto utrobique quavis vetitae communionis specie, vel periculo indifferentismi (§ 110).

115. Quibus autem non licet dare ecclesiasticam sepulturam, eos ritu catholico efferre non licet (§ 112, n. 5). Nec funebria eis persolvere (39). Verum quia haec officii quoque civilis sunt, excusantur qui ex iusta causa funus prosequuntur, quod ritu mere civili de-

77; Laym., *De Iustit.*, Tr. V, Cap. XII, 11). Verum, si non appareat poenitentes decessisse, arcendi sunt; quia poenitentia, cum sit aliquid facti, non praesumitur (Laym., n. 12; Pirhin., et Croix, *ll. cc.*).

(33) Ben. XIV, C. *Detestabilem,* § 9. Et quamvis duellum privatim fuerit indictum (Clem. VII, C. *Consuevit,* § 9).

(34) C. 12, *De Sepultur.* Vitandi inquam (Navarr., 27, 36; Suar., *De Censur.,* XIII, 4, 5; Laym.; Pirhin., III, 28, 68. Contra Enghel, III, 28, 19; Reiff., III, 28, 85. V. § 108, n. 6). Verum et hi, si contriti decesserint, absolvi possunt, et dein sepeliri (C. 28 *De S. E.;* Suar., *l. c.*).

Hisce accedunt non baptizati (Rit. Rom., *l. c.*); infantes quoque, licet, verius, ex catholicis parentibus nati sint (Engel. III, 28, 17; Pirhin., III, 28, 63; Reiff., III, 28, 77); et cathecumeni (Laym., Lib. III, Tr. V, Cap. XII, n. 11; Pirhin. et Reiff., *ll. cc.*).

(35) C. 8, *De Haeret.* Et qua *ex delicto* prohibentur, si schisma vel haeresis notoriâ fuerit; qua *ex censura,* etsi non fuerint vitandi: quod ab ipso Mart. V, post editam Bullam *Ad evitanda,* cautum fuit (V. Albit., XVIII, 27).

(36) V. Spondan., *Coemeteria Sacra,* Lib. II, Par. II, Cap. 3. Et hi qui sepeliunt haereticos in coemeteriis, vel sepulchris catholicorum, in haeresis suspicionem incidunt (Thesaur., *De Poenis,* v. *Sepultura,* Cap. IV in fi.).

(37) V. c., ut quis sepeliatur in sepulchro hereditario, vel cum coniuge suo. Et in coemeterio communi inferre catholicos nihil prohibet, remoto scandalo; quippe magis nostra sunt quam communia (V. Lugo, *De Fide,* XIV, 160).

(38) S. U. I., 23 Iulii 1609, ap. Albit., XVIII, 28. At vero remote sepelientibus cooperari, v. c., scrobibus effossis, traditis clavibus coemeterii, aut omni culpa vacat, aut certe gravi (V. Suar., *De Censur.,* XIII, 4, 11).

(39) C. *Placui,* 13, Can. 23, Qu. 5; Suar., *l. c.,* n. 14.

fertur; sine cruce, sine psalmis, sine luminibus (40). Et qui in ecclesia his intersunt excusantur, dummodo meram civilem praesentiam corporalem exhibeant, civilis honoris causa; nec precibus, ritibusque religiosis se immisceant quoquo modo (41). Plus; cum omnis species communionis, atque ideo et indifferentismi, periculum exsulet ubi imperant vis et metus, excusantur et hi qui etiam haec praestant gravi metu perterriti; dummodo non extorqueantur in contemptum Ecclesiae (42); et dumne defunctus efferatur signis massonicis feretro aut vexillis appositis (43).

116. His qui sunt indigni ecclesiastica sepultura *ratione peccati,* accensendi sunt hi, qui corpora sua post mortem (44) cremari iubent,

(40) Instr. S. U. I., 14 Ian. 1818.

(41) Ex S. U. I., 10 Maii 1753. V. c., funus comitari cum candelis accensis.

(42) Pikler, Lib. III, Tit. 28, Decis. 101, Q. II; Reiff., III, 28, 78; Croix, VII, 259. Et re quidem vera S. U. I., 13 Iulii 1609, censuit, sepulturam haereticorum tolerandam esse, *si ei absque scandalo resisti non potest* (Giral., Sect. 809, IV).

(43) Pius IX *Ad Archiep. Parisien.,* 26, Octobr. 1865 (*Acta,* XI, 210).

Porro queis non licet dare sepulturam ecclesiasticam, hos efferre ritu catholico, eisque iusta facere, grave est (C. 12, Cau. 23, 5; Suar., *De Censur.,* XII, 4, 14). Nihilominus putat Croix, VII, 268, non esse illicitum pulsare campanas, quia pulsantur ut fideles orent pro mortuo. Ita sane, dummodo non agatur de haereticis, nec de his, qui impoenitentes decesserint.

(44) Cf. cl. Scurati, *Se sia lecito bruciare i morti,* Milano 1885; opus undique eruditissimum. Mos cremandi mortuorum hominum corpora a moribus christianis vehementer abhorret. *Christiani execrantur rogos* (Minuc. Felix in *Octavio*); eumque *atrocissimum* appellat Tert. (*De Anima,* Cap. 1). Sed et a moribus hebraeorum, immo omnium pene gentium, et a sensu naturali hominum alienum est (V. Grot., *De Iure B. et P.,* Lib. II, Cap. 19). Insedit aliquamdiu, nec omnibus, Athenis, ut quidam putant ex doctrina philosophorum existimantium ignem esse principium universi (V. Cic., *De Natur. Deor.,* Lib. 3), ideoque omnia igne esse solvenda: et Romae *postquam longinquis bellis obrutos* (milites qui in eis ceciderant) *erui cognoverunt* (Plin., *Hist. Natur.,* VII, 54). Hoc more postea in christianos saevitum est, *quasi resurrectionem illis adimere possent, ne spes quidem ulla resurgendi eis relinqueretur* (Euseb., *Histor. Eccl.,* Lib. V, Cap. I). Profligatum ab Ecclesia ethnicum morem, massonicae sectae addicti, collatis viribus, maximo nisu in tota fere Europa, sed cum primis penes nos, instaurare conantur: scilicet his certum est Ecclesiam catholicam undique oppugnare, undique demoliri. Orsi sub ementita (V. cl. Porro, *A proposito di una cremazione,* 1883), specie publicae valetudinis, modo, quo spectent, incipiunt profiteri; *far sparire i cimiteri, fucine di superstizioni* (Mariotti, *Ode;* Gorini, *Purificazione de' Morti,* p. 120): *il rinascimento della cremazione significa omaggio ai principii supremi di libertà e di tolleranza, che sono la* VERA *e la* SOLA RELIGIONE *dei popoli* (*Atti del I° Congresso dei Cremazionisti in Modena 1882*). Quam ob rem fassus est vel ipse Castellazzo: *hanno giusto motivo i cattolici di opporsi alla cremazione: questa purificazione dei morti, per mezzo del fuoco, scuoterebbe nelle sue basi il predominio cattolico* (*Fascio,* Mag-

aut rogant, ideo et his deneganda est (45); nempe prout illis (§ 114), atque ideo si in ea voluntate certa, manifesta et notoria decesserint. Et grave est huic voluntati obsequi velle, eisve cremandis operam conferre: nec obest heredi, quod forte sub ea conditione institutus fuit (46), quia turpis conditio in ultimis voluntatibus pro non scripta est (§ 41, n. 27, in fi.). Eos vero qui, non sua, sed aliena voluntate cremantur, ritu catholico efferre, eisque in ecclesiis iusta persolvere, et licet, et oportet. At eorum seu cadavera ad ustrina, vel civiliter, comitari, seu cineres ad locum sepulturae ecclesiastico more deferre, eisve, coram positis, *exequias* peragere quasi praesente cadavere, nec oportet, nec licet: esset enim reviviscentes ethnicos mores, et *detestabilem abusum* comprobare facto et reipsa. Verum cineres ipsos, propter impietatem eius qui cremari iussit, loco sacro prohibere nemo potest recte, si quid opinor, et salvo iure defuncti (§ 113, pr.).

ART. III. *De personis quoad civitatem.*

117. In civitate (societate civili) summa divisio personarum in cives et peregrinos diducitur. *Cives* heic accipimus, non ex municipio (§ 82, n. 7), sed ex gente, puta itala, gallica, etc. Quemadmodum civitas acquiratur, retineatur, amittatur, viderint I. C. (1). Qui

gio 1885, n. 150; V. Scurati, *Op. cit., Ricerca Terza,* p. 193). *Et nunc erudimini!*

(45) Suprema Congr. S. R. U. I. consulta: 1° *An licitum sit nomen dare societatibus, quibus propositum est promovere usum comburendi hominum cadavera?* 2° *An licitum sit mandare, ut sua aliorumve cadavera comburantur?* In fer. IV, 19 Maii 1886, Ad 1m respondit *Negative: et si agatur de societatibus massonicae sectae filiabus* (quod ex dictis dubitari non potest) *incurri poenas contra eas latas* (idest excommunic. R. P. reserv.). Ad 2m *Negative.* Et SS. D. N. PP. Leo XIII responsum EE. PP. nedum confirmavit, sed praeterea iussit, per locorum Ordinarios edoceri fideles circa *detestabilem* huiusmodi *abusum;* ab eoque totis viribus eos deterreri (V. Extrav. *Detestandae feritatis,* Inter Commun.).

(46) L. 27, *De Condit. Instit.*

(1) Jure nostro, Art. 4, 7; et Gallico, A. 10 (V. C. Au., 27, 28), civis nascitur quis, aut fit. *Nascitur* qui ex patre, vel, si pater est ignotus (ut in *spuriis*), ex matre cive, vel cum mater quoque ignoratur (ut in *expositis*), si in Regno editus fuit. *Fit* electione (verum hoc non omnibus concessum est); adlectione, ex Principis decreto; ac demum matrimonio, si extranea civi nubat. Civitas amittitur: 1° renunciatione et emigratione; 2° nova civitate alio-quaesita; 3° si quis, iniussu Principis, alio munus aliquod publicum nactus fuerit, vel alienae militiae se adscripserit (V. C. It., 6, 11; G., 10, 12, 13, 17). Non item si alio, v. c., Italus Parisiis, domicilium transtulerit; quod iure nostro certum (Ex cit. a. 11), Gallico verius (Laurent, 1, 383, contra Durant. 1, 185) videtur; quippe neutro iure domicilium perpetuam inhabitationem desiderat (§ 83, n. 8).

cives non sunt, peregrini (*exteri*) nuncupantur. Extra Europam, ubi adhuc servitus viget, est et alia hominum, in liberos et servos, distinctio. Servi natura *homines*, legibus *res* habentur, et in bonis domini esse intelliguntur (2).

118. Iura, quae in civitate hominibus competunt, sunt vel naturalia, vel politica, vel civilia. *Naturalia*, quae naturae hominum, et societati humani generis ita cohaerent, ut, his sublatis, societas interiret; e. g., ius coeundi nuptias, emendi, vendendi, res suas vindicandi, repetendi, etc. Haec natura constant, cetera a societate civili initium capiunt: dicuntur autem *politica*, quibus aliquid iurisdictionis inest, nempe patria potestas (civilis), et ut quis in civitate sit munerum particeps; ut adoptare, ut tutorem, curatorem, ut tabellionem, testem iuratum, agere possit (3). *Civilia*, quibus nihil inest huiusmodi; ceu ius usucapiendi res alienas, debitores iudicio conveniendi, ius utendi ministerio tabellionum, etc., et, ex perpetuo legum civilium sensu, factio testamenti, sivé activa sive passiva (4).

119. Iura naturalia competunt omnibus; servis quoque (5); ideo contrahendo naturaliter obligantur et obligant (6), et nuptias coeunt etiam dominis invitis (7). Contra, politica civibus, nempe maribus

(2) § 2, *De Iure person.;* V. D. Th., 2, 2, 57, 4; Lugo, *De Iust.*, I, 35. Amplius; qua Christiani sunt, nulla est distinctio inter servos et liberos (I *Corinth.*, XII, 13; *Coloss.*, III, 14), sed omnes sumus *spiritu fratres, religione conservi* (Lactant., *Divin. Inst.*, L. V, Cap. 16). His accensentur quodammodo qui per sententiam iudicis in opus publicum perpetuo dati sunt (L. 17, *De Poen.;* C. Poenal. It., art. 20): *servi poenae* idcirco appellati.

(3) Ex L. 1, *Ad Municip.;* C. Poen., It., art. 19.

(4) LL. 8, 13, 19, *De testam. et qui test. fac.* Sed hoc postremum non placet scriptoribus iuris naturalis (V. Grot., *De Iure Belli et Pacis*, II, VI, 14); et iamdiu pluribus (Cf. Vinn., in pr., Inst., *De Testam. Ordin.*, n. 3) merito displicuit; et in dies magis displicet (Troplong; Laurent, XI, 89).

(5) V. *Ad Ephes.*, VI, 9; Seneca, *De Benef.*, III, 22.

(6) L. *Si id*, 64, *De Condict. Indeb.;* L. 71, § 3, *De Fideiuss.;* L. 13, *De O. et A.;* Laurent, XVI, 19.

(7) C. 1, *De Coniug. Servor.* Et ideo, cum eas coierint, domini iurium ipsorum matrimonialium; ipsi vero iurium dominicalium rationem habere debent. Sed testamentum facere, et testamento capere non possunt (LL. 8, 13, 19, *Qui testament. fac. poss.*). At, qua *res* domini sunt, in eos quidem saevire non licet, *ac perinde habere ac nata iugo iumenta* (Leo XIII, *Epist. ad Epp. Brasiliae*, 9 Maii 1888). Sed possunt eos alienare (§ 3, *De Iure person.*), etiam post baptismum susceptum; et christiani eos emere, emptosque in servitute retinere (S. U. I., 20 Martii 1686. *Collect.* 1205); eoque magis pignori, vel in solutum dare (uti apud Gallas et Sidamas): sed ratio habenda eis est tum caritatis, qua illi homines sunt; tum iustitiae, qua res. Ideo *illinc* nefas est servos quoscumque vendere his, qui in eos saevituri sunt (nisi cogente gravi necessitate); ba-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

tantum. Civilia civibus suapte natura, peregrinis hodie, ex receptis moribus, per participationem competunt (8). Ex his autem quae legibus sunt introducta, conflatur *status personarum;* unde oritur *capacitas civilis* uniuscuiusque: quae proinde ex propriae cuiusque civitatis legibus aestimari debet. Et quia status personarum unus et constans ubique esse debet, leges huiusmodi haerent civi *prout lepra cuti*, atque ideo illum sequuntur ubique gentium (9).

120. Iura naturalia perpetua sunt, ideo ne *mortuis* quidem *civiliter* (§ 37) extorquentur (10). Politica et civilia amitti, vel sus-

ptizatos his a quibus eorum perversio metuenda est: *hinc* emere furtivos, vel in servitutem per iniuriam redactos, nisi hi venditioni sponte consentiant (S. U. I., 11 Dec. 1776. *Collect.* 1206); nam hominem liberum venum se dare posse, dubium non est (V. Less. II, V, 15). Illud omnino nefas est mercaturae institutae servis deportandis (Tratta de'Negri) *qua nulla inhonesta magis et scelerata* (Leo XIII, *l. c.*), favere quoquo modo. Denique servi, cum sint in bonis dominorum (§ 117, n. 2), prohibentur a dominis fugere; nisi forte aut hi inhumaniter eos tractent, aut ipsi cum eis sine periculo salutis aeternae manere nequeant (Less., II, V, 19). Captis in bello licet e potestate hostium evadere, dum ne vim adhibeant (Soto, IV, II, 2; Less., n. 24); immo et adhibita, si capti sint in bello non iusto, vel quod, iustum ne, aut iniustum fuerit, non satis apparet, quia certissimum ius libertatis possidet. Et quidquid suis operis acquirunt, domino acquirunt (L. 10, *De A. R. D.;* ex C. 1, *De Con. Servor.*). Suis *operis* inquam; nam quae acquirunt ex aliena liberalitate, aut sua fortuna, illa quasi homines acquirunt, atque ideo sua sunt, si quid opinor; nisi aliud legibus (ut iure communi, § 3, *Per quas person.*) statutum sit. Sed nec partus ancillarum ad dominos pertinent, quippe ancillae, non ad hoc habentur ut pariant, sed ut serviant (L. 30, *De Petit. Hered.*); nisi heic quoque, ut olim penes nos (L. 75, *De Usufr.;* C. 6, *De Serv. non ordin.*). aliud legibus aut moribus obtineat, prout Cambodiae, et Ciampae (V. Grot., *De Iure B. et P.*, II, V, 29).

(8) V. C. G., 7, 11; It., 3. Nihilominus si quis sive illis, sive his praeditus publice existimetur, ea supplet interdum error communis (§ 79, n. 72).

(9) Voet, I, 4, Par. II, 2, 7; Lugo, *De Iust.*, XXIV, 8. Et ita hodie C. G., art. 3; Austr., 3; Reg. Pont., § 5; C. It., art. 6. Proinde utrum quis, v. c., maior sit, an minor aetate, utrum subsit patriae potestati, aut maritali; utrum possit contrahere, testamentum facere; quousque usus fr. bonorum filiorum ad patrem, et an etiam ad matrem pertineat (§ 54, n. 49), aestimatur ex legibus eius loci, cuius ipse civis est; et non eius ubi versatur, contrahit, testatur, bona sua possidet, etc. Quamobrem italus, v. c., a 21 an., si in ditione austriaca versetur, *maioris;* contra austriacus qui in Italia versatur, etsi 24 aet. annum agat, *minoris* iure censetur (V. § 33, n. 3). Usus fructus in bonis filiorum debetur patri gallico usque ad ann. 18 tantum, etiam in bonis italici soli; patri italo usque ad ann. 21 filii, etiam in bonis gallici soli, debetur. At vero quae personalia, quae realia iura sint definire, res est anceps (Laurent, I, 73), et *innumerabilibus controversiis* obnoxia (Voet, I, 4, Par. II, n. 1).

(10) P. 15, § 1, *De interd. et releg.* Ideo valide emunt, vendunt, conducunt, foenus exercent, quaesita post mortem civilem pignori dare possunt, etc.

pendi possunt. Utraque amittunt ipso iure capitis damnati, vel in opus publicum perpetuo dati: quin hi, nedum testamento, sed nec donationibus quidquam, praeter alimenta, capere possunt; et possessio et usufructus eis adimitur bonorum (11), quae ante sententiam sua erant (12). Dati in opus publicum ad tempus, item reclusi et relegati *politicis* interdicuntur; modo ipso iure, modo officio iudicis; *civilibus* semper ipso iure; et ideo sub *tutela sunt,* regulariter, dum poenam luunt (13). At vero interdictis in poenam sua interdictio non prodest (14), ne lucrosa eis sua poena sit. Interdictis in poenam proxime accedit is qui foro cessit: etenim interdicitur administratione bonorum quoad cum coetu creditorum, quos habebat cum foro cederet, se concordaverit per sententiam quae transierit in rem iudicatam. At interim non prohibetur acquirere, etiam civiliter, quaesita administrare, deque eis iudicio experiri.

121. Statui personarum accensetur *existimatio.* Definitur: *Illaesae dignitatis status legibus ac moribus comprobatus* (15): cui opponitur infamia. Verum, Nostris et *Canonistis,* duplex est infamia, iuris et facti (non belle): infamia iuris, *a sensu contrario,* rectissime definitur: *Laesae dignitatis status legibus ac moribus reprobatus* (16). Infamia facti est *existimationis iactura.* Utraque oritur ex facto aliquo turpi (17), ac notorio (18): verum illa oritur ex facto, quod per leges notatur infamia (19), haec ex facto, quod

(11) C. Poen. It., art. 29; C. Civ. Subalp., art. 44. In eo tantum distant a civiliter mortuis, quod nulla, quamdiu eis vita contigerit, hereditas ipsorum est.

(12) Ex cit. L. 15, *De Interdict.*

(13) C. Poenal., aa. 21, 22. *Regulariter:* nam si poenae cohaereat ut nonnunquam, interdictio ab aliquo munere, vel negotiatione, vel arte, nec post expiatam poenam restituitur (Cit. C., a. 135). Porro *reclusi* dicuntur qui *in una casa di forza* in opus aliquod damnati; *relegati* qui in arce detrusi sunt (C. Poen., aa. 17, 18). At inclusi carceribus, deportati (*confino*), certis locis interdicti (*esilio locale*), etc., non amittunt iura civilia (Cit. Cod., a. 16).

(14) Ex C. Civ. It., a. 1107, § 1; Durant., XIII, 38.

(15) L. 5, § 1, *De var. et extraord. cognit.* Communissima.

(16) Reiff., V, 37, 52; Filiucc., XIX, 202. Ideoque *nihil aliud est, quam diminutio huiusmodi status* (Suarez, 48, 1, 1; Laym., *De Irregular.,* Cap. IV, n. 1): quod velim animadverti.

(17) Ex L. 1, *De his qui not. inf.* Sive hoc delictum sit, sive quid aliud probrosum, vel indecorum (Cit. L. 1; L. 2, § ult., *Eodem*).

(18) C. 33, Dist. 50; C. 4, *De Tempor. Ordinat.;* Reiff., V, 37, 57; Salmant., 10, 8, 78; S. Alph., VII, 363. Contra Sylvestr. aliosque veteres TT. existimantes oriri etiam e delicto occulto (ita scilicet ut, eo prodito, effectus ad diem patrati criminis retro traheretur), quippe, aiebant, delicto, non manifestationi eius, imposita est: haesitque eis hic aqua diu! (V. Suar., *De Censur.,* 48, 1, 13).

(19) L. 5, *De variis et extraordin.;* L. 1, *De his qui not. inf.*

per leges quidem notatum haud est, sed existimationem apud graves et honestos viros onerat (20). Illa *laeditur* personae status, quippe minuitur, vel consumitur detractione iurium ei cohaerentium; et cum primis inhabilem efficiendo eum qui laborat infamia, dignitatibus et muneribus publicis suscipiendis, vel obeundis, et ideo poena est: haec nullum iuris effectum praestat (21); nec est poena, quia non lege irrogatur, sed opinione bonorum: uno verbo illa facit *inidoneum,* haec *indignum,* aut vilem (22).

122. Infamia iuris dispescitur in civilem et canonicam. Civilis dicitur ea, quae iure civili introducta est; canonica, lata significatione, quae ex iure civili (communi) generaliter deprompta fuit; stricta, quae speciatim in singula crimina, sive deprompta ex iure civili, sive ipso iure canonico invecta, statuta fuit (23). Praeterea omnes criminosi hoc iure infames habentur (24); nempe propter reverentiam divini ministerii. Verum haec posterior infamia recidit in infamiam facti (25); qua hodie hi solum infames habentur, qui in

(20) L. 13, C. *Ex quib. caus. inf. irrog.;* Sayr., VII, 11, 3; Tolet., I, 57, 2. Qua, scilicet, magis *pudor oneratur* (L. 20, *De his qui not. inf.*) *opinio alicuius gravatur,* quam is afficiatur *infamia* (L. 25, C. *ad L. Iul. De Adult.*). Et varie ex personis aestimatur: ut ecce si vir nobilis adeat postribula, sacerdos ebriosus sit, episcopus assuetus mendaciis, iracundus, etc. Quam nec infamiam appellandam esse docet, ex I. C., Donellus, (To. V, Lib. 18, Cap. 6, n. 5), Haimber., et ex nostris Suar., (*De Censur.,* 48, 1, nn. 3, 11; V. Croix, IV, 787; VII, 517). Et recte, ex LL. 13, 17, 19, C. *Eod.*

(21) Suar., *De Censur.,* 48, 1, 3; Filiucc., XIX, 204, 222.

(22) Ex C. 11, *De Excessib. Praelat.;* C. 4, *De accusat.;* Suar., n. 11. Et huc pertinet C. 87, *De R. I.* in 6°: *Infamibus portae non pateant dignitatum.* Et, L. 2, C. *De Dignit.: Neque famosis et notatis, et quos* SCELUS AUT TURPITUDO INQUINAT... *dignitatis portae patebunt.*

(23) Suar., *De Censur.,* 48, 1, 4 etc. *Communi* (hodie penes nos nulla amplius extat *infamia iuris civilis*). Dixi *generaliter;* nam iure canonico infames habentur quotquot iure civili pro aliqua culpa notantur infamia (C. 17, Cau. 9, q. 1; Suar., 48, 2, 12). *Culpa;* nam quae aliunde oritur, eam non recipit ius canonicum: ut ecce qua notatur vidua, quae nubit dum virum luget (L. 1, C. *De Secund. Nupt.*); tutor qui pupillam suam ducit (L. 66, *De Ritu Nupt.*). Et ideo ea quae contrahitur ex delicto parentum (L. 5, C. *Ad L. Iul. Maiest.*) dedecus magis, et ignominia quaedam est; prout eius qui ex meretrice natus est; et lata dumtaxat ac vulgari significatione, dicitur infamia, ut in C. 5, *De Poen.* in 6°.

(24) CC. 2, 3, 17, Cau. 6, 1. Prout homicidae, malefici, fures, incestuosi, periuri (C. 9, Cau. 3, 6).

(25) V. Salmant., 10, 8, 78; Filiucc., 19, 219. Et de haereticis, quos constat esse infames utroque iure (Auth. *Gazaros,* C. *De Haeret. et Manich.;* C. 10, *De Haeret.*), Duardo (Lib. II, Can. 1, Quae. 27, n. 12) et vel ipse Albitius (Cap. 19, n. 12), cum Azor., Simanch, Sanch., Baldell., Del Bene, fatetur ante sententiam iudicis laborare infamia facti, non iuris. Item Pirhin. (V, 7, 52), Schmalz. (V 7, 124).

crimine *perseverant* (26) *interveniente contumacia, post Ecclesiae correctionem* (27). Ad haec, infamia iuris alia ferendae sententiae est, alia est latae sententiae (28): sed recepta, contra veteres nonnullos, sententia est, nullam infamiam iuris contrahi ante sententiam iudicis saltem declaratoriam, quia poena est (29); infamia facti ipso turpi facto admisso contrahitur, et planum est. Et quando *omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur* (30), infamia facti, quamdiu quis ea notatus non fuerit officio iudicis, deletur poenitentia (31). Infamia iuris, iure civili, cessat indulgentia Principis, dummodo is existimationis restitutionem nominatim indulserit (32); aut luitione poenae (33); iure canonico, deletur indulgentia R. Pontificis; vel Ordinarii, si oritur ex adul-

(26) Suar., *De Censur.*, 48, 2, 6.

(27) Suar., *De Censur.*, 43, 5, 1.

(28) LL. 1, 7, *De his qui not. inf.;* Makeld., § 128; Haimb., § 67; Laym., *De Irregular.*, Cap. IV, 1; Salmant., 10, 8, 80. Infames ipso iure sunt qui lege ipsa *notantur;* post sententiam, qui *notari iubentur* infamia.

(29) Haec sententia penes I. C. nullam dubitationem patitur (V. Cremani, Lib. I, Par. II, Cap. 11; Carmign., *Inst. Crim.*, § 182). Et *ita esse secundum omnia iura de mundo,* testatur Iason ap. Thesaur. (Par. I, Cap. 33, v. Adv. 5). Apud nostros et Canonistas hodie communiss. est (Pirhing, V, 7, 52; Schmalz., *l. c.;* Reiff., V, 7, 293; Sanch., *Dec.*, II, 26, 1; Laym., Lib. II, Tract. I, Cap. XVI, 4; Azor., To. I, Lib. VIII, Cap. 13; Hurtado; Palaus; Croix, IV, 787). Et ex iure prorsus; nam condemnatus, si appellaverit, *pendente appellatione famosus non habetur* (L. 6 pr., *De his qui not. infa.;* Moli., Tr. III, Disp. IX, n. 4; Laym., *De Irregular.*, Cap. IV, n. 1). Quidam putant satis esse rei confessionem in iudicio (Filiucc., 19, 212; S. Alph., VII, 363), et iure prorsus (Ex C. 7, *De Cohabit. Cleric.*): verum ex confessione solam facti infamiam oriri docent Bartol. Angelus, Avila (Laym., *De Irregular.*, IV, I); et merito (Ex C. 8, *De Cohab. Cleric.*, et C. ult., *De Tempor. Ordin.;* V. Tolet., 1, 57, 3). Ceterum qui contrahit infamiam latae sent. *condemnatus retro infamis est* (Cit. L. 6, *De his,* etc.), quia factum lex, non sententia notat (L. 44, § pen., *De Ritu Nupt.*).

(30) L. *Nihil,* 36, *De R. I.*

(31) Ex C. ult., *De Tempor. Ordin.;* Navarr., *l. c.;* Sayr., n. 18; Suar., 48, 2, 3; S. Alphon., VII, 352. Dummodo emendatio a triennio perseveret (Viva; Croix; S. Alph., 363): et est *communis sententia* (Thesaur., I, 33). Nec indulgentia Principis deleri potest (Tolet., I, 57, 3).

(32) L. 1, § *Eum qui,* 9, *De Postulan.* Dum ne poenam dumtaxat remiserit (L. 3, C. *De gener. abolit. reor.*) vel generali indulgentia, v. c., reditum exsulibus, deportatis, tribuerit (L. 7, C. *De Sent. pass.*).

(33) Ex L. 8, *De Postulat.;* L. 3, *De Decurion.* Et in utroque casu cessat indirecte et per consequens etiam quoad Ecclesiam (Gratian., in C. 7, Cau. 1, 1; Sayr., VII, 11, 14; ibique Sylvest.): excepta ea quae in iure canonico decreta est *speciatim* (Suar., 48, 2, 10; Laym., *De Irregularit.*, IV, 10; Filiucc., 19, 224); ut puta in bigamos (C. 4, *De Bigam.*), raptores (Trident. XXIV, *R. M.*, 6), haereticos (C. 10, *De Haeret.*); et dummodo infamia facto quoque et reipsa fuerit extincta (Sylvest., Suar., etc.; Thesaur., Par. I, Cap. 34).

terio vel criminibus adulterio levioribus (34): et si est ferendae sententiae ante condemnationem hodie deletur poenitentia (35); et *pene* in facti infamiam recidit (36).

(34) Ex C. 4, § 1, *De Iudic.;* Navarr., 27, 204; Sayr., VII, 11, 15; Tolet., I, 57, 5.

(35) Suar., 48, 2, 7. Licet crimen sit enormissimum; et notorium, et confessum in iure (Suar., n. 8, ibique Panorm., Hostien., Abbas, Turrecremata, etc.).

(36) V. Pirhing, V, 38, 52. Dixi *pene,* nempe V. not. 29 in fine. Sane in veteri disciplina, quae longe severior fuit, clerici *lapsi,* et revertentes ab haeresi, in susceptis ordinibus restituebantur arbitrio Episcopi (CC. 22, etc., Dist. 50), licet ad superiores promoveri non possent (C. 42, Cau. 1, q. 1; CC. 14, 16, 17, 19, 21, 29, Dist. 50).

TRACTATUS II.

DE ACTIBUS HUMANIS

CAPUT I.

DE PRINCIPIIS ACTUUM HUMANORUM PROXIMIS.

123. Actus humanos Theologum inspicere oportet *in genere morum*. Age nunc, omnium actuum principium (in ordine naturali) natura est: homo autem positus est velut in confinio corporalium et spiritualium entium (1): et duplici natura constat, animali, et rationali. Utrique inest duplex vis (scholastici *potentias* vocant) *cognoscitiva* et *appetitiva;* animali imperfecta, rationali perfecta. Scilicet naturae animali inest imaginatio, et appetitus (appetitum vero heic et deinceps sensitivum intelligo, ut *Genes.*, IV, 8); rationali intellectus, et voluntas (appetitus rationalis): *illa* homini cum brutis, *haec* cum Angelis communia sunt. Ex vi cognoscitiva, et appetitiva, omnis actio nostra initium capit. Et primum ex cognoscitiva, quia nemo potest appetere quod nullatenus novit: unde illud — *ignoti nulla cupido;* — tum ex appetitiva, quia sine hac moveri in obiectum aliquod impossibile est (2). Ad haec homo praeditus est *libero arbitrio:* ex hoc autem fit actuum suorum dominus, atque ideo ex eo *moralitas* actuum humanorum initium capit (3). De natura animali me expediam paucis.

124. Haec bono sensibili studet: eiusque duplex est vis; una in imaginatione posita est, altera in appetitu. *Imaginatio* (quam graeci *phantasiam* vocant, latine *visum*) ea potentia est, quae a sensibus oblata extrinsecus accipit (4). Quae cum acceperit, animus vel in rem sibi obiectam impellitur, vel ab ea refugit per illam sibi insitam vim quam *appetitum* vocant. Appetitus diducitur in concupiscibilem et irascibilem. *Concupiscibilis* est per quam animus ea, quae, secundum imaginationem bona vel mala apparent, inhiat,

(1) D. Th., 1, Part. 77, art. 2.

(2) V. D. Th., 1, 78. 1. Naturam vegetativam praeterii, quippe cuius operationes, v. c., respiratio, pulsatio cordis, etc., ad mores non pertinent (D. Th., 1, 2, 17, 8).

(3) D. Th., 1, 2, 1, 1.

(4) D. Th., 1, 2, 15, 1; 17, 7, Ob. 3.

aut refugit (5); *irascibilis,* per quam nititur submovere quaecumque nobis, illa inhiantibus, vel haec fugientibus obstant (6). Appetitus, cum urget nos in ea quae secundum sensum videntur bona, reipsa vero sunt mala, concupiscentiae habet nomen (7): sed Nostri plerumque concupiscentiam accipiunt ipsos concupiscentiae motus; qui aut movent voluntatem, aut ab ipsa moventur; inde eam diducunt in antecedentem (consensum voluntatis), et consequentem (8). Motus huiusmodi, si quasi vi et impetu quodam abripiunt animum, ut is videatur quodammodo sub eis pati, *passiones* vulgo dici solent (9). Actus qui ex natura animali prodeunt, necessario ultroque profluunt, ed ideo *necessarii,* et *spontanei* dici solent. Sed de hoc satis; venio ad naturam rationalem.

Art. I. *De intellectu.*

125. Age nunc: cum ea quae sensibus obiiciuntur ad imaginationem pervenerint, non in ea sistimus, ut bruta animantia, sed animus noster, ultra speciem, naturam cuiusque, et veritatem quaerens ea intuetur, considerat, apprehendit. Hoc praestat per aliam sibi insitam divinam vim, quam mentem et intellectum appellant. Ex quo patet, obiectum intellectus esse veritatem, seu verum. Hoc definitur, *adaequatio rei et intellectus* (1). Horum inaequalitas dicitur falsitas (2). A veritate differt certitudo; quae est: *Firmitas*

(5) V. D. Th., 1, 2, 17, 2. Qua, v. c., aestuans febri, avet aquam, medicinam fastidit.

(6) D. Th., 1, 2, 81, aa. 1, 2. *Est quasi propugnatrix concupiscibilis.*

(7) Ex *Iacob.,* I, 14; S. Aug., *De Civit.,* 14, 7. Latiori sensu, concupiscentia est, *motus appetitivae virtutis sensibilis, qui est ex imaginatione boni vel mali* (D. Th., 3, Dist. 26, Q. 1, art. 1).

(8) V. D. Th., 2, 2, 77, 6. Motus concupiscentiae antecedentis, quia intellectum antevertunt et voluntatem praeripiunt, dicuntur *primo primi;* veluti si quis, viso inimico, illico flagret: consequentis, *deliberati,* quia mentem non intercipiunt, et voluntas eos aut *probat,* aut *ciet;* ut puta, si quis, viso inimico, aestuet sciens volens: vel, dum illatas sibi iniurias recolit, incalescat. Inter utrosque S. Alph. (V, XXV) ponit actus *secundo-primos,* qui scilicet menti caliginem, sed non omnem prorsus, offundunt.

(9) V. D. Th., 1, 2, 22, 3. Ceterum, concupiscentia latiori sensu accepta (n. 7), passiones quoque et bonae, et malae sunt (D. Th., 1, 2, 77, 6 ad 2).

(1) D. Th., *De Veritate,* Quae. 1, art. 1. Rei, idest *entis;* intellectus, idest *ideae.*

(2) D. Th., *l. c.,* art. 10. Nempe quia, specie veri, nos *fallit,* decipit. Sed plerumque etiam specie *boni* decipimur. Nempe *illic* a ratione, lapsi errore aliquo seu facti, seu iuris, de quo mox; *hic* ab imaginatione: et *hoc tripliciter quandoque quidem ex aliqua passione: quandoque ex aliqua infirmitate, sicut patet in phreneticis vel furiosis: quandoque in somno, sicut accidit in dormientibus* (D. Th., *De Somniis,* Lect. III).

adhaesionis virtutis cognitivae in suum cognoscibile (3); et a dialecticis in metaphysicam, physicam et moralem diducitur (nobis haec ultima sufficit): verum, quacumque ea sit, nisi omne prorsus dubium excludit, exsulat. Inter veritatem et certitudinem hoc distat: illa obiectiva est, haec penitus subiectiva (4). Intellectus igitur est *percipere ea quae sunt, uti sunt* (5). Et quae sunt *per se* evidentia actutum percipit, cetera inquirit ratiocinando. Et, cum quaesierit, 1° vel ei apparent prorsus vera, aut prorsus falsa; vel, 2° utriusque (veri et falsi) speciem habentia. Si primum, affirmat aut negat, nihil haesitans: sin alterum, siquidem aequalem tum veri tum falsi speciem praeferunt, nihil affirmat, nihil negat, sed haeret anceps (6): sin inaequalem, in eam inclinat, quae maiorem veri speciem habet, sed verens oppositam. Inde *iudicium dubium, opinio.*

126. Itaque iudicium heic dicitur: *Actus mentis, quae constituta inter duos terminos contradictionis, uni eorum adhaeret, nihil haesitans.* Iudicium igitur nititur certitudine, non veritate, quia mens iudicat ex his quae ei apparent, et ex his tantum; sed quia *multa falsa sunt probabiliora veris,* saepius errat. Proinde cum errat, quod ad imputationem quidem; *plus valet quod est in opinione, quam quod in rei veritate;* sed quod ad rem ipsam, *plus valet quod est in rei veritate, quam quod in existimatione est,* quia *falsa nostra existimatio rei veritatem non mutat* (7).

127. Contra, dubium est: *Status mentis quae, inter duos contradictionis terminos constituta, haeret anceps;* idest neutri assentitur, a neutro dissentit (8). Est vel facti, vel iuris (9). Dicitur negativum cum nulla neque affirmandi, neque negandi ratio subest; affirmativum cum subest ultro citroque (10). Dubium iuris subdistin-

(3) D. Th., in 3, Dist. 26, q. 2, art. 4.

(4) D. Th., *De Verit.,* Q. 1, aa. 2, 10. *Bonum et malum sunt in rebus, verum et falsum sunt in mente* (D. Th., 1, 82, 3).

(5) D. Th., *loc. cit.,* art. 12. Intellectus quasi *intus legens.*

(6) D. Th., *De Verit.,* XIV, I. Necessarione? multi affirmant; alii negant (Cf. Sanch., *Dec.,* 1, IX, 12; Croix, I, 399). Sed, ni fallit, res plana est; *intellectus* alterum prae altero probare, cum nulla suppetat ratio, non potest, quin sibi mentiatur, seipsum neget: *voluntas* quia libertate gaudet, potest utrumlibet eligere.

(7) L. 15, *De Acqu. Haered.;* § 11, *De Legatis.*

(8) D. Th., *De Verit.,* XIV, 1.

(9) *Facti;* v. c., utrum sit vinum, an aqua, in qua baptizare vis aut consecrare. *Iuris;* utrum liceat ea *hic et nunc* baptizare, vel consecrare. Sed dubium facti ad nos non pertinet, cum de iure non agitur: puta, utrum coenam ultra mediam noctem produxeris, nisi postridie tibi celebrandum sit, vel communicandum, vel ieiunandum.

(10) Croix, I, 71; VI, II, 599; S. Alphon., I, 20. V. c., an sydera sint paria; utrum Ecclesia suppleat iurisdictionem cum solo errore communi

guitur in *speculativum,* et *practicum:* speculativo laborat is, cui non satis exploratum est, utrum id, quod facere vult, forte vetitum sit aliqua lege, aut praecepto; practico is, qui hoc ignorans, nihilominus facit, ac proinde incertus utrum rem licitam, an illicitam faciat. Aliter: speculative dubitat qui de lege anceps est; practice qui haeret anceps, an *in hoc casu* haec dubia lex obliget (11). Est igitur *obiectum* utriusque dubii plane diversum; speculativum versatur circa *existentiam legis;* practicum circa *honestatem actionis* versatur: et plane diversa est in utroque casu, et unaquaeque ex suis principiis deducta, ratiocinatio (12). Practicum sine speculativo nec intelligitur: speculativum sine practico consistere potest, et plerumque consistit (13).

(§ 79). Dubium negativum in *ignorantiam,* positivum in *opinionem* recidit (S. Alph., I, 20).

(11) Caietan., *Respons.,* Opusc. 17, n. 3; Sanch., *M.,* II, 41, 4; Croix, I, 75; Ex C. 35, *De Simonia.* V. c. *Extatne* lex quae iubet confiteri circumstantias simpliciter aggravantes?, en dubium speculativum. *Licetne* in hoc dubio reticere circumstantias huiusmodi? en dubium practicum.

(12) V. S. Alph., I, 21. En, circa utrumque obiectum, diversa haec ratiocinatio. Quoad 1.m Ea lex de cuius existentia (vel sensu) graviter disputatur, dubia est; atqui de hac lege (quae circumstantias aggravantes confiteri iubet) graviter disputatur; ergo haec lex dubia est. Quoad 2.m Lex dubia non obligat; atqui lex (de circumstantiis aggravantibus confitendis) dubia est; ergo non obligat.

Tutioristis aliud visum: his unum est obiectum utriusque dubii, nempe licitum actionis, vel illicitum; unum proinde,atque idem prorsus utrumque dubium; quorum alterum in altero, idest practicum in speculativo (prout in praemissis illatio) contineri aiunt. Quocirca dubium speculativum vocant, cum dubitas in abstracto (generatim), v. c., an licitium sit poenitentibus reticere circumstantias simpliciter aggravantes: practicum, cum tu dubitas, an id liceat tibi confitenti hic et nunc (Pisell., *De Cons.,* in pr.; Antoine, *De Consc.,* Cap. 2, q. 2, Resp. 1; Cap. 4, art. 3, Ob. 2). Sane (aiunt) *iuplicat, me dubitare, an aliquid accipere ultra sortem ratione lucri cessantis, sit usura, et tamen simul esse certum, non esse usuram, et me licite nunc accipere aliquid ultra sortem ratione lucri cessantis* (Mut. Vitelleschi, *De Recto usu Opin. Probab.,* Dissert. VII, num. 84). *Etenim fieri non potest, ut idem intellectus de eodem contractu simul iudicet esse in se usurarium, et esse in se honestum* (Aegid. Estrix. S. I., *Legistica Probabilitatum,* Prolog., Assert. II). *Implicat* etc., ita porro, sed eos qui diversissima permiscent; utrum, nempe, lex usuram vetet, an minus; utrum, in dubio huius legis, usuras sibi stipulari licitum sit: distingue haec dubia: solve prius primum, quod praetermittis; et dein perge ad alterum dissolvendum. Sane si utrumque dubium est unum atque idem, cui, Christianis dubitantibus utrum liceret vesci suffocatis, respondere Apostolus potuit: *Unusquisque in suo sensu abundet* (*Roman.,* XIV, 1, etc.)?

(13) Ex *Rom.,* XIV, 3, 5; I *Corinth.,* X, 25. Sane dubium speculativum est, an valeat baptismus collatus in pede, vel cum aqua rosacea; et nihilominus quis *practice* dubitet, an sit licitum in casu necessitatis baptizare in pede, vel cum aqua rosacea?

128. Demum opinio est: *Actus intellectus qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius* (14). Quamobrem et iudicii, et dubii habet aliquid: iudicii, quia discedit in unam contradictionis partem; dubii, quia formidans discedit. Nititur probabilitate: quae definitur: *veri, iudicio prudentum, similitudo* (15). Itaque nititur, *specie* veri; species autem veri aestimatur ex rationum momentis, et sapientum *iudicio:* nam quae mihi talis videtur *solis* rationum momentis meo iudicio aestimatis, interdum fallacia est (16): quae *solo* iudicio prudentum innititur, est magis probabilitatis praesumptio (17). Porro species veri vel adeo ingens est, iudicio prudentum, ut vero proxima; vel contra, adeo levis, ut proxima falso videatur; vel tenet inter utramque: inde opinio est vel probabilissima, vel tenuiter probabilis, vel probabilis simpliciter. Et quando in his, quae moraliter aestimantur, *id quod parum distat a re, nihil distare videtur* (§ 32, n. 23), illa habetur perinde quasi vera, haec perinde quasi falsa; hanc seu veram, seu falsam asserere, menti,

(14) D. Th., 1, 79, 9 ad 4.

(15) Cf. Billuart, To. II. Tr. *De Actib. human.,* Diss. VI, art. 1: *Un verosimile ben fondato* (Segneri, *Lettere sulla materia del Probabilismo,* Lett. I, n. 26). Alias, probabile dicitur, quod probari meretur (L. 11, *De Iurisd.;* L. 4, *De hered. instit.*). Ubi igitur nulla, aut minima occurrit veri similitudo, nihil probabile potest occurrere, sed aliquid possibile tantum; puta si quis, integra aetate ac valetudine, dubitet, ne hodie diem suum obeat; eo quod multi subito intereunt (Lugo, *De Poenit.,* XVI, 608).

(16) *Prov.,* III, 5. *Ne innitaris prudentiae tuae.* Ad haec, proprium iudicium, cum inter contraria versamur, raro aequum est. Finge Petrum furti accusatum: Osius, infensus Petro, vel natura invidus, aut suspiciosus, facile sibi persuadet Petrum furem esse; Seius amicus, vel necessarius, vel natura benevolus, contra.

(17) Croix, I, 113. Et *per se nihil valet* (Salm., 29, 1, 35), licet plurimorum auctoritate suffulta; quia *numerus auctorum non facit ut opinio censeatur conformis rectae rationi, aut voluntati Dei;* sed eis utimur, quia putandum non est, viros graves et sapientes *sine gravi fundamento loqui* (Croix, *l.* c.). Ideoque *non ex numero diiudicantur, sed pondere* (Cano, *De Locis,* VIII, 4). *Sunt* enim *opiniones instar monetae, cuius valor, non ex numero, sed pondere et mensura aestimatur* (Sfondratus, *Reg. Sacer.,* Lib. I, § 20). Non igitur *ex multitudine AA. quod melius est iudicato, cum possit unius, et forte deterioris, sententia multos in aliqua parte superare* (Silvester, *Summa,* V. *Opinio,* n. 2). *Sed ex uniuscuiusque probitate, doctrina, studio* (Collet, *De Conscient.,* Cap. IV, in pr.). Itaque probabilitas, Nostris, duplex est: *intrinseca,* quae nititur rationum momentis; et *extrinseca,* quae auctoritate sapientum innititur. Haec autem, licet *per se* nihil valeat, nihilominus in his, quae sunt magis facti quam iuris, in intrinsecam recidit (S. Alph., III, 1032, pr.): ut ecce cum quaeritur, quae sit materia gravis in furto, in servilibus die festo, in ieiuniis, in horis canonicis.

quae eam ita uti est apprehendit, impossibile est (18). Porro quoties Nostri opinionem aliquam probabilem simpliciter vocant, *hanc tantum* intelligunt. Itaque opinio probabilis ea est, *quae tam gravi ac solido nititur fundamento, vel intrinseco rationis, vel extrinseco auctoritatis, ut trahere ad se valeat assensum viri prudentis, etiam cum formidine oppositi* (19).

129. At vero probabilitas potest esse vel absoluta, vel relativa. Absoluta ea est cui nulla, relativa cui alia probabilitas (seu opinio probabilis) stat ex adverso. Quando igitur duae contrariae sententiae concurrunt ultro citroque, utriusque probabilitas, non ex seipsa tantum, sed ex probabilitate alterius quoque metiri debet (20); etenim saepe maior unius probabilitas alterius probabilitatem aut labefactat, aut *elidit* (21). Scilicet veritas divisionem non recipit; quatenus igitur una ex eis veritati propius accedere videtur, eatenus alteram ab ea recedere videri necesse est. Porro maior probabilitas,

(18) V. S. Alph., *H. A.*, I, 29. Dixi *levis* idest, *quae aliquo* quidem *fundamento nititur, sed non tali ut valeat asssensum viri prudentis ad se trahere* (S. Alph., I, 40): nam quae futili ratione nititur, extra fines probabilitatis consistere palam est; quis enim eam non flocci facit? Ad haec, V. S. Alph., Lib. I, *Systema Morale*, § II, v. *Dicunt igitur*. Porro sententiae, quae extrinseca tantum probabilitate gaudent, non probabiles, etc., sed communes, communiores, communissimae dici solent. *Communes* accipimus quas tenent sex *graves* Doctores, illas *ex professo* tractantes (Navarr., 27, 289; Sanch., *M.*, III, 44, 2); *et non eas, quas simpliciter habent plures AA. qui, quod a prioribus traditum est, sequuntur instar avium, et ovium* (Bonac., *De Peccat.*, Disp. 2, Quae. 4, P. 2, n. 12); *communiores*, quas maior; *communissimas*, quas maxima pars *eorum* tenet. Hae velut *sensum communem* TT. ostendunt; nihilominus non est inauditum, aliquam sententiam esse communissimam, et nihilominus contrariam veriorem esse (V. S. Alph., VI, 427); immo verissimam, et omnimo tenendam.

(19) S. Alph., I, 44. Edit. 1762. Brevius cum Ben. XIV (B. *Apostolica Constitutio*, § 21), *quam ratio suadet, et firmat auctoritas*.

(20) Ex L. 21, § 1, *De Testib.*; C. 32, *Eod. tit.*; Vasq., in 1, 2, Disp. 62, Cap. 4, n. 17. Quod Probabilistarum, qui moderati vocantur, nemo unus diffitetur. Sane horum antesignanus, Bart. Medina: *est*, ait, *opinio probabilis, quam asserunt viri sapientes, et confirmant optima argumenta*, QUAE SEQUI NIHIL IMPROBABILE EST (1, 2, q. 19, art. 6, dub. 4). *Opinio probabilis est, quae ratione alicuius momenti nititur; ita tamen, ut pro opposita nihil convincens sit* (Sanch., *Dec.*, I, IX, 5). Brevius; est *Iudicium incertum motivo absolute et* RESPECTIVE *gravi:* ita La Croix (I, 108), qui testatur, hanc definitionem esse *communissimam*. Porro opinio probabilis, cui nulla gravis probabilitas stat ex adverso, *unice probabilis* dici solet.

(21) Cf. Viva, in Alex. VIII, 3. Probabilitatem alicuius opinionis *elidere* est, eam opinionem improbabilem reddere: ut ecce sententia Bellarmini de necessaria intentione baptizantis contra Ambr. Catherinum, post damnatam ab Alex. VII, prop. 30 (V. S. Alph., VI, 23).

qua una sententia alteram exsuperat, aut parum aliquid est, aut plurimum, aut multum. Si *parum*, pro nihilo reputabitur (§ 32, n. 23), atque ideo utraque sententia aestimatur pariter (22); si *plurimum,* ita nempe ut altera vero, altera falso proxima videatur, huius probabilitas eliditur, et quae, in *se spectata*, vere probabilis videbatur, in tenuiter vel saltem in dubie probabilem desinit; sin *multum,* quaestionis est, utrum maior unius probabilitas elidat minorem probabilitatem alterius: Tutioristae affirmant (23); Probabilistae negant (24), et iure prorsus; nam quamdiu una earum non est proxima vero, quomodo contraria videri poterit proxima falso? alias, quamdiu una non apparet probabilissima, quî fieri potest, ut altera, quae suapte natura probabilis est, videatur tenuiter, aut saltem dubie probabilis? (25).

130. Probabilitas, ceu patet ex dictis, distat a certitudine toto coelo. Sed et certitudo nostra (moralis) a certitudine morali dialecticorum, quae omne prorsus dubium excludit (§ 125), distat. Scilicet in moralibus haec *certitudo vix unquam datur* (26): ideo certitudo nostra non ea est, quae *omnem prorsus*, sed ea quae *omnem prudentem* formidinem falsitatis excludit; idest, cuius oppositum *nullo modo videtur* (vere) *probabile* (27). Et quia *omnis fere cognitio hu-*

(22) S. Alph., I, 55 (Edit. VI).

(23) Billuart, *De Actib. hum.*, Art. 1, pr. Sane, aiunt, si ex undecim testibus pariter fide dignis, quinque negent Seium reum esse, quinque autem affirment, illorum testimoniis, totidem horum testimoniis elisis, unum tantum testimonium supererit, atque ideo *unica probabilitas*. Ita porro, si demonstraveris, illos decem testes ita sibi fidem adimere mutuo, ut omnem prorsus fidem invicem amittant; atque ideo eorum testimonia, testimonia nullatenus dici posse. Quid? Controversia inter duos orta de rei alicuius proprietate, cuius alter dominium sibi vindicat, alter eam possidet, licebitne hunc e possessione deiicere, quia ab illo unius testimonio superatur? Sed aiunt: *pondus grave superatum a graviori fit leve.* Haud ita sane; quippe omnis res *ex seipsa* aestimari debet; quid enim si inter homines unus sit omnium fortissimus, ditissimus, prudentissimus? (Sed V. L. 21, C. 32, *De Testib.*).

(24) Ex S. August., Epist, 117, et ap. Gratian., Dist. 19, 6; Croix, I, 263; S. Alph., *De Usu Moder. Opin. probab*, n. 13. Neap. 1755.

(25) V. Croix, I, 261. Multi ex Nostris haec explicant exemplis a rerum materialium natura desumptis: uti enim, aiunt, aliquis non desinit esse dives, fortis, sanus, etc., eo quod alter est ipso ditior, fortior, etc. Sed non bene; haec enim in pluribus inveniri possunt, veritas in duobus contrariis inveniri non potest. Quod si Nostri, ex duabus sententiis nonnunquam alteram probabilissimam, alteram probabilem dicunt, probabilissimam vocant, non ex rationum momentis, sed ex aliorum iudicio; et si utramque penitus inspexeris, facile deprehendes, vel alteram probabilissimam, vel alteram revera non esse probabilem (Cf. Baller., ad Gury, I, 77, 4).

(26) Salm., 11, 4, 4).

(27) Less., II, 10, 39; V. S. Alphon., I, 40.

mana coniecturalis est, praesertim in rebus agendis (28), in his diiudicandis *sufficit coniecturalis probabilitas, secundum quam rhetor persuadet* (29): ideo quae probabilissima sunt, ea penes nos quasi certa reputantur; et opinionibus probabilissimis utimur, nedum quasi veris (§ 129), sed et quasi (moraliter) certis (30). Et neque haec (moralis) *certitudo est quaerenda similiter in omnibus, sed in unaquaque re secundum proprium modum* (31); et ideo opinionibus vel tantum probabilibus interdum utimur quasi certis; nempe quoties hanc tantum probabilitatem recipit res de qua agitur (32).

131. Est autem probabilitas vel iuris vel facti. *Iuris* dicitur, quoties dubium circa solam legem, ideoque circa solam actionis honestatem versatur; *facti*, quae versatur circa periculum damni, quod ex actione tua contigere potest sive aliis, sive tibimet; quodque seu iustitia, seu caritas praecavere iubent (33): brevius, probabilitas iuris est, cum incertum est, utrum actio tua licita sit, an illicita; facti cum non apparet, utrum noxia futura sit, an innoxia. Haec distinctio maximi momenti est (34), et ex ea prodit alia probabilitatis

(28) Suar., *De Legib.*, VI, 8, 6. *Et vix est aliquid ita evidens, quod non habeat aliquem contradicentem* (Id., *De Censur.*, 40, 5, 6).

(29) D. Th., 1, 2, 105, 2 ad 8. *Unde in rebus contingentibus, sicut sunt naturalia et res humanae, sufficit talis certitudo, ut aliquid sit verum ut in pluribus, licet interdum deficiat in paucioribus* (D. Th., *Ib.*, 96, 1, ad 3).

(30) Ex Alex. VII, 3. Quam certitudinem Patutius *infimam* vocat, et recte. Et ita semper et in omnibus tenendum est; alias incidimus in *Rigorismum* (V. § 9, in fi.).

(31) D. Th., 2, 2, 47, 9 ad 2. Ideo, v. c., uti civilia iudicia, licet *unius teruncii;* ita et poenalia, tametsi *capitalia,* duorum testimonio finiuntur: scilicet quia nemo sui delicti testes adhibet. Et in his, in quibus mentiri nihil interest testium (e. g., cum quaeritur an quis baptizatus fuerit), creditur vel *uni* testi fide digno. In his autem quae nullum testem recipiunt, utimur *praesumptionibus;* v. c., cum dubitatur, an uxor adulterinum ediderit; et quisque rite baptizatus, vel ordinatus fuisse creditur, quamvis eius qui baptizavit, ordinavit, lateat intentio.

(32) V. Laym., *De Consc.*, V, 40 etc. V. g., cum non satis apparet, utrum is, qui accedit ad sacramentum necessarias dispositiones habeat (V. S. Alph., VI, 57, 475). *Probabilis certitudo sufficit in moralibus, ut dicunt DD. de celebrante missam* etc. (Gerson, *De Contract.*, Prop. 13).

(33) Sanch., *D.*, I, 9, 44; Salmant., 13, 1, 319; S. Alph., I, 41. Sed V. Lugo, *De Instit.*, XVI, 94 etc. *Iuris;* v. c., utrum hodie sit dies esurialis, utrum festivus. *Facti;* e. g., utrum sit fera, an homo, in quem venator telum iacere vult; utrum aqua, an vinum, in quo baptizas.

(34) Scilicet dubium iuris plerumque legi adimit vim obligandi; dubium facti, quia *nostra existimatio rei veritatem non mutat,* non removet periculum damni (Suar., in 2 Par.; D. Th., tom. III, Disp. 12, Sect. 6). Sed haec distinctio (adsit reverentia vero) verbis laborat, et his quae dicuntur de dubio (§ 127, n. 9) et ignorantia (§ 132, n. 38), iuris et facti, non bene coharent. Etenim probabilitas facti, quando cu-

divisio in speculativam et practicam. Sententiae probabiles speculative, sed non practice, illae dicuntur, quae, licet in se spectatae, vero similes, similiores, simillimae, videantur, eis tamen uti non possumus propter periculum damni, quod, vel ex iustitia, vel ex caritate, nobis cavendum est (35). Sententiae practice probabiles interdum tutiores, tutae dici solent: *tutiores* quae student legi; *tutae* quae libertati quidem student, sed nihilominus, ex communi iudicio Theologorum, quia de solo licito, vel illicito agitur, sequi possunt sine periculo peccandi formaliter (36).

132. Intellectui contrarius est error. Definitur: *Falsum de aliqua re iudicium.* Differt ab ignorantia, quae non ad iudicia, sed ad ideas pertinet, et est cognitionis carentia *de aliqua re;* nempe ea quam quis scire potuit ac debuit (37); nihilominus promiscue accipiuntur. De his tria quaeri possunt: 1° qua in re quis erraverit; 2° quid suus praestiterit error; et, si pravum aliquid vel noxium praestitit, utrum, 3° erraverit culpa sua. Quod ad primum igitur, omnis, ignorantia vel *facti,* vel *iuris* est (38); quod ad alterum, vel efficax, vel inefficax seu concomitans: *efficax,* si sciens non fecisset; *inefficax* seu *concomitans,* si fecisset scieus quoque (39); quod ad tertium demum, involuntaria, aut voluntaria: *voluntaria* si scire nolueris; *involuntaria* si scire nequiveris: sed hoc est subdifficile. Principio, si nihil volitum quin praecognitum, eius, qui de ignorantia,

iusvis damnum abest, recidit in probabilitatem iuris: v. g., utrum hodie sit dies iovis, an veneris, utrum media nox praeterierit; et, ex diversò, probabilitas iuris recidit in probabilitatem facti, quoties non removet periculum damni: utputa, an liceat baptizare in lixivio, in aqua rosacea in nomine *Genitoris, et Geniti, et Procedentis ab utroque* (V. Lugo, *De Poenit.,* VII, 274; *De Iustit.,* XVI, 97). Ceterum nolumus a recepto loquendi usu recedere.

(35) E. g., an liceat choreas ducere, an occidere calumniatorem, an uti compensatione occulta in creditis non satis certis, etc.

(36) Collet, *h. t.,* Cap. IV, pr. — V. g., in confessione sacramentali non esse confitendas ciscumstantias simpliciter aggravantes. Contrariam dicimus tutiorem, quia peccandi quoque materialiter periculum removet: prout alias dicimus, tutius esse in Religione, quam in saeculo, vitam degere.

(37) D. Th., 1, 2, 76, 3. *Potuit;* ideo in infantibus, fatuis, etc., non ignorantia, sed nescientia intelligitur. *Debuit;* quis enim dixerit, v. c., ignorantia laborare medicum, vel parochum, quia ille nescit quomodo infirmis danda sit absolutio; hic quaemadmodum febris sit depellenda?

(38) L. 1, *De Iur. et fac. ign.* Veluti si quis ignoret, eam quam duxit, sibi affinem esse; vel sciat quidem, sed ignoret matrimonia cum affinibus coiri non posse.

(39) V. D. Th., 1, 2, 6, 8. Veluti si die esuriali comederis carnes, non comesturus si scisses; vel comesturus adhuc. Scilicet in priori casu *ex errore,* in posteriore magis *cum errore* videris fecisse. Porro quam nos *efficacem,* S. Doctor *antecedentem* ignorantiam appellat.

vel errore suo nihil suspicatur, involuntaria semper, et prorsus invincibilis ignorantia, vel error est (40). Si quis dubitat, inquirere debet, sive per se sive per alios (41); nec utcumque, sed diligenter: diligentia non quidem summa (hoc enim res foret infinita, et scrupulis plena), nec perfunctoria, sed *communi et ordinaria;* scilicet pro rei gravitate, ac tempore (42). Et si explorare nequiverit, vel frustra exploraverit, adhuc involuntaria erit haec ignorantia; contra, si non satis exploravit, est voluntaria. Quae vel directe voluntaria esse potest, vel indirecte (43): directe, si noluit explorare, ne ab agendo prohiberetur; quae idcirco proprio nomine *affectata* dici solet (44); indirecte, si propter desidiam non exploraverit. Haec *ex desidia ipsa* metiri debet; et ideo in eo, qui aliquam, sed non sufficientem pro rei gravitate, diligentiam adhibuit, *vincibilis* simpliciter; in eo qui exiguam, aut nullam, *crassa, lata, supina* dici solet (45).

(40) Segneri, *Confess. Istr.,* Cap. 7; Vasq.; Azor.; Suar., *De Cens.,* IV, 9, 17; Croix, V, 16; S. Alph., VI, 610, Obi. 3. Tametsi ei facillimum esset scire quod ignorat; v. c., hodie esse diem esurialem, aut festum (V. *Genes.,* XXIX, 25; S. Alphon., V, 4). Quis enim exploret de quo non cogitat? Ergo desipiunt qui putant, vincibilem esse ignorantiam quotiescumque non deest addiscendae eius via (V. Laym., Tr. II, IV, 6).

(41) *Eccli.,* XXXVII, 20; L. 2, § ult., *Quis ordo in bon. poss.*

(42) L. 9, *De iur. et facti ignor.;* Lugo, *De Poenit.,* VII, 269, 270; S. Alph., I, 3; Salm., 10, 1, 189; 20, 14, 15. *Nec supina ignorantia ferenda est, nec scrupulosa inquisitio exigenda* (L. 6, *De Iur. et fact. ignor.).*

(43) D. Th., 1, 2, 76, 3.

(44) L. 4, C. *De Inc. Nupt.;* L. 23, § *Quod ait, Ad L. Iul. De Adult.;* D. Th., 1, 2, 6, 8. *Affectare* (ab affectione) desiderare est.

(45) Sayr., Lib. I, Cap. 18, n. 4. Ubi belle et vere (Bonaci., To. I, *De Censur. in gen.,* Disp. I, Quae. II, P. 1, n. 4; ibique Sotus, Henriquez, etc.; Sanch., *Dec.,* 1, 16, 17; Alàs., *De Actib. Hum.,* 1, III, 8). Contra Suar. (*De Cens.,* IV, 10, 10) eam *ex obiecto* aestimandam putat; ideoque vincibilem dicit quae versatur in re levi; latam, crassam, supinam quae in re gravi versatur. Quamobrem, in Sancii sententia, utraque potest esse seu levis, seu gravis; in sententia Suaresii, vincibilis leve semper; lata, crassa, supina semper mortale peccatum est. Haec communior (Laym., IV, 5); sed prior et verborum metaphoris, et utrique iuri est longe convenientior. Etenim iure civili, crassa ignorantia ea dicitur quae in supinum *hominem* cadit (L. 15, *De C. E.),* eique opponitur inquisitio *scrupulosa* (L. 6, *De Iur. et fact. ign.*); iure autem canonico, ignorantia vincibilis (non crassa aut supina) excusat ab irregularitatibus ex delicto (C. 1, *De Ordin. ab Episc. qui renunc.*), et a censuris (C. 2, *De Const.* in 6°), quae materiam semper gravem desiderant. Nostri vulgo ignorantiam ex D. Thoma (1, 2, 6, 8) dispescunt in (consensum voluntatis) *antecedentem* (invincibilem et efficacem), *consequentem* (vincibilem et efficacem), et *concomitantem* (invincibilem, sed inefficacem).

Ignorantiae invincibili aequiparatur inadvertentia, quippe brevis ignorantia est; eodemque iure metitur (46): quod velim ne excidat.

ART. II. *De Voluntate.*

133. Voluntas vocabulum aequivocum est, nam et potentiam et actum significat. Qua potentia, definitur *appetitus rationalis;* qua actus, est *motus deliberatus in finem* (1). Obiectum voluntatis est *bonum;* quidquid enim aliquis vult, facit, illud vult, facit quasi bonum aliquod, vel propter bonum aliquod; inde illud: *Bonum et finis convertuntur* (2). At enim voluntas non potest moveri nisi in aliquid cognitum, et determinatum, et possibile. Et 1° *cognitum:* alias enim quid vult? Inde axioma: *Nil volitum quin praecognitum.* Verum haud opus est, ut illud penitus et undequaque noverit, nam etsi noverit *in confuso* (imperfecte), illud, quale, quantumcumque est, velle intelligitur (3). 2° *Determinatum:* scilicet actus voluntatis est motus in finem; finis est aliquid certum, fixum, determinatum (4). Demum,

(46) Suar., *De Censur.*, VI, 2, 12; Bonaci., *l. c.*, n. 5.; ibiq. Azor.; Laym., Tr. II, Cap. IV, 6, etc.; Salm., 10, 1, 189, 201; S. Alph., V, 4; VII, 350, v. *Idem.* Veluti si quis fer. VI immemor vescitur carne. *Et est communis sententia* (Lugo, *De Iust.*, VII, 43), et manifestam rationem continet (V. hoc §, n. 40).

(1) D. Th., 1, 80, 2. Quae, cum quis secum ipso constituit aliquid facere (v. c., stipem conferre alendis pauperibus, abstinere ludis, vino, choreis) *propositi;* cum in aliquid tendit, *intentionis* nomen subit.

(2) D. Th., 1, 5, 2 ad 2. Porro finis duplex est, *operis* et *operantis* (D. Th., 2, 2, 141, 6 ad 1). Finis operis (*intrinsecus*) est ipsamet rei, seu actionis vis, seu id ad quod opus tendit natura sua; finis operantis (*extrinsecus*) est id, in quod tendit agens: v. c., finis intrinsecus orationis est Deum honorare; extrinsecus, e. g., impetrare sanitatem. Hic multiplex esse potest, et in proximum et ultimum diducitur; proximus est quem propter seipsum prosequimur; quo, si per eum in alium contendimus, ille proximi, hic ultimi nomen subit; et sic deinceps. Verum in finibus non itur in infinitum; sed in bonum perfectum, quod est beatitudo, in qua voluntas quiescit: beatitudo autem nostra est adhaerere Deo (D. Th., *Contr. Gent.*, III, 27).

(3) Lugo, *De Sacram.*, IX, 129; Croix, IV, 1324, Velut in eo qui baptizatur adultus, cui omnes Christianorum obligationes nondum plene exploratae sunt. Nisi hoc sit aliquid extraordinarium, de quo cogitatum non sit (Ex L. 44, *De Act. Empt. et Vend.*).

(4) Boran., *De Sacram. in gen.* Ideo, e. g., sacerdos celebrans, qui habet coram se undecim hostias, si velit unam earum tantum, immo decem, consecrare, si non animo destinaverit, quam, vel quas vult consecrare, nullam consecrat (V. Rubr. Missal., *De Defect.*, VII, 1); et qui ex duobus unum absolvit, unum excommunicat, si animo et, exterius, aliqua demonstratione eos non designat, neutrum excommunicat (Salm., 10, 1, 169), neutrum absolvit.

3° *possibile.* Num igitur vere et reapse velle intelligatur is, qui scit aut putat fieri non posse id quod vult, et nihilominus facit? Quidam ex Nostris universim negant, quidam universim affirmant (5). Et si is tenet, illud natura fieri non posse, utputa, digito coelum attingere, flumen ebibere, non videtur posse id velle is qui suae mentis est: secus si iure quidem fieri non possit, facto autem et reipsa fieri aliquo modo possit, utputa baptizare in vino, ducere nuptam; quia voluntas (quae aliquid facti, non iuris est) in facto, non in iure sistit. Quoties autem aliquid voluntati (ab intellectu) proponitur, haec vel illud acceptat, vel respuit, vel, utrum acceptare debeat an respuere, haeret anceps: inde triplex actus voluntatis, *velle, nolle, et non nolle.* Nihilominus, si subtiliter inspicimus, voluntas, seu velit quid, seu nolit, seu non nolit, semper vult aliquid (6). Quod autem quis semel voluit aut noluit, illud semper deinceps velle aut nolle intelligitur, quoad retractaverit voluntatem (7), aut mortem obierit (8); quamvis interim in amentiam inciderit (9). Amplius, vo-

(5) V. Sanch., *M.,* VII, 33. Quaestio haec gravissima est: utputa, si vidua nubat, parochus baptizet, falso existimantes, illa virum adhuc vivere; hic puerum valide ab obstetrice fuisse baptizatum.

(6) Ex L. 1, § *Scientiam, De Tribut.*; D. Th., 1, 2, 6, 3; 71, 5. Veluti si, pecunia oblata ut peierent, Osius peierare velit, Caius nolit, Seius deliberet; is enim *differre* vult. Ex quo licet intelligere, actum voluntatis esse semper aliquid positivum (Salm., 10, 1, 202); et illam actuum divisionem in *commissiones* et *omissiones,* pertinere ad actiones dumtaxat externas. Sed in actionibus quoque externis, omissiones rectissime commissionis vocabulo continentur, nam *qui non facit quod facere debet, videtur facere adversus ea quae non facit* (L. 164, *De R. I.*).

(7) Ex L. 22, *De Probat.*; L. 4, *De manum. Vind.*; C. 3, *De Bapt.* Et qui ait, mutatam fuisse voluntatem, docere id debet (Cit. L. 22; L. 31, § 3. *De Usucap.*). Et haec ea voluntas est, quam Nostri *habitualem* appellant.

(8) Ex LL. 26, 27, *Mandati*; C. 5, *De Rescr.* in 6°. Quia voluntas regulariter morte finitur. Proinde, si tibi dederim nummos ut Seio credas; deinde, mortuo me, ignorans dederis, accipientis non facis (L. *Eius,* 41, § *Nam, De Reb. Credit.*). Et in his quae quis non ex sua persona vult, sed alio iure facit, voluntas, resoluto hoc iure, finitur; veluti si tutor tibi mandaverit elocare bona eius qui sub tutela ipsius est, hac finita, re integra (§ 10, *De Mandat.*; V. § 77, n. 64); si episcopus dederit tibi facultatem absolvendi a reservatis *ad suum beneplacitum*, cessat eo translato, remoto etc.

(9) Ex L. 2, § ult., *Sol. Matr.*; L. 27, *De A. P.* Ideo amens valide baptizatur (C. 3, § ult., *De Bapt.*). Et si alicui mandaveris, ut cum Seia (tuo nomine) contrahat matrimonium, et subinde in amentiam incideris, valet (Sanch. *M.*, II, XI, 12). At vero ipse, quamdiu laborat amentia, iterum velle, aut nolle non potest (L. 15, *Locati*): itaque si episcopus dederit tibi facultatem absolvendi a reservatis *per annum*, et deinceps quamdiu silentio suo pateretur, si intra annum furere coeperit, post annum prorogatio (si quid iudico) non intelligitur.

luntas non terminatur ad actum nullum (10); proinde si id quod quis fecit (v, c., matrimonium), irritum fuerit, idque ignorans fecerit, consequens est dicere, permanere priorem voluntatem (11).

134. Actus volentis aliquid dicitur *voluntarium;* id autem quod volumus, *volitum* dicitur. Voluntarium vel directum est, vel indirectum: directum est agentis; indirectum non prohibentis, in eo qui prohibere debuit et potuit (12). A voluntario distant involuntarium, et non voluntarium: *involuntarium* (contra voluntatem) appellatur, quod quis facit ignorans, non facturus si scisset; *non voluntarium,* quod ignorans quidem fecit, sed quod sciens fecisset adhuc (13). Inter involuntarium et non voluntarium tenet *voluntarium secundum quid;* et eius dicitur qui aliquod facit, sciens quidem volens, sed *ad incommodum* aliquod removendum, adeoque invitus (14).

135. Porro voluntas dicitur tum finis, tum eorum quae sunt ad finem; sed, cum *in* finem aliquem *tendit* (et maxime cum exterius tendit), intentionis nomen subit. Est autem triplex Nostris *intentio:* actualis, habitualis, virtualis; scilicet intentio sine aliqua attentione (quae est actus intellectus) ne intelligi quidem potest, nam quî possum velle quod nullatenus animadverto? Itaque intentio *actualis* est cui attentio adest continuo; ex diverso, *habitualis* cui nullatenus adest: inter utramque tenet *virtualis;* nam ea est, cui attentio primo initio tantum operis inest, et post (quia mens ad alia divertit) exsulat; ideo initio actualis est, deinceps habitualis; si tamen omnis prorsus ab ea attentio exulet, quod difficile est (15). Et actualis recte prorsus dicitur intentio, et vere est principium humani actus, et planum est; item virtualis, quippe vere ab ipsa initium capit actus, et subinde antegressae, qua coeptus fuit, intentionis velut impulsu et virtute prosequitur. At habitualis, in rebus agen-

(10) Lugo, *De Poenit.*, XXII, 52.

(11) Lugo. cit. n. 52; V. Sanch., *M.*, II, 32, 9. Quamobrem si adultus, e. c., invalide baptizatus, rebaptizetur cum dormit, valet baptisma; et quae nupsit nolens, si postea velit (dummodo vir non retractaverit suam voluntatem), illico fit matrimonium (D. Th., in 4, D. 29, Quaes. I, Art. 4, Sol. 2 ad 2. Adde C. 2, *De Coniug. servor.*).

(12) D. Th., 1, 2, 6. Velut furis, et non prohibentis furtum.

(13) V. D. Th., *De Malo*, III, 8. Puta, si venator telo petat et occidat hominem sibi vel amicissimum: vel infensissimum, feram putans. Involuntarium ex errore (*efficaci*) est, non voluntarium cum errore (concomitante).

(14) D. Th., 1, 2, 6, 6. *Voluntarium* etc.; nempe quia magis voluntarium est, quam involuntarium: ut ecce, cum nauta, saeviente pelago, deiicit merces in mari, levandae navis causa.

(15) Sanch., *Dec.*, IV, 4; Lugo, *De Sacram.*, VIII, 80; Croix, IV, 1324.

dis, ne nomen quidem intentionis meretur (16); nam quae hac intentione (exterius) fiunt, illa vi magis habitus, quam voluntatis obimus (17).

136. Voluntas proditur exterius signis (idest verbis, literis, nutibus (18); factis (19); silentio ipso (20); inde diducitur in expressam, tacitam, et praesumptam. Et illa quidem, et ista vera voluntas est; ideo eadem, regulariter, est vis utriusque (21); haec inesse creditur, sed utrum revera insit, an minus, veritas inspicienda est: *nam is qui tacet non utique fatetur, sed tamen verum est eum non negare* (22); regulariter, in favorabilibus, *qui tacet consentire videtur* (23). Cum praesumpta non est confundenda voluntas interpretativa (licet saepe promiscue penes DD., immo et in iure accipiantur); ea nempe, quam quis nec antea habuit, nec in praesens habet, quia illius obiectum nunquam subiit animo, habiturus si subiisset, aut subiret (24). Haec, uti patet, nihil est (25), ideoque nihil praestat.

(16) V. Suar., in t. 2, Tr. II, Disp. IV, Sect. 3; Salm., 20, 5, 12. In *rebus agendis;* quia in patiendis sufficit voluntas semel habita, nec retractata, ut ecce in eo qui baptizatur amens, vel dormiens (C. 3, § ult., *De Baptis.*); in eo qui duxit invitam (S. Alph., VI, 81; V. § 133, n. 11).

(17) Antoi., *De Sacram.*, cap. II, Quaest. 2. Sed habitualis melius dicitur quia non fuit retractata (Croix, *l. c.;* Spor., *De Sacram.*, n. 117.

(18) L. 21, *De Legat.*, III; L. 51, in fin., *De Action. et Oblig.*

(19) L. 2, *De Pactis;* L. 4, *Pro Socio.* Veluti si quae nupsit invita, cohabitet sciens volens (C. 21, *De Sponsal.*); si praedii, sine mandato tuo venditi (L. 5, *Rem rat. hab.*), vel a coherede (L. 12, *De Eviction.*), pretium receperis; si R. P. ordinet irregularem sciens prudens (S. Alphon., VII, 353).

(20) Ex C. 42, *De R. I.* in 6°. Utputa, si parentes pro filiis praesentibus et tacentibus contrahant sponsalia (C. 1, § 2, *De Despons.* in 6°). At vero silentium per se neque consensum arguit, neque dissensum (L. 185, *De R. I.*); sed interpretatur ex re, qua de agitur; de quo alibi.

(21) Ex LL. 2, 4, § ult., *De Pact.;* L. 15, *Locati;* Toullier, III, II, 33; Laurent, XV, 483.

(22) L. 185, *De R. I.;* C. 44, *Eod. tit.* in 6°.

(23) C. 43, *De R. I.* in 6°; ibiq. Barbo., n. 9. *Regulariter,* nam neque hoc perpetuum est (V. Reiff., in cit. C. 43, et Lugo, *De Iust.,* XXIII, 82). Quando is qui tacet, tenebatur loqui, ex ipsa taciturnitate praesumitur consensus (Lugo, *ibid.,* XXII, 257); maxime si silentio suo alterum decepit (Ex L. 26, § 1, *De Pignor. act.*): ut puta, si liber ancillam uxorem ducat, quam falso liberam existimabat, domino praesente et tacente.

(24) Croix, IV, 1324; S. Alph., VI, 15; Ex L. 97, pr., *De Solut.* Velut in infideli indolis bonae, voluntas recipiendi baptismum, si christianam religionem nosset; si forte baptizatus fuerit cum dormiebat (Lugo, *De Sacram.*, IX, 129); vel in homine divitiarum cupido, voluntas surripiendi thesaurum quod latet in fundo alieno, si sciret.

(25) L. 16, § 3, *De testam. tut.;* S. Alph., VII, 275. Nullus heic motus in finem.

Nemo igitur velle, aut voluisse intelligitur id, de quo antea nunquam cogitavit, et in praesens non cogitat, eo quia, si cogitasset aut cogitaret, vellet profecto aut voluisset (26); nec, si (errore lapsus) aliquid vult, aut non vult, illud nolle, hoc velle tenendum est, quia, si sciret, alterum certe noluisset, alterum voluisset omnino (27). Solum cum agitur de moderando iuris rigore sine damno alterius, voluntatis quoque interpretativae rationem habere aequum est, et habetur a Nostris et Canonistis, ut suis locis videbimus.

(26) Ex L. 19, § 2, *De Donat.;* Cit. L. 16, § 3, *De Testam. tut.;* Suar, *De Relig.*, To. III, Lib. VII, Cap. 2.

(27) Vasq., 1, 2, D. 126, n. 9; Sanch., *M.*, IX, 32, 26. Sive agatur de validitate actus, sive de honestate actionis, sive de poenis irrogandis. Quocirca, 1° irritum, v. c., non est matrimonium, quod quis contraxit cum Seia, quam falso putavit virginem, alias non ducturus omnino; nec, ex diverso, est ratum, quod iniit cum Osia, quam Seiam, aut liberam credidit, ducturus nihilominus libentissime, si sciret esse Caiam vel ancillam. Nec valet matrimonium, cui sacerdos interfuit sine parochi licentia; contra, valet ordo collatus indignissimo, licet, si scirent, parochus licentiam certissime daturus fuisset, episc. certissime non fuisset ordinem collaturus. 2° Non peccat is qui accedit ad non suam, suam putans, accessurus quoque si sciret esse alienam (D. Th., *De Malo*, III, 8); et contra a fornicatione non excusatur qui commiscet filiae, ancillam putans; etsi filiam cognoscere exhorruisset. Proinde ei, qui detinet b. fide rem alienam, non est absolutio deneganda, si ideo confessarius ei non manifestat, eam a se iniuste possideri, quia certissime non restitueret. 3° Nec poenas furti incurrit, qui aufert rem alienam, suam putans, ablaturus etsi sciret alienam; et contra, non eximitur excommunicationi, qui percutit clericum sibi ignotum, non percussurus si scisset, necessarium suum esse. Itaque cavendum est ab ea regula, quam nonnulli tuentur: Nihil agere eum qui rem irritam vel illicitam facit ignorans, quia non praesumitur eum facere velle quod valide, aut licite fieri non potest: v. c., invalide episcopum conferre beneficium irregulari, si ignorat eum esse irregularem (Dicastillus).

Dices: infidelis, qui cupit religioni Christianae nomen dare, valide baptizatur dormiens, vel amens, licet baptismus quid sit nec audierit (Lugo, *De Sacram.*, IX, 130). Ita porro, sed virtualis et implicita voluntas heic inest (§ 135, n. 16).

Dices: iterum: si sacerdos celebraturus statuat particulas consecrare, et, post consecrationem factam, animadvertat eas extra corporale positas esse, illas non consecrasse *communis et probabilior* sententia est (S. Alph., VI, 217) ex praesumpta intentione celebrantis, nempe quia consecrari sine peccato letali non potuissent. Ita porro, si huic aliquando certum fuit, nolle se quidquam facere in missa celebranda, quod sine peccato mortali fieri non potest: alias dicendum foret, nec eum consecrare, qui ignorans celebrat cum calice non consecrato, vel corporali non benedicto (Baller., ad Gury, II, 283; V. Reuth., P. IV, 155).

A voluntate differunt desiderium et complacentia. Scilicet voluntas dicitur eius rei, quam quis perficere constituit; *desiderium* eius, quam perficere aut nullatenus, aut modo non vult (v. c., uxorem ducere), aut sibi prout expedit, aut ipse non potest, non si hydropicus frigidam aveat, vel agricola pluviam exoptet; *complacentia* eius rei, in qua delectatur, quin illam desideret.

ART. III. *De Libertate.*

137. Libertas (naturalis) est *potestas sui actus.* Duplex est: interna, et externa. *Interna (liberum arbitrium; libertas indifferentiae)* definitur: *Vis electiva mediorum* (1). Inest autem haec *vis* intellectu (ratione) tamquam causa, et voluntate tamquam subiecto (2). Dicitur *electiva mediorum*, quia finis, qua est finis, non est electio; et finis ultimi nec potest esse, quia finis huiusmodi est bonun in genere, et bonum omne animal necessario appetit (3). Porro eligere est: ex duobus terminis alterutrum optare; hi autem vel contradictorii sunt, vel diversi, vel contrarii: inde libertas *contradictionis* (seu *exercitii), specificationis,* et *contrarietatis* (4). Libertas externa est potestas physica peragendi exterius quod lubet, positis omnibus ad agendum praerequisitis (5). Ex his autem, libertas tantum interna pertinet ad principia humanorum actuum. Hac nos praeditos esse, et fide (6) et suo intimo cuique sensu compertum est. Per hanc autem homo est suorum actuum dominus; et ex ea omnis *moralitas* actuum initium et statum capit, et ea quae quis facit, merito vel demerito tribui possunt (7).

(1) D. Th., 1, 83, 4. *Arbitrium*, idest iudicium (LL. 77, 78, *Pro socio*), quia ratio est causa libertatis (D. Th., 1, 2, 17, 1 ad 2).

(2) D. Th., 1, 2, 13, 1. Scilicet nemo potest ex duobus vel pluribus unum eligere, nisi alterum cum altero *componat,* et alterum alteri *praeferat*; quorum primum intellectus, voluntas alterum praestat.

(3) D. Th., 1, 2, 13, 3.

(4) Antoi., Cap. 2, Art. 1. Utputa, legere vel non legere, legere aut scribere, amare aut odisse. Verum haec posterior est magis defectus seu vitium perfectae libertatis: (Leo PP. XIII, Encycl. *Libertas*, v. *Libertas*, 20 Iunii 1888). Scilicet libertas voluntate et ratione nititur: atqui voluntatis obiectum est bonum; bonum vero, nisi quod rectae rationi congruit, nullum est; posse igitur malum eligere non virtus est, sed imperfectio libertatis. Ideo libertas ab Angelico definitur: *Vis electiva mediorum, servato, non praetermisso, ordine finis.* Inest autem imperfectioni humanae naturae defectus huiusmodi, quia saepe aut intellectus decipitur specie veri, aut ab appetitu voluntas abripitur specie boni.

(5) V. Laym., Cap. II. V. c., ad scribendum, carta, calamo, atramento. Praeter has est alia libertas, quae *moralis* nuncupatur, idest, *naturalis facultas eius, quod cuique facere libet, nisi quod iure prohibetur* (L. 4, *De Stat. homin.*). Scilicet quae lege aliqua prohibentur, *ea nec facere nos posse credendum est* (L. 15, *De Condit. Instit.;* V. § 23, n. 5). Duplicem hanc libertatem *moralem* et *naturalem* belle distinguit Leo XIII, *loc. cit.*

(6) *Eccli.*, XV, 15; XXXI, 10; I *Corinth.;* VII, 37; Trid., VI. Can. 5.

(7) S. Hieron., *Contr. Iovin.* Diu hic olim inter catholicos et haereticos certatum est. Lutherus (ratus humanam naturam peccato originali radicitus fuisse corruptam) sustulit liberum arbitrium, nec idcirco actio-

138. Libertas interna, seu usus liberi arbitrii, nemini extorqueri potest (7 bis), quia *nemo potest velle nolens velle* (8): inde vulgatum illud: *Voluntas in suis actibus internis cogi nequit;* nisi forte per accidens, praepedito, scilicet, rationis usu, perturbatis internis viribus sensitivis, v. c., per vehementem passionem (9), vel per amentiam (10). Libertas externa aufertur *vi. Vis est maioris rei impetus qui repelli non potest* (11). Duobus igitur opus est, ut vis facta dicatur: ut illata fuerit ab extrinseco, utque ei resisti nequiverit. Denique utramque libertatem labefactat metus, qui est: *Instantis vel futuri periculi causa, mentis trepidatio* (12). Est gravis, aut levis. *Gravis*, si grave aut periculum sit (gravis *absolute*), aut trepidatio mentis (gravis *relative*): ille metitur ex damno quod imminet (13),

num humanarum meritum sustulit. Luthero damnato (Trid., VI, Can. 5), Baius, de grege Lutheri, libertatem cum voluntate permiscuit: scilicet ut impune docere posset, libere fieri quidquid voluntarie fit, ideoque poena, vel praemio dignum. Baio quoque (a S. Pio V et Greg. XIII) damnato, Iansenius Baii discipulus, libertatem a voluntate discrevit; sed libertatem in internam et externam dispescens, docuit, in statu naturae lapsae ad merendum vel demerendum sufficere libertatem externam. Iansenio quoque damnato (ab Innocen. XI), Iansenistae dispertientes libertatem internam in libertatem in causa, et libertatem in actu, docebant, hanc posteriorem nos amisisse per Adae peccatum, atque ideo ea nos destitui (perinde ac is qui se inebriavit sciens volens) culpa nostra; atque id satis esse aiebant, ad merendum vel demerendum (prout ebrio), libertatem in causa. Et hi quoque ab Alex. VIII damnati sunt.

(7 bis) Ne a daemone quidem (D. Th., QQ. DD. *De Malo*, q. 3, art. 3 ad 9).

(8) V. S. Ansel., *De Lib. Arbitr.*, Cap. VI. Huic tamen libertati refragatur *necessitas naturae*; quae est *determinatio naturae ad unum.* Verum hoc unum est bonum in genere, et praeterea nihil aliud. Ideo necessitas naturae actus humanos, qui de particularibus sunt, ne attingere quidem potest; quocirca eam praeterii.

(9) D. Th., 1, 2, 77, 2 ad 2. Ut vehemens odium, amor.

(10) D. Th., in 3, Disp. 25, Art. 2 ad 7. At non per eam quam hodie lypemaniam vocant (§ 31, n. 18); nam ubicumque est intellectus, est liberum arbitrium (D. Th., 1, 59, 3). Huic accedit aliud Neotericorum commentum longe perniciosius: *de vi* (interna) *cui* (in criminibus perpetrandis) *resisti non potest.* Et oratores delecti legibus ferendis ei, penes nos, iam suffragati sunt (*Progetto del nuovo Cod. Penale*, Art. 47).

(11) L. 2, *Quod met. cau.* Nostri: *Quod est a principio extrinseco, repugnante eo qui vim patitur.* Quocirca distinctio in vim, seu coactionem *perfectam*, cui non potuit, et *imperfectam*, cui potuit resisti, absona est.

(12) L. 1, § 1, *Quod met. cau.*

(13) L. 6, *Eod.*; CC. 4, 6, *De his quae vi* in 6°. Puta, iacturam magnae rei, etsi dives sit (Pont., *M.*, IV, 4, 9; Sanch., *M.*, IV, 5, 24); infamiam (Sanch., n. 13), etc. Seu potius, metus gravis est metus maioris malitatis (L. 5, *Eodem*). Sed ut periculum *grave* dici possit, necesse praeterea est, ut sit *proximum* (Ex L. 8, pr., *Eodem*), quia remota plerumque carent exitu; et ut *probabile* sit (Ex L. 7, § 3, *Ad L. Iul. Maiestat.*); nec ex iactatio-

hic ex affectione metum passi (14). Inde patet, quid sit *levis*. Metus dicitur *ab intrinseco*, cum res ipsa metum facit: *ab extrinseco* cum alius infert metum ad consensum extorquendum (15). Metus ab extrinseco potest esse iustus, et iniustus. *Iustus* dicitur, cum infertur ex iusta causa, et servato iuris ordine; *iniustus*, cum infertur vel ex causa iniusta (iniustus quoad substantiam), vel non servato (iniustus quoad modum) ordine iuris (16). Itaque metus ne-

nibus aestimari debet (L. 9, C. *De his quae vi*). Illud non interest, quis metum fecerit; utrum nempe is qui extorquere a te aliquid vult, an alius (L. 14, § 3, *Quod met. cau.*); nec quomodo sit factus, puta si latro a viatore crumenam roget blandis et suavibus verbis (V. Sanch., nn. 12, 13); latro rogat: nec utrum tu metueris tibi, an carissimis tuis (L. 8, § ult. *Eod.*).

(14) L. 3, *Ex quib. caus. maior*. Idest, ex cuiusque indole, aetate, sexu, valetitudine, etc. In foro interno eadem est vis utriusque (Moli., II, 267; Less., II, 17, 46. Laym., *De Pact.*, VI, 4; Lugo *De Iust.*, XXII, 135; S. Alph, VI, 844, q. 3). In externo, metus levis (idest mali non gravis) nulla excusatio est (LL. 6, 7, 8, *Quod met. cau.*); quia nemo praesumitur compulsus hoc metu.

(15) Sanch., *M.*, IV, 12; Laym., VI, 3. *Ab intrinseco*, veluti si nauta metuat naufragium, aegrotus mortem (C. 17, *De Regul.*), reus poenam (L. 21, pr., *Quod met. cau.*), viator latronum incursus (Sanch., n. 2). *Ab extrinseco*, utputa si quis, stricto ense, me cogat.

(16) L. 13, § *Eod.* Brevius: *iustus metus est, quando minamur malum quod iuste inferre possumus* (Less. II, 17, 41; Lugo, *De Iustit.*, XXII, 151). Quamobrem si Titius, v. c., cogat Seium officio iudicis, filiam, quam vi superavit, dotare aut ducere, *iustus* metus erit; sin *ipse* minis eum cogit, ut aut nubat aut dotet, erit *iniustus quoad modum*; sin ut ducat, erit *quoad substantiam* iniustus.

Est et *metus reverentialis* (V. Sanch., *M.*, Lib. IV, Cap. VI). Et ille dicitur, quem auctoritate sui facit is, in cuius potestate sumus: puta, praelatus, dominus, pater, maritus, tutor, (Ex L. 22, *De Rit. Nupt.*; Pont., *M.*, Lib. IV, Cap. 5; Salm., 9, 9, 34; S. Alph., VI, 1056). Definitur: Futuri mali existimatio, quod ab his metuimus, in quorum potestate sumus (Pont., n. 1.; Salm. *l. c.*). Et ab ingenio et moribus eius metiri cum primis debet (Less., II, 17, 35; Pont., n. 4). Nec eius est qui fecit ut morem eius gereret, si non fecit invitus (Lugo, n. 150). Hunc nonnulli esse putant eius, qui solam domini, patris, etc. offensam veretur; alii, contra, eius, qui ab eo metuit aliquid grave, v. c. exheredationem, expulsionem, etc. Neutrum plane: non primum, quia metus sine periculo alicuius damni non intelligitur (L. 6, C. *De his quae vi*; Pont., n. 3), non alterum, quia ubi tam grave damnum impendit, timor gravis *simpliciter* dicendus est. Itaque timor reverentialis dicitur, cum aliquis patris, domini, etc. indignationem (quae profecto malum est) metuit, licet absint (quod tamen limitat Sanch., *M.*, IV, VI, 7, 11, 12, 13, 14) verbera, aut minae. Quae si gravis et diuturna futura sit, malum grave, ideoque et metus gravis. non immerito existimabitur (Sanch., cit. n. 14; Pont., n. 6; Navarr.; Salm., 9, 9, 34; Reiff., III, 31, 115). Et, ut generaliter dixerim, quod quis revera fecit coactus *paterno imperio* (Ex C. *Puella*, 8 q. 5), aut *nimia reverentia* (L 1, § 6, *Quar. rerum*; V. Sanch., n. 16), timore reverentiali fecisse dicendus est.

que externam libertatem aufert, quod planum est, neque internam, quia quisquis aliquid facit, si facit, voluntate facit (17); sed eam aliquatenus debilitat; ideoque nec voluntarium est quod facimus compulsi metu gravi et iniusto, nec involuntarium; sed *voluntarium secundum quid* (18).

139. At vero liberum arbitrium non est alia a voluntate potentia, sed utrumque una potentia est (19). Eique subsunt appetitus (*Genes.*, IV, 7); et (sed non per omnia) intellectus: scilicet intellectus est apprehendere et iudicare; primum voluntati nullatenus subest, alterum non subest in his, quae ei apparent manifesta, in ceteris subest (20). Haec igitur sunt principia humanorum actuum: appetitus, intellectus, voluntas; sed in primis voluntas, a qua omnis actus humanus initium capit tamquam a primo movente (21). Cui praeterea obtemperant, in actionibus exterius exequendis, corporis membra; quibus proinde voluntas utitur, non quasi principiis, sed quasi instrumentis.

140. Hucusque de principiis actuum humanorum proximis, quae dicuntur *potentiae.* Age nunc, *potentiae se habent ad multa;* uti autem possint determinare se ad unum, et in *actus* prodire, necessariae eis sunt speciales propensiones, quas vocant *habitus* (22). Est igitur habitus — *quaedam animi dispositio, qua aliquid agitur cum opus est.* Et vel a natura sunt, ut miseratio; vel a nobismetipsis, repetitis actibus, comparati, ut scientiae: inde sunt vel *naturales, vel acquisiti.* Insunt vel intellectui, ut scientia; vel voluntati, ut miseratio; immo et appetitui insunt, seu concupiscibili, ut temperantia; seu irascibili, ut fortitudo. Priores *intellectuales,* ceteri *morales* nuncupantur (23). Porro eadem potentia se habet et ad bonum, et ad malum: ideo naturales habitus quidam ad bonum, quidam ad malum, quidam nec ad bonum nec ad malum inclinant (24). Ex illis initium capiunt *virtutes*, ceu pudor, castitas; ex istis *vitia*,

(17) S. August., *De Spir. et Lit.*, Cap. 21.

(18) D. Th., 1, 2, 6, 6; L. 21, § 3, *Quod met. cau.*; L. 22, *De Rit. Nupt.* Proinde is, v. c., *qui terroribus atque suppliciis attraitur* ad recipiendum baptisma, si ad haec vitanda *vult* illud suscipere, *et suscipit characterem, et cogendus est ad observantiam fidei christianae* (C. 3, § *Item, De Baptis.*).

(19) D. Th., 1, 83, 4. *Seu potius ipsa voluntas est, quatenus in agendo habet delectus facultatem* (Leo XIII, cit. Encycl. *Libertas,* v. *Libertas itaque*).

(20) V *Roman.,* VII, 19; D. Th., 1, 2, 17, aa. 6, 7.

(21) D. Th., 1, 2, 9, 1. Memoria potentia quidem est, sed non pertinet ad principia actuum humanorum, quia nihil facit, sed facta servat, repetit.

(22) D. Th., 1, 2, 49, 4 et ad 3.

(23) D. Th., 1, 1, 20, aa. 3, 4, 5.

(24) D. Th., 1, 2, 54, 3.

prout invidia, avaritia: hi demum, ut amor, odium, ira, ex obiecto (quando voluntarie eis obsequimur) sunt vel boni, vel mali; ac proinde vel in virtutes desinunt, vel in vitia (25). Ceterum Nostri, quoties *habitus* simpliciter dicunt, *acquisitos* intelligunt: uti, et nos; quod velim ne excidat. Qui cum animo semel insederint, *quodammodo vertuntur*, ait Angelicus, *in naturam* (26).

CAPUT II.

DE MORALITATE ACTUUM HUMANORUM.

ART. I. *Quinam dicendi sint actus humani.*

141. Actuum qui a nobis fiunt, duplex genus est; quidam sine electione, quidam ex electione fiunt: ILLI hominis, sed non totius hominis sunt; sive ex sola natura animali profluant, ut subita cupido, subitus pavor, subita ira; sive prodeant ex natura rationali, ut primus alicuius veritatis intuitus, vel amor felicitatis in genere: HI hominis sunt qua plane homo est, idest suae mentis, suique arbitrii; velut orare, meditari, contractus inire. Illi proinde *actus hominis*, hi *actus humani* dici solent (1). Est igitur actus humanus: *Quod procedit a principio intrinseco scienter ac libere.*

142. Uti igitur actus humanus dici possit, ante omnia necesse est, ut quis sit compos mentis: in infante, amente, ebrio, dormiente, si quid fecerint, actus humanus ne intelligi quidem potest (2). Eius autem, qui *compos* mentis est, actus, ut humanus

(25) Azor., P. I, Lib. 3, Cap. 18, Quae. 5.

(26) D. Th., 1, 2, 58, 1. Praeterii habitus quos vocant *infusos*, ut fides, spes, caritas; primo, quia sunt *divinae* (cuius consortes facti sumus) *naturae* velut potentiae; deinde, quia valent ad bonum dumtaxat faciendum, et ideo extra definitionem sunt (V. Lugo, *De Fide*, XVII, 51).

(1) D. Th., 1, 2, 1; Azor., Par. I, Cap. 1, Quae. 2. Dicitur quoque actus *moralis*, quia solus ad mores pertinet; *liberum*, quia libero arbitrio fit; ac demum *voluntarium*. Sed voluntarium latius patet: nam latissima significatione idem est quod *spontaneum*, et ideo et brutis, et beatis, et hominibus convenit; lata idem est ac *necessarium*, et competit beatis, et hominibus: stricta demum atque usitata apud Nostros significatione, idem est ac *liberum*, et regulariter solius hominis proprium est. Dicitur autem actus non *actio*, quia illum inspicimus in suo principio intrinseco; qui, cum exterius prodit, *actionis* nomen subit. Sed hoc non est perpetuum; nam ea quibus aliquod negocium agitur, quod iuris effectum habet (velut professio religiosa, matrimonium, contractus, testamentum), *actus*, non actiones dici solent. Quod velim ne excidat.

(2) Ex Clem., Un., *De Homic.* Itaque si, v. c., furiosus vel somnambulus intersit sacro, recitet horas Canonicas, baptizet, contrahat, nihil agit (Sot., II, III, 9; Alas., *De Legib.*, IV, VII, I); licet is se haec

dici possit, necesse est, ut procedat a principio intrinseco, ut scienter, ut libere. Et primo ut procedat a *principio intrinseco;* nam quod est ab extrinseco, ab alio est; atque ideo non est actio, sed passio (3): principium huiusmodi est voluntas. Verum in suis actibus perficiendis voluntas plerumque utitur appetitu, plerumque intellectu: idcirco voluntarium dicitur etiam quidquid, voluntate movente aut probante, appetitus avet, intellectus meditatur, iudicat. Et hi actus quos voluntas per se perficit, ut ecce diligere, odisse, *eliciti;* quos ope appetitus vel intellectus, ut irasci, concupiscere, meditari, credere, *imperati* dici solent.

143. Deinde ut *scienter,* quia *nil volitum quin praecognitum:* atque ideo non aliter volitum quam praecognitum; et eatenus tantum quatenus praecognitum fuit; quia voluntas fertur in suum obiectum secundum quod a ratione *proponitur*(4). Idcirco opus est, ut agens sciat quid agat et materialiter et formaliter; idest, et quoad factum, et quoad legem (5). Nulla igitur voluntas, nullum voluntarium est eius, qui id quod agit nescit; sed aut *involuntarium,* si ignorantia ipsius (vel error) efficax est, aut *non voluntarium,* si est concomitans (§§ 132, 134). Verum opus non est, ut id quos quis facit, sibi exploratum sit plene, et citra omnem dubitationem. *Plene;* nam si animadvertit *in confuso* (idest, non undequaque distincte) quid agat, quodcumque illud sit, velle intelligitur (6). *Citra etc.,* quia dubium ad intellectum, non ad voluntatem, pertinet; immo is qui (gravi-

facturum praeviderit, immo voluerit facere. Nam neque tunc valent, cum ea vult, quia non facit; neque cum facit, quia non vult (Suar., *De Voto,* 1, 10, 8; Sanch., *M.,* 1, 8, 20; Laym., *De Voto,* 1, 4). Dices: atqui, si is secum constituat; *si somnambulus hoc, vel illud vovero, volo votum valere,* et dormiens voverit, obligatur (Suar.). Ita porro, sed quia sui compos vovit sub hac quasi conditione casuali, *si dormiens vovero;* atque ideo, impleta conditione, non ex praesenti voto, sed ex praecedenti voluntate obligatur.

(3) L. 7, § *Proinde, Ad L. Aquil.*

(4) De Th., 1, 2, 19, aa. 5, 10.

(5) V. Sanch., *Dec.,* I, 16, 21. Hac re, v. g., eius qui die esuriali comedit carnes, sive ignoret carnes esse quas comedit, sive diem esurialem esse, voluntarium (morale) non intelligitur. Scilicet is errat in una praemissarum (V. § 18, n. 1).

(6) Ex L. 18, § *Si iniuria, De Iniur.;* Sporer, *De Sacram.,* I, nn. 103, 104; § 133, n. 3. - V. c., is qui suscipit subdiaconatum vel regulare institutum profitetur, ignorans eis adnexam perpetuae castitatis legem (Croix, IV, 1324); obstetrix quae, ignara fidei nostrae, pueri mox editi vita periclantis caput abluit his verbis: *Ego te baptizo,* etc., volens id facere quod christianas obstetrices in eo rerum discrimine alias fecisse vidit, vere baptizat (S. Alph., VI, 22, in fi.). Dummodo hoc non sit aliquid extraordinarium prorsus, de quo cogitatum non fuerit (cit. §. 133, n. 3): ut ecce, si haec obstetrix ea ablutione nil sacri inesse suspicetur, sed medicinam putet.

ter) dubitat, ne forte errans aliud faciat, et nihilominus facit, is utrumque velle intelligitur, et id quod facere vult, et hoc *voluntarium explicitum;* et id quod se facere dubitat, si est aliquid pravum aut noxium (nam licita nisi vera et positiva voluntate non fiunt), et hoc *voluntarium implicitum* (seu potius *virtuale* vel *in causa*) dici solet (7), eique imputabitur, etsi illud expresse noluerit (8). Quid, si ex duobus sibi cohaerentibus, quasi causa et effectus, unum velit, alterum nolit? Et si id vult quod causae vim et rationem habet, perinde habebitur ac si velit utrumque, quia *is qui vult quod antecedit, non potest nolle quod sequitur* (9): quorum proinde alterum voluntarium *in se,* alterum *in causa* (de quo infra) dici solet; sed non contra, et planum est.

144. Denique ut *libere,* idest *libero arbitrio.* Scilicet, actus creaturae rationalis potest fieri vel ex necessitate naturae (*voluntarium*), vel libero prorsus arbitrio (*liberum*), vel libero quidem arbitrio, sed ex necessitate aliquid deterius avertendi (*voluntarium simpliciter et involuntarium secundum quid*). Uti igitur sit actus humanus et moralis, atque ideo ut vitio ac demerito verti possit, necesse est, et sufficit, ut libere fiat. *Necesse est,* quia *homo ab aliis irrationalibus creaturis distat in hoc, quod est suorum actuum dominus* (10): *ideo ibi incipit genus morum, ubi dominium voluntatis invenitur* (11). *Sufficit,* nam qui, ut unum caveat, alterum eligit, hoc *mavult* (§ 148, n. 30). Ceterum, nihil est in singularibus actibus, quod homo, si voluntate faciat, non libere faciat: hac re cum

(7) Veluti si quis verberet, aut promoveat ad ordines clericum quem putat esse Petrum, dubitans ne sit Paulus; is intelligitur velle eum verberare, sive Petrus sit, sive Paulus; at non intelligitur velle eum ordinare. Ad haec V. § 142, n. 2.

(8) D. Th., Quodl. IX, 15, O. 5. Ut puta, si venator telum iaciat in eam quam feram putat, dubitans ne forte sit homo; aut comedat carnes, anceps, ne forte sit dies esurialis (Croix, VII, 314; S. Alph., VII, 275).

(9) Sanch., *M.,* VII, 58, 4. Veluti, si duo christiani, matrimonium coeuntes, contractum inire velint, sacramentum facere nolint; vel si quis velit infantem e sacro fonte suscipere, sed nolit cognationem spiritualem contrahere. Nisi forte eis statutum sit, nolle alias, vel aliter, contrahere matrimonium, patrini munus obire (Sanch., *l. c.;* V. Suar., *De Censur.,* 44, 1, a. n. 1).

(10) D. Th., 1, 2, 1, 1.

(11) D. Th., *l.* c. Et *idem sunt actus morales, et actus humani* (D. Th., 1, 2, 1, 3).

V. D. Th., QQ. DD., *De Malo,* quaest. 3, art. 3. Ceterum, *intellectus et voluntas ex necessitate tendit in id, ad quod naturaliter ordinatur* (verum et bonum); unde intellectus necessario assentit principiis primis naturaliter notis, et voluntas naturaliter vult et ex necessitate beatitudinem, nec enim potest aliquis velle miseriam (*Ibid.,* in corp.) T. XV, p. m. 69.

de actibus humanis agitur, voluntarium ac liberum idem sunt, et idem significant.

145. Praeterea, quoties actus internus prodit in actionem externam, ex utroque *una* actio coalescit, cuius interior veluti formalis, exterior veluti materialis pars est (12). Sed ut actio exterior humana dici possit, necesse est ut ipsa quoque a principio intrinseco, idest ab intentione procedat. Non actuali quidem, quia nemo eam habet in sua potestate, exceptis his actionibus quae ope intellectus perficiuntur (ut ecce in Confessario qui poenitentem, vel Iudice qui testem audit, quippe animadvertendo fiunt); neque habituali, quae nec intentio dici potest; sed virtuali (13). Sed quaeri potest, quid iuris sit, si quis quod exterius facit, intus in corde suo facere nolit; idest, is aliter velit, aliter faciat? Porro duplex est actionum exteriorum genus: unum earum, quae ex intentione facientis statum capiunt, alterum earum, quae natura et vi propria constant; illae magis animi sunt, hae magis facti: itaque illae ex facientis intentione, hae ex seipsis aestimantur; proinde in illis, si desit intentio, non actio intelligitur, sed simulatio; has si quis facit, licet invitus, voluntate facit (14).

146. Inter actus autem internos et actiones externas plurimum distat. Nam solae actiones externae homines attingunt; et ex his tantum initium capiunt obligationes quoad societatem civilem, quoad Ecclesiam, quoad singulos: et huc pertinet vulgatum illud: *Voluntas in mente retenta nihil operatur aut mutat* (15). Actio autem tunc

(12) D. Th., 1, 2, 18, 6; 20, 3. Ab actione externa differt *effectus*, qui proinde cum ea confundendus non est; velut ex impacto pugione vulnus, ex hausto veneno nex (Lugo, *De Poenit.*, XVI, 437; S. Alph., VII, 366).

(13) D. Th., 3, 64, 8 ad 3; Lugo, *De Sacram.*, VIII, 74. Ideo erit actio humana, quamvis agens animo voluntarie distrahatur; v. c., dum absolvit, baptizat, consecrat, ungit aegrotum, contrahit etc. (S. Alph., IV, 177, v. *Ratio 3ª;* VI, 14). Dixi *ut actio:* nam in eo qui non agit, sed patitur, v. c., baptizatur, absolvitur, satis est intentio habitualis (V. § 135, n. 16).

(14) Sot., V, IX, 2, v. *Ad quaestionem.* Prioris generis sunt administratio sacramentorum, omnes actus legitimi (Lugo, *De Sacr.*, VIII, 18); verba (D. Th., 2, 2, 72, 2; 76, 3), nempe quae pertinent ad prodendam animi nostri voluntatem (V. Salm. 20, 10, 27; 25, 2, 30); et actus qui solius signi vim habent (Sanch., *D.*, II, 37, 22): et in his valet regula: *Actus agentium non operantur ultra intentionem eorum.* Posterioris delicta omnia, velut homicidia, furta, detractiones; turpia verba, et id genus cetera. Quamobrem si quis, v. c., metu mortis, exterius tantum adoret idolum, aut fidem neget, nec idolatria, nec haeresis intelligitur (V. Suar., *De Relig.*, To. II, Tr. III, Lib. II, Cap. IV, n. 8). At ridiculum esset, impacta a te mihi alapa, velle excusari, quod non animo laedendi feceris.

(15) Ex L. 62, § *Locator horrei, Locati;* ibiq. Bartol.; Sanch., *M.*, I, 18, 2.

externa dicitur, cum ita prodiit exterius, ut si quis praesens esset, oculis, auribus animadverti, percipi potuisset (16). Quamobrem in his quae signis (verbis, scripto, nutibus) manifestantur, necesse est, ut signa demonstrent voluntatem dicentis (alias quî signa?): atque ideo pro non dicto erit, si quis vel aliud *volens*, aliud errans dixerit (17); vel non integrum animi sui sensum prodiderit (18); vel adeo obscure, ut interpretatione explicari non possit (19).

147. Porro intellectui obest error, libertati vis et metus; utrique concupiscentia et habitus; quae idcirco *impedimenta voluntarii* dici solent. Error, quia *nulla voluntas errantis est* (20), nempe quod ad illud in quo errat (21); ideoque refert, utrum circa substantiam erraverit, an circa accessoria. Si circa substantiam, nihil agit; sive facti error fuerit, sive iuris (22); et concomitans (23) et resupi-

(16) Ex Bened. XIV, C. *Pastor bonus;* Lugo, *De Fide,* XXIII, 9; Croix, VII, 48. Verum, quoad verba, si quis ea proferat voce adeo submissa, ut ne ipse quidem ea valeat audire, utrum proinde habendum sit ac si prolata non fuerint, non satis convenit (V. S. Alph., VI, 414). Illud non interest, utrum, si aliquis praesens sit, actionem perceperit, animadverterit (S. Alph., VII, 305): nam etsi nemo praesens fuerit, non actio externa deerit, sed probatio.

(17) V. L. 7, *De Supell. Leg.;* V. Sanch., *M.,* Lib. I, Disp. 18. Quamobrem si quis, volens absolvere a censuris, dicat: *Ego te absolvo a* PECCATIS *tuis;* nec a peccatis absolvit, quia id non vult; nec a censuris, quia id non dicit (Ex L. 3, *De Reb. Dub.*). Verba autem sic accipienda sunt, uti sonant (C. 7, *De Sponsal.*). Proinde, si volens matrim. contrahere, dicas Caiae: *Ducam te;* nec sponsalia intelliguntur, nec matrimonium. In aequivoca tantum locutione verba intelligenda sunt iuxta mentem proferentis (C. 15, *De V. S.*); quia *in ambiguo sermone, non utrumque dicimus, sed id quod volumus* (L. 3, *De Reb. dub*); puta, si in pane consecrando dicas: HIC *est corpus meum.*

(18) LL. 25, 29, *De Testam.;* Lugo, *De Poenit.,* XIII, 19. Proinde si dixeris, v. c. *fabella est,* intelligens Christum de Virgine natum; vel *fur est,* nec expresseris quis; vel *tibi promitto,* nec addideris quid, neque haeresis externa, neque detractio, neque promissio intelligitur (V. Lugo, n. 22; *De Fide,* XXIII, 18; S. Alph., VII, 34; Salm., 10, 1, 62).

(19) Ex L. 9, § 1, C. *De Legib.* Quamobrem si, v. c., aliquid haereticum scripseris characteribus a te confictis, tibique *uni* notis, haeresis externa non intelligitur (Lugo, *De Fide,* XXIII, 13).

(20) L. 15, *De Iurisdict.;* L. 117, *De R. I.* Nempe si nihil dubitat (§ 143, n. 7).

(21) Donell., IV, XVI, 4; V. D. Th., *Suppl.,* 51, 2; Sanch., M., VII, 19, 18.

(22) L. 9, *De C. E.;* V. Lugo, *De Iustit.* XXII, a n. 67. Veluti quis clericum verberet laicum putans, is iniuriae, non sacrilegii, reus erit (C. 4, *De S. E.*). Et qui suscipit hypodiaconatum, ignorans invincibiliter ei adnexum esse coelibatum, hoc non tenetur (Croiz, VI, II, 2162; S. Alph., VI, 809), sed ordo valet.

(23) D. Th., 1, 2, 6, 8; Salm., 10, 1, 201. *Quia non potest esse actu volitum quod ignoratum est; ut puta, si aliquis* VELLET *quidem occidere hostem, sed ignorans occidit eum putans cervum* (D. Th.,

nus (24): sin circa accessoria ignorantia nihil nocet, *quia accessorium naturam sequi congruit principalis* (25). Et quando *falsa nostra existimatio rei veritatem non mutat*, si quid facit quod validum revera est, verius valet, etsi ipse irritum putet (26). Quid si agens

ib.; S. Alph., VII, 275). Nec si dicat, v. c., dum telum mittit, *occiderem si esset inimicus* (Sanch., *M.*, VII, 18, 6; Filiucc., XI, 247); vel, *utinam esset inimicus* (Laym., *De Actib. human.*, IV, 8)! Non enim voluntas quae *esset*, sed ea quae *est*, facit voluntarium; et nihil refert utrum id quod voluntarium non est, involuntarium sit, an non voluntarium. Nec si postea, errore comperto, factum probaverit, vel ratum habuerit, hoc illud mutat (Salm., *loc. cit.*). Quamobrem is qui laetatur se, pro cervo, inimicum interfecisse, peccat quidem (Laym., *l. c.*), sed non idcirco quasi homicida irregularitati, poenis, vel restitutioni fit obnoxius (Suar., *De Cens.*, 44, 3, 29; Less., II, 7, 46; Filiucc., 20, 42).

(24) Sanch., *M.*, VII, 18, 6; Schmalz., IV, 9, 29. Ut puta, si Caia nubat Osio quem Seium putat (Sanch., *M.*, VII, 19, 20), vel pro equa mulam emat; vel desidiosus confessarius, ignorans casus in sua dioecesi reservatos, ab eis imprudens absolvat (Salm., 20, 5, 10). Verum in foro externo non excusat ignorantia, quae in supinum hominem cadit (L. 6, *De Iur. et fact. ignor.), ne melioris conditionis sint stulti quam periti* (L. 4, *Quod vi*).

Idem iuris est, si non ignoret quidem, sed in praesens non animadverat (§ 132, n. 46); quia nihil potest esse hic et nunc volitum, nisi voluntati (quae non fertur in ea quae ei non apparent) scitum sit hic et nunc (V. Salm., 20, 5, 10); veluti si quis die esuriali, non recordatus esurialem diem esse, comedat carnes.

(25) C. 42, *De R. I.* in 6°. Veluti si aurum deterius pro optimo emat (L. 9, *De C. E.*), aut turpem et inopem mulierculam ducat, quam nobilem, virginem, divitem existimabat. Adde D. Th., *Suppl.* 51, 2 ad 2.

(26) V. Sanch., *M.*, II, D. 33; Pont., *M.*, IV, Cap. 23. Elegans, sed implexa, et subdifficilis haec quaestio est; et profluit ex ea quam tetigi § 133, n. 5. Finge Seium et Caiam matrimonium contrahere, falso existimantes illud, propter dirimens aliquod impedimentum, irritum infectumque esse. Quaeritur, utrum matrimonium istud ratum, an, propter errorem huiusmodi, irritum sit. Et si in iure errant, *fatentur omnes verum esse matrimonium, quia non deficit consensus* (Sanch., n. 1): ut puta, si acolythus, quia beneficio ecclesiastico potitur, existimet, se non posse valide matrimonium contrahere. Sin errant in facto, veluti si vidua nubat, falso putans virum vivere, multi et graves TT., in his Soto, Navarr., Armilla, Pontius, existimant irritum matrim. esse ob defectum voluntatis; quia non apparet, quomodo quis velle possit id, quod sibi esse impossibile putat. Alii, et graves et multi, contra putant, quorum sententiam Sanch. (n. 2) probabiliorem iudicat, et mihi est verior. Nam utrum quis velit, an minus, in facto non in iure consistit: et quis neget, matrimonium, v. g., contrahere velle qui scienter illud attentant coram magistratu civili; praesertim si sponsa in domum viri deducta fuerit, eumque eo permanserit? Sane, si voluntas non deest in eo qui errat in iure, non intelligo quomodo desit in eo, qui in facto errat. Et si deest voluntas (contrahendi) quo demum pacto Ecclesia sanat in radice matrimonia inita scienter cum impedimento dirimenti, vel coram magistratu civili? etenim radix quae sanatur, est consensus in matrim. naturaliter validus. Nec obstat L. 15, *De Acquir. Hered.*, qua nituntur con-

habeat duas intentiones contrarias, unam habitualem cuius non meminit, actualem alteram; vel utramque actualem, falso putans utramque simul consistere posse? Et profecto ea intentio praevalet quae sibi, errore comperto, potior foret (27): si nulla potior, in priori casu actualis intentio praevalet (28); in posteriori neutra, atque ideo neutrum ratum erit (29).

148. Vis et metus distant; illa enim extinguit voluntarium, hic minuit tantum (§ 138, in fin.): ideo quod quis facit compulsus vi, pro infecto est, nam patitur magis quam facit (29bis); quod metu

trariae sententiae patroni; nam pertinet ad hereditates acquirendas, in quo sunt multa singularia ex iure communi (Cf. Voet, 29, 2, nn. 13, 14). Quid quod in iure diserte cautum est, ratam esse venditionem, manumissionem, licet quis se rem alienam vendere (L. 9, § *Qui ignoravit, De Iur. et facti ignor.*), servum alienum se manumittere (L. 4, § 2, *De Manum. Vind.*) putet? Quae si vera sunt, is qui falso putat, non esse parochum contrahentium eum, qui sibi mandavit illos matrimonio coniungere, vel sibi (sacerdoti) iurisdictionem excidisse, vel indirecte rescivit sibi fuisse ademptam (§ 77, n. 60), vel non esse aquam naturalem eam quae parata est ad baptismum; et nihilominus baptizat, absolvit, interest matrimonio; valide interest, absolvit, baptizat (V. Bonaci., *De Sacram.*, Disp. I, Quae. 2, P. I, 28; Sporer, *De Matrim.*, n. 48).

(27) Ex L. 92, *De hered. instit.;* L. 26, § 2, *De Milit. test.;* Lugo, *De Sacram.*, VIII, 120; Croix, VI, 1, 69; S. Alph., III, 700, v. *Prima*; VI, 24. Ut puta, si statuas Missam cras applicare pro Seio, et postea, immemor, pro Caio applicaveris: itaque si alter eam petiit pro gratiarum actione, alter pro graviter aegroto, tenendum utique est pro aegroto fuisse applicatam, sive is prior illam petierit, sive posterior (V. S. Alphon., III, 210). Et si non appareat utra sit potior, ea potior habebitur quae magis congruit rationi, aut legi: ideo non obest matrimonio error haereticorum existimantium, matrimonia propter adulterium dissolvi posse (Ben. XIV, *De Syn.*, XIII, 22, 7). Praevalet autem potior intentio quamvis haec generalis, posterior vero specialis fuerit (S. Alph., III, 700), Quamobrem si tecum statueris, *quodcumque posthac votum emisero sine licentia confessarii, illud valere nolo,* et postea oblitus voveris aliquid, confessario inconsulto, non valet; nisi forte vovisses memor quoque (Less., II, 40, 79; S. Alph., III, 210), velut in incendio, naufragio, etc.

(28) Lugo, *De Sacram.*, VIII, 124; Croix, VI, 1, 69. Veluti, si quam missam pro Seio applicare constitueras, postea, immemor, pro Caio applicaveris, si utraque applicanda erat pro gratiarum actione.

(29) Lugo, Croix, S. Alph., *ll. cc.* Puta, si Caia velit aliquid vendere, aut nubere, sed nolit dominium rei venditae in emptorem, ius sui corporis in virum transferre (L. 80, § ult., *De C. E.*; S. Alph., VI, 833); vel ineat sponsalia, aut votum, ea intentione, ut sibi pro lubitu a facta promissione discedere integrum sit (S. Alph., III, 201, q. 2): atque hic valet reg.: *Ubi repugnantia inter se inveniuntur, neutrum ratum est* (L. 149, *De R. I.*).

(29bis) Vis nedum ab hominibus, sed, Deo permittente, etiam a daemone fieri potest sive intercipiendo membrorum exteriorum usu, v. c., mutum faciendo (V. *Matth.*, XVII, 32), sive cogendo blasphema, vel turpia loqui, ut in obsessis (S. Alph., *H. A.*, Tr. ult., n. 51): quod cum fit, nihil peccat. Sed videndum est ne

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

inductus (non quod *cum metu*, ut fur), valet naturali iure, quia *mavult* (30). Sed metus plerumque excusat a culpa, et regulariter excusat a poena; et actum, quod mihi verius (§ 138, n. 18), non irritum ipso iure, sed rescissioni obnoxium facit; nempe si fuerit iniustus (31) et gravis (32): et in foro externo *absolute* gravem esse oportet; in interno sufficit etiam *relative* gravis (33). Nihilominus nonnunquam potest voluntarium esse quod quis facit coactus vi, si non repugnavit pro viribus, nam voluit pati (34); et, contra, quod facit metu, potest esse involuntarium, si tam subito, tamque vehementer expaverit, ut mens ipsum penitus dereliquerit (35).

149. Concupiscentia aut movet voluntatem, aut ab ea movetur (§ 124, n. 8): cum movet, ita demum aufert voluntarium, si mentem penitus intercipit; quamobrem actus *primo primi* (§ 124, n. 8) aut involuntarii sunt, aut non voluntarii; *deliberati* sunt penitus voluntarii, etsi fiant in calore passionis supra modum vehementi (36). Inter utrosque tenent actus *secundo primi*, et ideo semivoluntarii *censentur* (37). Quod ad habitum attinet, quae ex habitu excidunt, voluntaria sunt, si ea animadvertis, *in se*; sin minus, voluntaria erunt *in causa*, si mente, tunc cum pravum habitum contrahebas, ea in confuso secutura praevideris; nempe quamdiu habitum (qui tua voluntate inolevit) eluere non satagis (38).

qua culpa sit in causa; ut ecce, si id praesentit, non studuit haec praecavere oratione, ieiuniis, etc. Et Deus, cuius incomprehensibilia iudicia sunt, id permittit forsan quia superbia laborabant et tumebant (S. Aug., *De Civit.*, Lib. I, Cap. 28; S. Alph., n. 52).

(30) L. 22, *De Ritu Nupt*; S. Alphon., V, XXVII. Valet, puta, si quis compulsus metu mortis recipiat baptismum (L. 3. § *Item, De Bapt.*), aut latroni iuratus promittat (CC. 8, 15, *De iureiur.*; V. § 138, n. 18); nisi receperit, promiserit simulate.

(31) L. 3, § 1, *Quod met. cau.*; Sanch., *M.*, IV, 13, 3; Pont., *M.*, IV, 19, 7. Qui metum iustum patitur, *ipse sibi infert metum* (L. 21, pr., *Eod.*),

(32) LL. 3, 6, 7, 8, *Eod.* Levis prorsus nulla excusatio est, nec in foro interno (§ 138, n. 14; Sanch., *M.*, IV, 17, a n. 2; Cf. Lugo, *De iustit.*, XXII, 138, etc).

(33) § 138, n. 14. Et iure prorsus, quia metus aestimatur immediate ex apprehensione mali imminentis, mediate ex obiecto (Sporer, *De Matr.*, n. 15). *Relative:* sed si nec relative gravis est, utrum faciat *actum* (v. c., testamentum, contractum, professionem religiosam) restitutioni obnoxium propter iniuriam, quaestionis est, de qua serius.

(34) D. Th., 1, 2, 6, 5 ad 2.

(35) Sanch., *M.*, I, 8, 5.

(36) Sanch., *M.*, I, VIII, 5; Pont., *M.*, IV, 1, 3. Contra L. 9, *De Publican.*; L. 49, *De R. I.* Nisi adeo vehemens sit passio, ut usum rationis penitus intervertat, *prout in his qui propter abundantiam amoris et irae, in insaniam convertuntur* (D. Th., 1, 2, 77, 2).

(37) S. Alph., V. XXV, 3. Ceterum actus semivoluntarii ex alliis quoque causis contingere possunt; velut ex oscitantia, ebrietate, vel dum quis evigilat.

(38) Laym., Cap. III, 6; V. Escob., To. I, Cap. 3, n. 36. Verum

150. Omnis igitur actus noster vel hominis est, vel humanus. Quid, si non appareat uter fuerit? Et quia *in dubiis id sequimur quod plerumque fieri solet* (§ 57, n. 67), in eis qui suae mentis non sunt, nempe infantibus, idiotis, amentibus (licet hi interdum sapiant), actus hominis; in ceteris, actus humanus intelligitur, quamdiu contrarium non apparureit (39). De *his* vero si dubites, utrum feceris in motibus deliberatis an minus, in deliberatis (40); si feceris ex metu, et dubites utrum gravi an levi, ex metu levi (41) fecisse regulariter tenendum est. Et, ut generalius heic dixerim (nam haec maturius nosse perutile est), quoties non satis apparet, utrum in aliquo actu obeundo defuerit aliquid ex his quae ad *actus substantiam* pertinent, utriusque iuris (42), et a Nostris receptissima (43), regula est: *In dubio omne factum praesumitur recte factum;* ideoque: *In dubio respondendum est pro valore actus* (44).

ART. II. *Unde petenda sit bonitas vel malitia actus humani.*

151. Nunc videamus unde petenda sit bonitas vel malitia actus humani. Principio igitur, ut generaliter dixerim, cuiusvis rei bonitas vel pravitas aestimatur ex fine, seu destinatione ipsius (1). Age

difficile est, ut ea quae quis ex habitu facit, aut dicit, nullatenus animadvertat (S. Alph., III, 127): potius dicendum est, nullum in habituatis remanere vestigium advertentiae; scilicet ea quae ex habitu excidunt, facile contemnimus (S. Alph., V, 4, v. *Tertio*).

(39) L. 1, C. *Ad L. Corn. De Sicar.;* Renazzi, *Elem. Iur. Crim.*, I, VIII, 6; Salm., 17, 1, 147. Itaque si, e. g., voverint qui suae mentis, et qui amens est, sed habet lucida intervalla; et postea uterque dubitet, an sui compos voverit, ille obligatur quoad constiterit non fuisse compotem sui; is, quamdiu non apparet sui compotem fuisse, non obligatur.

(40) Sanch., *M.*, I, 8, 10; Suar.; Palaus; S. Alph., III, 196.

(41) S. Alph., III, 196. Sed hoc mihi difficile est: vix enim quis commovetur metu levi; et heic manifeste exulat regula qua nitimur.

(42) L. 30, *De V. O.;* § 16, *De inutil. stipul.;* § ult., *De Fideiuss.;* ibiq. Vinn.; C. 16, *De Sent. et re iudic.*

(43) V. Navarr., 27, 287; Laym., *De Conscient.*, Cap. V, 32; Salm., *loc. cit.*

(44) S. Alph., VI, 505, 906. Seu dubium sit, utrum is qui, v. c., metu coactus aliquid fecit aut promisit, ex animo egerit, an simulate (Ex C. 26, *De Sponsalib.;* Sanch., *M.*, I, 9, 13); sive utrum facere potuisset, v. c., utrum fuerit sacerdos, vel iurisdictionem habuerit is qui absolvit; utrum suae aetatis qui testamentum fecit, vel recepit beneficium ecclesiasticum etc. Et licet reg. iuris sit: *Factum non praesumitur, nisi probetur;* nihilominus *praesumitur factum quod* de iure faciendum erat (Laym., *l. c.*, n. 30; Croix, 1, 90); v. c., in emptione et venditione rei Ecclesiae, beneplacitum apostolicum non defuisse (Croix, IV, 1366).

(1) D. Th., 2, 2, 23, 7. Vulgo dicere solemus bonos vel malos oculos, aures, cibos, aedes, enses, qui multum aut parum vident, audiunt, nutriunt, etc.

nunc; omnis omnium actionum nostrarum finis, Dei Altissimi gloria denique est (§ 67, n. 3); quae igitur actio in hunc finem tendit, *bona* est, quae ab hoc fine recedit est *mala,* quae neutrum praestat *indifferens* (2). Et quia finem prosequi est ordinem servare, ab eo recedere perturbare ordinem est, alias bonum dicitur quidquid ordinem servat, et quidquid illum perturbat dicitur malum; quod neque servat, neque perturbat indifferens dicitur.

152. Verum duplex est ordo rerum, alter natura, alter legibus constitutus. Quae illum perturbant, sunt mala natura; quae hunc, sunt mala solius legis (seu divinae positivae, seu canonicae, seu civilis) potestate. Atque ideo, quia rerum natura mutari nequit, *illa* sunt mala quoad omnes, ubique gentium, perpetuo; *haec* ab eis tantum facienda vel omittenda sunt, qui ea lege tenentur, ac proinde in territorio legislatoris tantum, et quamdiu ea lex viget (3). *Illa* sunt *vetita, quia mala; haec mala, quia vetita* (4). Utrum igitur aliquid sit bonum, an malum, an nec bonum nec malum, sed indifferens, non ex solo naturali iure, sed ex iure quoque positivo aestimandum est. Quamobrem indifferentia ea solum accipere debemus, quae neutrum ius vetat, neutrum ius praecipit; quae bona

(2) S. August., *Contr. Faust.,* 32, 27; D. Th., 1, 2, 18, 8. *Bonum est* CONTINENTIA, *malum est* LUXURIA, *inter utrumque indifferens* AMBULARE (S. Hieron., Ep. 89).

(3) V. Suar., *De Relig.,* To. I, Tr. II, Lib. II, Cap. XIII. *Illa,* v. c., mentiri, blasphemare: quae proinde nec infantibus, nec amentibus licent. *Haec,* v. c., eucharistiam sumere, ieiunare certis diebus, legitimam filiis relinquere, vel (spuriis) alimenta. Cum his quae sunt intrinsece mala, confundenda non sunt ea quae dedecent, aut minus honesta videntur; v. c., benefactori suo ingratum esse, adoptantis viduam (L. 14, *De Ritu Nupt.*) ducere, etc.

(4) Et ideo *illa,* numquam licita sunt, ne levissima quidem, veluti mendacium officiosum: *haec* secus; et quia interdum legis quoque divinae obligatio cessare potest (V. I *Regum,* XXI, 6; *Matth.,* XIII 3), licita fieri possunt. Sed et haec recidunt in ius naturale, et ideo *per se* illicite fiunt, quotiescumque extorqueri velint in contemptum legislatoris; veluti si quis cogatur edere carnes die esuriali in contemptum Ecclesiae (V. II *Machab.,* VI, 18); et tunc ne ad mortem quidem vitandam licita sunt (Ex C. 5, *De iis quae vi;* Soto, I, VI, 4, v. *Supremum;* Salm., 10, 1, 206). Ad haec, sunt alia quae dicuntur contra bonos mores civiles, aut canonicos; ut puta, renunciare hereditatem eius, qui nondum vita decessit (L. 4, C. *De Inutil. Stipul.*); vel promittere beneficium ecclesiast. plenum, cum beneficiatus mortem obierit (C. 2, *De Concess. Praeb.* in 6°). Et haec quoque minus honesta ducimus et minus his de quibus in n. 3; at non peccata. Sane renunciatio hereditatis personae viventis confirmatur iuramento (C. 2, *De Pactis*), quod non est vinculum iniquitatis (C. 1, *De Iuram.* in 6°); et promissio beneficii post obitum, hodie facta a R. Pontifice (cit. C. 2, *De Conc. Praeb.* in 6°), olim et ab Ordinariis (C. 14, *De Concess. Praeb.*), licita fuit.

vel mala fiunt secundum intentionem agentis, atque ideo ex ea aestimari debent (5).

153. Sed haec de humanis actionibus *in genere*. In *individuo* eas peragente, voluntas eius cum primis inspicienda est, quippe ex qua omnis actus humanus initium capit. Quamobrem bonitas, vel malitia sumenda est ex obiecto, ex fine, ex circumstantiis (6); quae idcirco principia moralitatis dici solent. Et primo, ex obiecto. *Obiectum* dicitur id quod volumus; at ex eo omnes actus nostri speciem capiunt (7). Deinde ex fine, quia *praecipuum motivum voluntatis est finis* (8). Quaestionis est, utrum necesse sit dirigere omnes actiones in gloriam Dei, ut bonae dici possint. Affirmantium sententia est communior, et ex principio nostro (§ 151) verior: ceterum, sat est eas in Deum dirigere virtualiter (9): quod facere intelligitur quisquis facit aliquid ob finem alicuius virtutis, vel honestum, et naturae rationali consentaneum (10). Demum ex circumstantiis: circumstantiae autem sunt actionis velut accidentia; sunt enim *condictiones extra substantiam actus, sed quae aliquo modo attingunt actum humanum* (11). Uti autem actio, quae est bona ex obiecto et ex fine, ex circumstantiis quoque sit bona, necesse est ut

(5) Ideo, v. c., qui puellae dat pecuniam, si ea tacita intentione dat ut eam seducat, rem malam; sin sublevandae inopiae eius causa, rem bonam facit.

(6) D. Th., 1, 2, 18, 4.

(7) *Tob.*, XII, 8; *Oseae*, IX, 10; D. Th., 1, 2, 18, 2. Ex obiecto *quod* (volumus), non *cui* (aliquid volumus); alias odisse Deum, optimum; daemonem, pessimum foret. Porro *species* heic dicitur propria cuiusque rei bonitas vel malitia, qua ab aliis distinguitur; utputa, orationis, eleemosynae, ieiunii; blasphemiae, furti, adulterii. Alias est *forma*, qua corpus id esse agnoscitur quod est (L. 76, § ult., *De Iudic.*); unde illud: *Forma est quae dat esse rei.*

(8) D. Th., 1, 2, 18, 4; *De Virtut.*, Quae. II, XI, 3. *Ut sit voluntas bona, requiritur quod velit bonum, et propter bonum* (D. Th., 1, 2, 19, 7 ad 3). Et uti actus exterior ex obiecto, ita interior ex fine, quasi *ex proprio obiecto*, speciem capit (D. Th., 1, 2, 18, 6).

(9) D. Th., *De Virtutib.*, Quae. 2, art. XI ad 3.

(10) Proinde si quis ludat recreandi animi causa, ut deinde promptius vacet operibus virtutum, erit actus virtutis (D. Th., in cap. 3, *In Isaiam*).

(11) D. Th., 1, 2, 7, 1; 18, 10. Actum humanum, nempe qua ad mores pertinet; nam quis inquirat, v. c., in furto, utrum quis furatus sit manu dextera, an laeva? Et aliter I. C., aliter TT. eas considerant: illi nempe, qua gravius societatem perturbant, v. c., utrum quis furatus sit noctu, an interdiu; hi qua gravius Deum offendunt, v. c., utrum furatus sit pauperi, an diviti. Porro circumstantia, stricta significatione, est *accidens moralis actus* (D. Th., 1, 2, 7, 1): nihilominus vulgo circumstantias accipimus eas quoque, ex quibus novum *obiectum* actioni accedit, seu physicum, seu morale; ut ecce, si quis furetur rem communem pluribus, vel rem sacram,

quidquid fit, fiat quando oportet, ubi oportet, et modo quo oportet (12).

154. Uti igitur actio humana bona simpliciter dici possit, necesse est, ut ex omni parte sit bona (13): *bonum ex integra causa.* Et quia actus voluntatis, quo haec omnia complectimur, unus est; actio, si non ex omni parte sit bona, mala erit tota (15): nisi forte aut circumstantiae sint leviter malae (15), aut finis malus, non praecipuus fuerit, sed secundarius; utrobique enim modica subest inordinatio, quae actionem non corrumpit (16). *Actio* inquam, non *opus*

(12) D. Th., 1, 2, 64, 1 ad 2. V. c., ne materfamilias, vel magistratus haereant in templis, quando illa rebus domesticis et liberis superesse, hic quando iuri consulendo et causis examinandis dare operam debent.

(13) D. Th., 1, 2, 18, 4 ad 3.

(14) Ex D. Th., 2, Dist. 38, q. 1, art. 4 ad 4. Inde illud: *Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu.* Quae autem bona est ex obiecto, fine et circumstantiis non desinit bona esse, eo quod non sit facta ex motivo fidei, vel caritatis; alioquin omnia infidelium et peccatorum opera peccata forent; quod et absurdum et haereticum est. Nec confundenda est actio bona cum actione meritoria; sed de merito Dogmatici viderint.

(15) Billuar., Art. IV, § 3.

(16) V. Lugo, *De Poenit.,* XV, 189. Utputa, si in precibus recitandis levis tepor, in facienda eleemosyna ostentatio levis obrepserit. Merito igitur explosa est sententia Silvest., Armill., aliorumque existimantium, graviter peccare eos qui verbum Dei praedicant ad inanem quoque gloriam aucupandam, qui accedunt ad tribunal Poenitentiae (dispositi inquam), ut notam effugiant (Suar., *De Fide,* II, 3, 4), vel ad existimationem sibi conciliandam (Lugo, cit. n. 189). Dixi *finis,* aut *circumstantiae;* nam si fuerit mala ex obiecto (mala inquam *natura*), impossibile est, eam cohonestari nedum ex circumstantiis, sed ex quovis etiam sanctissimo fine, quia rerum natura mutari nequit: hinc non licet, e. g., vel leviter mentiri ad vitam servandam. Huc pertinet illud Apostoli: *Non sunt facienda mala, ut veniant bona.*

Nunc attingenda est ea quaestio, utrum dentur actiones indifferentes in individuo. Thomistae negant: nam si actus indifferens ad nullum finem ordinatur, contra rationem est; sin ad aliquem, hunc vel bonum vel malum esse oportet (D. Th., 1, 2, 18, 9). Scotistae affirmant (Vasq., 1, 2, Disp. 52, Cap. 2): primo, quia nulla certa lex iubet eas dirigere in finem bonum; deinde, eo quod alias, si agens animo aversus a Deo sit, ut quidam scelestissimi, quidquid agit, v. c., si florem olfacit, si amicum obvium salutat, si comedit, bibit, si somno indulget, etc., peccatum erit; quod vix non absurdum est (Cf. Billuar, Art. IV, § 2). Mihi prior sententia videtur verior. Sane heic non loquimur de eo, qui cum agit, de Deo cogitat (is enim aut actionem suam dirigit ad gloriam Dei saltem tacite, aut Dei gloriam excludit), sed de eo qui de Deo in praesens non cogitat. Is igitur aut rem necessariam, vel utilem, vel rationabilem facit (v. c., comedit, deambulat, ludit, sui conservandi causa), aut non: si primum, actio haec ad finem bonum naturaliter, atque ideo virtualiter in Dei gloriam tendit, et ideo bona est. Sin alterum, est ad minimum otiosa; si otiosa est, mala est (Ex *Matth.,* XII, 36).

materiale, nam haec duo confundenda non sunt: illa enim ex voluntate agentis aestimari debet, hoc ex se ipso. Quaerendum nunc igitur est, utrum, si circumstantiae et finis fuerint graviter mala, corrumpant et malum efficiant opus quoque, quod suapte natura bonum est; sive, utrum naturam operis mutent. Et circumstantiae, cum sint aliquid accessorium, id efficere non posse vix dubium puto (17). Utrum id possit finis, quaestio est difficilior: quidam affirmant, alii negant; quos sequor: primo, quia rerum natura mutari non potest; deinde, quia nequeo animadvertere, quomodo intentio operantis mutare possit opus, cui nihil addit, detrahit nihil (18). Itaque reor, malam nostram intentionem non mutare naturam operis; ideoque nec quod bonum est malum reddere, nec quod malum est in aliam malitiae speciem transferre (19).

(17) Nam quis dixerit, v. c., rem malam esse orationem, quam in Ecclesiis prosequitur materfamilias, quo tempore necesse habet superesse filiabus suis, quas solas, calente iuventa, domi reliquit? Aut sacrum, quod facit sacerdos in letali constitutus, vel hora, aut loco, quibus non licet? Sane, si circumstantia opus mutat, eius qui, ut vacet studio, omittit sacrum die festo, studium utique peccatum erit; ergo confiteri studium debebit. Quod hodie nemo dixerit (V. Salm., 21, 2, 33; Croix, VI, 2, 943).

(18) Cf. Sot., IV, VI, 3 sub fin.; Less., II, 12, 128; Sanch.; S. Alph., III, 584. Alias quidni licitum sit, v. c., die festo vacare servilibus, relaxandi animi gratia; et, contra, illicitum incumbere studio, lucri faciendi causa? Quidni testis, qui veridicum quidem, sed nocendi animo, testimonium dicit, peccet veritatem dicendo? qui laetatur de opere bono alterius, facto ob finem malum? (V. *Philipp.*, I, 17. Qui contrariam sententiam tuentur, nituntur: 1° exemplo Dei et daemonis, hominem tentantium: si is labitur, hoc daemoni quidem imputabitur, non item Deo; nempe quia Deus hominem tentat ut probet, daemon ut perdat; 2° exemplo eius qui, v. c., furem receptat; nam si recipit quasi furem, tenetur; sin quasi amicum, non item (Salm., XIII, 1, 23, 125). Sed minus recte: nam (1°) *Deus neminem tentat* (*Iacob.*, I, 13), vel *facit cum tentatione proventum ut possimus sustinere* (I *Corinth.*, X, 13); qui autem (2°) receptat, opus per se indifferens facit, quod huc non pertinet.

(19) V. S. Alph., III, 584. Contra Lugo, *De Iust.*, Disp. VIII, Sect. 6. Itaque si, v. c., ego, ut tibi noceam, in meo puteum aperio; quo aperto, venae putei tui praecisae sunt; rem facio, contra iustitiam, malam quidem *affective*, uti aiunt, sed non *effective*; nam iure meo utor, et ideo omnis restituendi cessat obligatio. Qui contra putant, quasdam leges contra nos allegant; sed de his in Tr. *De Restitutione*.

Porro ex *actu interno* et *externo una integra actio coalescit* (§ 145, n. 12); et utriusque una est bonitas vel malitia: quaestionis est, utrum actio externa augeat *per se* bonitatem, vel malitiam actus interni, quia eum perficit; an minus, quia voluntas, *qua peccatur et recte vivitur* (S. August.), omnem vim iam exseruit suam. Scholastici viderint. At *per accidens* auget profecto, saepe enim voluntas aut intensior fit, aut magis diuturna (D. Th., *De Malo*, QQ., Art. 2 ad 8).

Nunc autem dispicere iuvat, quo-

Art. III. *De imputatione actuum humanorum. Et de voluntario in causa.*

155. Actus mali vitio et culpae vertuntur; sive, ut vulgo dicimus, *imputantur* agenti. Et quoad Deum, idest, qua Deum offendunt, ex eo tempore imputantur, quo quis eos *voluit* (1): quoad nos, tunc cum in actionem externam prodierint; ex hoc enim incipiunt damnosi esse, atque ideo obnoxii poenis, restitutioni, reservationibus. Uti autem sciamus, quatenus unaquaeque actio imputari debeat agenti, dispicienda in ea sunt *obiectum* actionis, *circumstantiae*, et *effectus*. Et cum primis tenenda regula est: *Nil volitum quin praecognitum* (§ 143, n. 4); deinde, quoties dubitas *ne id* quod vis, forte sit *aliud*, utrumque (in pravis vel noxiis) a te volitum dici (§ 143, n. 7). Itaque, quoad obiectum, actio imputatur prout hoc visum fuit (seu certum, seu dubium); ideo potest esse materialiter bona, et formaliter mala; vel, contra, materialiter mala, et formaliter bona; vel et materialiter et formaliter mala (2). Et in foro exteriori, nisi utroque modo sit mala, non imputatur (3): nam si est

tuplex genus actuum in nobis esse possint. Sunt igitur vel *hominis*, vel *humani* (§ 141, n. 1). Humanos inspicere possumus quoad agentem, quoad obiectum, quoad utrumque. Actus humanus et voluntarium, idem sunt (§ 114, n. 11). Ex 1° igitur, voluntarium, quoad intellectum diducitur in *explicitum* et *implicitum* (§ 143, n. 7); quoad libertatem, in *voluntarium simpliciter* et *voluntarium secundum quid* (§ 144); quoad voluntatem, in *elicitum* et *imperatum* (§ 142), *directum* et *indirectum* (§ 134, n. 12), *in se* et *in causa* (§ 143, in fin.). Ex 2° in *bonum*, *malum*, et *indifferens* (§ 151, n. 2); et malum rursus in illud quod vel *natura*, vel *iure*, vel *ex intentione* agentis *malum est* (§ 152). Demum, ex 3°., in bonum vel malum, seu *materialiter* tantum, seu tantum *formaliter*, seu materialiter insimul et formaliter (§ 155, n. 2).

(1) *Eccli.*, III, 27; *Matth.*, V, 28. Et nedum actus commissionis ex hoc imputantur, quod nemo negat, sed et actus omissionis (S. Alph., Lib. V, *De Peccat.*, n. 10); quod D. Th. (2, 2, 79, 3 ad 3) negare videtur. Nec ei proderit quod postea ab ea actione perpetranda, v. c., a moechando, furando, calumniando, abstinuerit sciens volens; vel fecerit quod omittere constituerat, v. c., sacro adfuerit die festo.

(2) V. D. Th., 1, 2, 19, 5. *Actus humanus iudicatur virtuosus, aut vitiosus, secundum bonum apprehensum, et non secundum materiale obiectum actus* (D. Th, Quodl. III, Art. 27). Veluti si quis alienae commisceat, suam putans; vel suae, putans alienam; vel alienae, quam scit alienam esse. Proinde non est homicida (coram Deo), qui traiicit hominem feram putans (D. Th., 1, 2, 6, 8); contra, est, qui traiicit feram putans hominem (D. Th., Quodl. III, 27 ad 1). *Seu dubium* (V. § 143, n. 7).

(3) L. 44, § *Qui alienum*, *De Furtis*; Ex L. ult., *De Crim. expil. hered.* Ut ecce, si quis auferat rem derelictam, quam deperditam putat (Cit. § *Qui alienum*); vel alienam, putans dominum invitum esse, qui

mala formaliter tantum, falsa nostra existimatio rei veritatem non mutat (§ 126, n. 7); sin tantum materialiter, innocentia consilii tuetur facientem. Quod si eadem actio duo praestet, quorum alterum est in intentione, alterum praeter intentionem sequitur (ut puta in eo qui occidit invasorem, cum non possit aliter se defendere), quod praeter intentionem sequitur, quasi secutum per accidens, regulariter, non imputatur (4). De circumstantiis expedita res est: nam quae agenti comperta, immo et incerta (§ 143, n. 8) fuerunt, imputantur, velit nolit: quippe ab obiecto separari non possunt; quae ipsum praetereunt, non imputantur, quamvis rem malam faciat sciens prudens (5).

156. De effectibus quaestio est implexa, difficilis; et quaestio haec est: Si ex actione tua sequatur effectus aliquis pravus aut noxius, contra vel praeter tuam intentionem, utrum tibi sit imputandus, quasi illum volueris in causa (6). Porro causa dicitur, si in ea ef-

invitus non est (§ 8, *De Oblig. quae ex delicto*); tametsi *quoad animi cogitationem* non sit innoxius (L. 22, § *Etsi ei servo. Ad L. Corn. De fals.*).

(4) D. Th., 2, 2, 64, 7; Salm., 26, 7, 46; S. Alph., III, 482, v. *Excipitur*. Hinc licet hosti, v. c., ignita missilia iacere in urbem, quam iuste obsidet, etiam cum caede innocentium (*Omnes*. Sanch., *M.*, IX, 20, 14); mulieri praegnanti, quae letali morbo decumbit, sumere pharmacum etiam cum periculo abortus (S. Alphons., III, 394). Dixi *regulariter*, idest, nisi aut iustitia, aut caritas actione huiusmondi abstinere nos iubeant. Ut ecce, si venator nequeat ferum animal occidere, quin domesticum alterius una simul occidat; aut mulier pharmacum sumere, quin enecet foetum, qui alias vivus edi et baptizari posset.

(5) D. Th., 1, 76, 3; Ex C. 4, *De S. E.*; L. 18, § *Si iniuriam, De iniur.* - *Quamvis*, etc. *Communissima* (S. Alph., VII, 386). Quamobrem Davidi, e. g., imputatur adulterium cum Bersabea (II *Regum*, XI, 15), Iudae incestus cum Thamar non imputatur (*Genes* XXXVIII, 16). *Velit nolit*: puta, si quis nuptae commisceat, quia mulier pulchra est, et nolit marito facere iniuriam, nam facit reipsa; si clericum sibi detrahentem cedat, invitus tamen, quia clericus est: proinde ille tenetur adulterio, hic sacrilegio. Quin et is qui, v. c., saccum habentem pecuniam surripit, etiam sacci nomine tenetur, quamvis non sit ei animus sacci surripiendi (L. 79, *De Furt.*).

(6) V. S. Alph., IV, 149. Dixi *pravus aut noxius*; nam de his qui boni sunt vel utiles, non oportet inquirere. *Contra vel praeter*, etc.; idest, involuntarii aut non voluntarii: nam si eos volueris, intenderis, sunt *obiectum voluntatis*, atque ideo voluntarii *in se affective*, utcumque sequantur; ut puta, si vino te ingurgites, equites, ea data opera, ut sequatur pollutio (Sanch., *M.*; IX, 45, 16). Ex quo patet, ea quae hic dicturi sumus, non pertinere, regulariter, ad eos, qui per alium faciunt; nam *qui facit per alium, perinde est ac si faciat per se ipsum* (C. 72, *De R. I.* in 6°). Per alium vero is facere intelligitur, qui iubet, mandat, rogat aliquid fieri (LL. 130, 141, *De R. I*; L. 1, § 12, *De vi armata*). Quisquis igitur per alium cedit (L. 3 § *Cum*, 7, *Eod.*; C. 6, § 1, *De S. E.*); detinet (L. 1, pr., *De eo per quem fact. er.*); terret; oc-

fectus praeexistit; secus, occasio dicitur (7). Nos heic de effectibus quaerimus, quos seu iustitia seu caritas cavere iubet. Quamobrem Nostri heic *causam* accipiunt, cum de damno alterius agitur, late, idest, sive causam, sive occasionem (8). Hoc primum; deinde admonendi sumus, quaestionem hanc ad eos effectus non pertinere, qui actionem integrant (§ 145, n. 12), quippe qui ab ea separari non possunt; ideoque nec ad eos, quos, posita causa, sequi omnino necesse est, velut ex letali vulnere, mors; ex gravi percussione mulieris praegnantis, abortus.

157. Age nunc; *quod ex voluntario causatur, voluntarium in moralibus reputatur* (9); ideoque imputatur ei qui causam praebuit.

cidit (L. 5, C. *De accusat.*); uno verbo, quamlibet iuniuriam facit (L. 1, § *Item, De Iniur.*), perinde est ac si *per se*, vel suis manibus faceret.

(7) D. Th., 1, 2, 20, 5, Obi. 1; S. Alph., III, 636. *Quandoque causa dicitur id quod est disponens* (consilium, iussum); *quandoque id quod est perficiens, et hoc vere et proprie causa dicitur, quia causa est ad quam sequitur effectus* (D. Th., QQ. DD. *De Malo*, 2, 3, art. 3). Ideo necesse est, ut inter actionem et id quod ex ea sequitur, intercedat connexio aliqua vel physica, vel saltem moralis. Et inde causa in physicam (seu naturalem), et moralem diducitur. Physica, velut ex nimia potatione vini, ebrietas; ex gravi percussione mulieris praegnantis, abortus: nec interest, utrum effectum praestet immediate an mediate; ut puta, ex ingluvie morbus, ex morbo mors, nam *causa causae est causa causati*. Moralis, velut ex turpi lectione vel colloqutione, pollutio; ex falsis testimoniis vel documentis quae vera videntur, innocentis condemnatio. Ubi nulla huiusmodi connectio intercedit, non causa, sed occasio intelligitur, quae *causa imperfecta* quaedam est (D. Th., 2, 2, 43, 1 ad 3): ut ecce, si filio a grassatore occiso, pater moerore vitam finierit (Less., II, 9, 112); si quis malo tuo exemplo permotus, furetur, peieret; si aedes meas incenderis, et ob eam causam ego in maledicta, blasphemias eruperim: maledicta, blasphemiae ex actione tua, quasi ex occasione, profluxisse videntur. Dixi HEIC; idest, quoad peccatum; quia aliud iuris est, si damnum alteri illatum sit, in restitutione facienda, in qua sola iustitia, non caritas, inspicitur.

(8) Dixi *cum de damno* etc., nam, remoto damno, sive temporali sive spirituali, alterius vel tuo; quod ex occasione sequitur, quasi sequutum casu et per accidens, non imputatur (Sanch., *M.*, IX, 45, 17). Veluti si quis ex equitatione, vel ebrietate, aut ingluvie patitur pollutionem (Sanch., n. 16; Lugo, *De Iustit.* XVIII, 76; S. Alph., III, 484, Inf. 2). Idem dicendum est, si ex causa levi oriatur aliquid grave (Ex L. 5, C. *Ad L. Corn. De Sicar.*), quia non potest effectus sua causa maior esse: v. c., si ex levi percussione, negligentia medici sequatur mors (Less., n. 102); vel ex aspectu, lectione, aut collocutione leviter turpi, pollutio (Sanch., n. 18; S. Alph., *l. c.* v. *Hinc*). Sed si ex collocutione leviter turpi periculum sit, ne in eo quo cum sermones misces, turpes cogitationes excitentur, vel ne tu pollutionem patiens consentias in delectationem veneream, gravi non vacas, et ex dictis planum est.

(9) D. Th., *De Malo*, Quae. III, art. 8. Inde vulgatum illud: *Qui causam damni dat, damnum dedisse videtur* (Ex L. 30, § 4, *In hac, Ad L. Aquil.*).

Non quidem semper, sed si illud, 1° praeviderit, et, 2° debuisset, et, 3° potuisset praecavere (10). Et primo, cum *nil volitum quin praecognitum,* necesse est, ut qui causam posuit, *praeviderit* effectus huiusmodi (11); nec ut possibiles tantum, sed probabiliter sequuturos (12); aut de eis non immerito *dubitaverit* (13). Deinde ut cavere illos *debuisset,* nam, cum praeter intentionem sequantur, quî culpabitur is qui non debuit eos praecavere (14)? Et si non debuit eos praecavere, ad rem, verius, non pertinet, utrum ex actione licita, an ex illicita (forte ex alio capite) actione prodierint (15).

(10) D. Th., 1, 2, 6, 3.

(11) Lugo, *De Iust.,* XVIII, 86; Salm., 13, 1, 16, etc. Aliud iuris est in foro externo civili et canonico; nam, si potueram eos praevidere, tenebor (L. 31, *Ad L. Aquil.;* C. 9, *De Iniur.*). Verum haec poena est; quae non tenet ante sententiam iudicis; sed de hoc alias.

(12) Ex cit. L. 31; S. Alph., III, 398. Nam divinare aut praecavere quaecumque possibilia sunt, sollicitudinum plenissimum et durissimum opus foret (Salm., 25, 2, 29); et ab ipsis legibus fori exterioris alienum est (V. § 5, *Ad L. Aquil.*).

(13) Laym., *h. t.,* Cap. III, n. 5. Et planum est (§ 143, n. 7).

(14) Ex D. Th., 1, 2, 6, 3. Itaque si ex actione necessaria, vel utili, vel honesta, praevideas pollutionem sequuturam tibi chirurgo, confessario, studioso (S. Alph., III, 483), non imputabitur.

(15) V. Soto, V, 1, 9; V. Lugo, *De Iustit.,* XVIII, 86, etc.; Salm., 10, 8, 38, etc.; S. Alph., III, 398. In actione unum solum dispiciendum est, utrum nempe fuerit causa huius effectus, an minus: nam si vim *causae* non habet, ridiculum est, cavendam esse propter *effectum* huiusmodi. Itaque videamus, utrum actio haec sit illicita ex alio capite (*simpliciter*), an quia est periculosa, idest, quia effectum, de quo agitur, parere valet. Si *primum,* veluti si quis polluitur ex ingluvie vel ebrietate, pollutionem non imputari, recepta sententia est (V. n. 8). Alias dicendum esset, eum qui, dum in agro operi incumbit, casu incendit segetes vicini, siquidem opus faciebat die festo, damni teneri; sin die feriali, non item, uti censuit Silvest. *At vero haec ridicula sunt* (V. Soto, *l. c.,* v. *Sententia;* et Navarr., 27, 237). *Alterum* nonnihil difficultatis praeseferre videtur; puta, si quis in agro foveam foderit, in quam noctu viator incidit; aut putator, cum ex arbore ramun deiiceret, praetereuntem oppresserit: quaeritur, utrum, si is omnia observaverit quae diligens quisque observaturus fuisset, ut non amplius probabile videretur effectum sequuturum, et nihilominus sequutus sit, an debeat imputari: affirmant quidam, in his Soto et Suaresius (V. Salm., 10, 8, 37), eo quod *nunquam censetur diligentiam sufficientem adhibere, nisi cessando ab opere periculoso:* sed contraria sententia est communior (V. Salm., n. 38), quam et S. Alph. (III, 398) probat. Et rationem habet; nam si, diligentia adhibita, opus periculosum esse desiit, iu simpliciter illicitum recidit (V. Less., II, 9, 103). Quid quod in ipso iure, tum civili, tum canonico, vix non aperte comprehensum est? Nam putator, qui, ramum ex arbore deiiciendo iuxta viam publicam, praetereuntem oppressit, si antequam ramum deiiceret, *proclamavit,* vel *circumspexit,* non coercetur (L. 31, *Ad L. Aquil.*), non contrahit irregularitatem (C. 14, *De Homicid.*). Proinde non tenetur fur, si dum equos furtivos abigit, casu mulier, inter eos collisa, abor-

Deinde, ut *potuisset* eos praecavere, quia *nemo peccat in eo quod nullo modo caveri potest* (16). At, si et debuisset et potuisset illos praecavere, merito imputantur (17), perinde quasi illos voluerit; et ideo dicuntur *voluntarii in causa, et denominative* (18).

158. Et tunc imputantur, cum quis causam eorum praestitit. Sed quaestio elegans est, utrum illi effectus, qui nova nostra actione vel omissione constant, sed nobis insciis vel invitis sequuntur, denuo imputari debeant tunc cum sequuntur, perinde quasi actiones externae, quas quis facit sciens volens (19)? Atque ideo, utrum sint non solum materialiter mali, sed etiam formaliter, ac proinde obnoxii his, quibus externae actiones humanae, quae internas integrant complent, obnoxiae esse solent, idest, poenis, reservationibus et confessioni sacramentali? Et multi negant tunc iterum imputari, quia is qui causam posuit, tunc non agit sciens volens (20); multi affirmant, quia sciens volens causam posuit (21). Mihi prior sententia

tum fecerit (C. 48, Dist. 50); qui in ebrietate, praeter omnem suam opinionem, occidit hominem (Suar., *De Censur.*, 46, 1, 12); qui induxit alium ad furandum, si is in furto fuerit occisus (S. Alph., VII, 386).

(16) S. August., *De Libero Arbitr.*, Lib. 3, Cap. 18, n. 50. Puta si equus, quo insides, subito turbatus, te frustra obnitente, in viatorem praetereuntem irruerit.

(17) Ex C. 16, *De Homic.* Proinde non excusatur, v. c., puer, aut senex, qui equo insidet, cuius impetum retinere non potuit, si aliquem oppresserit (§ 8, *De Leg. Aquil.*). Huc pertinent qui delinquunt ex ignorantia voluntaria; ex passione, quam compescere negligunt; ex habitu, quem eluere non curant, etc. (D. Th., 1, 2, 6, 8; S. Alph., V, 4, *Tertio modo*).

(18) Lugo, *De Poenit.*, XVI, 446; Croix, V, 33. Peccata *denominative* (Lugo, *De Iustit.*, XXXVII, 28).

(19) Puta, blasphemiae quae temere excidunt ex habitu, vel temulento, perinde ac illae, quas consulto evomit? omissio horarum canonicarum presbytero naviganti, qui proiecit breviarium in mare, perinde ac ei, qui domi illas omittit? Dixi, qui *nova nostra actione constant,* nam ea quae sequuntur sine ulla actione, vel omissione nostra, v. c., si quis ex turpi lectione pollutionem patitur, si mulier cui dedisti abortivum, eiiciat, haec ne denominative quidem voluntaria dicuntur (Croix, *l. c.*); et ei imputari denuo, si cum sequuntur, v. c., cum dormit, postquam incidit in amentiam, postquam ea poenitens confessus est (et quidni etiam postquam mortem obierit), absurdum est. Dixi *denuo,* nam tunc *primum* imputari, ceu delirarunt Marsilius et Palacios, absurdissimum foret.

(20) S. Bonav., in IV., Dist. 22, Art. 1, q. 3; Vasq.; Azor.; Laym.; Bonac.; Lugo, *De Poenit.*, XVI, Sect. IX; Filiucc., XXI, 272; Croix, I, 757; V, 33, 41, etc.

(21) Caiet.; Pal.; Navarr.; Salm., 20, 10, 27. Hi nituntur C. *Mulieres,* 6, *De S. E,,* quo cavetur (aiunt) incurrere excommunicationem qui ebrius occidit clericum, si ante id praeviderat; eosque exscribit S. Alphon., IV, 149. Quod profecto decretorium esset: sed de hac re in eo C. 6 nec vola, nec vestigium!

Ad ultimum quaeri potest: si duo, pluresve eamdem (una simul) actionem effecerint, et unus utriusque, vel omnium, fuerit effectus, utrum hic omnibus pariter imputari debeat? Et videamus, utrum omnes adaequatam,

videtur verior: nam in quo malitia eorum posita est, in se, an in causa? Si *in se,* cur, sodes, eos appellamus voluntarios *in causa,* et malos tantum *denominative?* Sed haec generatim: nam utrum sint obnoxii poenis in re praesenti, utrum reservationibus, utrum confessioni, de his suis locis singillatim agendum erit.

158.bis Hactenus de voluntario, qua bonum vel malum est; et, si est malum, quatenus imputetur agenti: serius dispiciemus, quatenus sit poenis obnoxium. Nunc non abs re prorsus erit, aliqua praecipere de voluntario, seu potius de voluntate, qua volentem erga alterum obligat; nempe quando incipiat eum obligare. Itaque haec regula sancienda est: nemo imperare sibi, neque prohibere quidquam potest (22); sed omnis quae ex voluntate nostra oritur obligatio, ex pollicitatione nostra initium (23), ex acceptatione alterius perfectionem (24) capit. Itaque si tecum constitueris, v. c., Seiam inopem puellam dotare, aut Caio debitum remittere, in potestate tua est ab hoc *proposito* pro lubitu discedere, licet hoc tuum propositum Seiae, vel debitori significaveris; sed tunc demum eis obligaris, cum et tu haec illis pollicitus fueris, et ipsi pollicitationem tuam acceptaverint (25).

an omnes inadaequatam, an unus adaequatam, alter inadaequatam actionem, causam praestiterit. Porro adaequata intelligitur, quae effectum sola praestare potest; quae id non potest, dicitur inadaequata. Et profecto hic (effectus) utrique pariter imputabitur, sive utraque fuerit adaequata; utputa, si duo aliquem baptizaverint, eamdem hostiam consecraverint, eodem temporis momento (D. Th., 3, 67, 6); sive utraque inadaequata, ut ecce, si duo trabem furati sint, quem singuli tollere non potuissent (L. 52, § ult., *Ad L. Aquil.*); sive demum, verius, altera adaequata fuerit, altera inadaequata, veluti si duo trabem sustulerint, quem unus eorum solus tollere potuisset, alter non item (Ex L. 21, § penult., *De Furt.*), non enim is excusabitur, quod, se recedente, alter nihilominus solus auferre potuerit, nam et ipse abstulit (V. Less., II, 13, 2; Lugo, *De Iust.,* XIX, 2, etc.). Ceterum, haec ad voluntarium pertinent; quod ad poenas et restitutionem damni, *si quod datum* sit, suis locis.

(22) L. 56, *De Recept. Arbitr.* Id est, *nemo eam sibi legem potest dicere, ut a priore voluntate ei recedere non liceat* (L. 22, pr., *De Legat.,* III).

(23) *Pollicitatio est offerentis solius promissum* (L. 3, *De Pollicit.*).

(24) Ex cit. L. 3, et C. 17, *De Praeben.* in 6°. Quod in promissionibus nedum onerosis, sed et gratuitis, non lege aliqua positiva introductum fuit, ceu existimarunt Molina et Suar., sed ex ipso naturali iure profluit (Vasq.; Lugo, *De Iust.,* XXIII, 39; Less., II, 18, 39; S. Alphon., III, 726); quo docemur, invito beneficium non dari; et nihil acquiri posse, nisi volenti (Lugo, *l. c.*). Quid, quod dare et accipere sunt *relativa?* (Soto, III, 5, 3). Atqui in relativis alterum sine altero ne intelligi quidem potest.

(25) V. Sanch., *M.,* I, 7, 3; S. Alphon., III, 192; Salm., 17, 3, 10. *Acceptaverint,* nempe signo aliquo externo, quia *voluntas in mente retenta nihil operatur aut mutat.* Haec naturali iure.

159. Itaque (ut quasi e diverticulo redeamus in viam) bona sunt quae ordinem servant, mala quae illum perturbant (§ 151). Sed hoc generatim: verum cum de singulis actionibus quaeritur, unde scire possum, quaenam actio mala dicenda sit, quaenam bona? idest, quaenam ordinem servet, quaenam perturbet? Nempe ex regulis, quibus ordo huiusmodi continetur et regitur: regulae huiusmodi dicuntur *leges* (26): ergo de legibus hic.

(26) L. 1, § 2, *De Legib.*; D. Th., 1, 2, 90, 1. *Regula*, amussis (italice *riga*), ad quam linea dirigitur: verbum metaphorice usurpatum. Et ideo *lex ponitur ut quaedam* MENSURA *humanorum actuum* (D. Th., 1, 2, 96, 1).

TRACTATUS III.

DE LEGIBUS

SECTIO I.

De Legibus in genere.

CAPUT I.

QUID LEX, ET QUOTUPLEX, ET QUAE LEGIS VIRTUS.

160. Lex, *ampliori* appellatione, regulam significat, quae unamquamque rem in finem suum dirigit; quo sensu omnis creatura suas habet leges: *propria,* significat regulam, quae actiones humanas in finem suum ultimum dirigit; hoc sensu breviter definitur: *Iustorum et iniustorum regula* (1); plenius: *Iussum legitimi Principis propter bonum subditorum, commune, perpetuum, sufficienter promulgatum* (2).

161. Principio igitur lex est *iussum;* non consilium, non exhortatio. Ut iussum obligandi vim habeat, necesse est, ut feratur a Principe legitimo. *Principem* dicimus eum qui perfectae communitati praeest (3); idest, Ecclesiae, vel Civitati (§ 67). *Legitimo,* et planum est (4): ideoque suo. Suum autem accipimus ex subditis,

(1) L. 2, in fi., *h. t.;* Cf. Salas, *De Legibus;* et inter recentiores, Bouquillon, *Instit. Theol. Mor. fundam., h. t.;* sed in primis Suarez, *De Legibus,* opus longe praeclarissimum.

(2) Ex L. 1, *h. t.;* § 11, *De Iur. nat. et Gent.;* V. Suarez, *De Legibus,* Lib. I, Cap. 10, n. 5. Alias, lex est: *Ordinatio rationis ad bonum commune ab eo qui curam habet Communitatis, promulgata* (D. Th., 1, 2, 90, 4).

(3) D. Th., 1, 2, 90, 3 ad 3. Perfectam communitatem accipimus, quae politici regiminis capax est (Suar., I, IV, 19); ut Ecclesia, Regnum, Provincia sui iuris (Alasia, *De Legib.,* Dissert. I, Cap. II, § 5).

(4) Cf. Victor., *Relect. De Potest. Civili,* n. 23. Duo heic quaerunt TT. quoad Princeps illegitimus, *forsan praescriptione, aut reip. consensu,* legitimus non *fuerit tandem Princeps* (Sot., III, IV, 6; Less., II, 29, 70): 1° utrum ipse peccet, nedum usurpando potestatem et retinendo, sed et exercendo, idest toties quoties illam exercet; quod Less. negat (n. 71), Lugo (*De Iust.,* XXXVII, 28) affirmat: hoc praetereo. 2° Utrum, postquam is in pacifica imperii possessione esse coeperit, et quamdiu in ea manserit, ei in coscientia parendum sit. Negat Soto (*l. c.*); ceteri pene omnes affirmant, et rectius; sive ex potestate a civibus tacite ei

ex territorio (§§ 69, 70); et, ubi duo sunt, quorum alter Ecclesiae alter Civitati praeest, ex negociis et potestate unicuique seorsum a Deo creditis (§ 68). Quamobrem ferenti leges alienis subditis, vel extra proprium territorium valituras (5); vel supra, aut praeter suam iurisdictionem (6), quasi minus legitimo nec suo, non paretur impune. Iussum autem huiusmodi ferendum est *propter bonum subditorum* (7): ex hoc capite necesse est, ut lex sit iusta, aequa, nec inutilis. *Iusta,* quia *iustitia elevat gentes, miseros facit populos peccatum* (8): erit autem iusta si et religioni, et rationi congruat (9). *Aequa,* idest accommodata viribus subditorum (10): nihilominus, etsi durior forte, servanda erit (11). *Nec inutilis,* quia onus inutile nec aequum, nec iustum est (12). At vero in dubio, utrum legislator suam iurisdictionem excesserit; utrum iusta, an iniusta sit lex, semper pro lege respondendum erit (13); secus apage leges. Dicitur autem lex praeceptum *commune* et *perpetuum,* quia non singulis

permissa; seu potius quodam quasi naturali iure, eo quod, sine Principe, brevi Civitas interiret (Less., Lugo, *ll. cc.;* Salas, *h. t.,* Disp. 10, Sect. 3, n. 14, ac tandem vel ipse Suar., *h. t.,* III, 10, 9). Ideoque et magistratibus ab eo constitutis, et eorum mandatis et sententiis parendum est (Less., n. 73; Lugo, n. 35; Rot. Rom., 16 Ian. 1815). Quamobrem et iura et obligationes ex his legibus, mandatis, sententiis quaesita, etiam post eiectum invasorem salva permanent. Verum haec ad eos non pertinent, qui potestatem spiritualem usurpant (§ 68, n. 10).

(5) L. 3, *De Offic. Praesid.;* C. 21, *De S. E.;* L. 20, *De Iurisdict.;* C. 2, *De Constit.* in 6°; C. 1, *De Privil.* in 6°.

(6) Cit. L. 20; L. Un., C. *Qui pro sua iurisd.;* ex C. 2, *De Except.* in 6°.

(7) D. Th., 1, 2, 90, 2. Scilicet *qui praesunt ceteris, hac una de causa praesunt, ut Civitatis utilitatem tueantur* (Leo XIII, Encycl. *Immortale Dei,* 1 Nov. 1885). *Est autem non modo eius qui sociis et civibus, sed etiam eius qui servis, qui mutis pecudibus praesit, eorum, quibus praesit, commodis utilitatique servire* (Cicero, *Epist. ad Quint. Fratr.,* Lib. I, Epist. I, circa med.). Dixi bonum *subditorum,* universorum inquam, idest propter bonum *commune:* sed numquid non pertinet etiam ad utilitatem singulorum? utique, sed qua sunt civitatis membra, non qua singuli sunt (Averani, Lib. V, Cap. 10, n. 2).

(8) *Prov.,* XIV, 34. Et qui *regula,* si obstipa?

(9) Gratian., in C. 5, Dist. 1. Dices: lex interdum tuetur facta quaedam illicita, v. c., usucapiones mala fide completas. Nempe cavet deteriora (D. Th., 1, 2, 96, 2); inde aureum illud: *Non omne quod licet* (scriptis legibus), *honestum est* (L. 187, *De R. I.;* C. 1, Dist. 51).

(10) Cf. Suar., *De Legib.,* Lib. I, Cap. 9.

(11) L. 12, *Qui et a quib. man.* Ibi: *Perdurum hoc est, sed lex ita scripta est:* ut C. It. 450, § 2, 960; V. I *Regum,* XIV, 24, 29, 44. Nisi epicheiae locus sit.

(12) Suar., VIII, 30, 20.

(13) Suar., I, 9, 11; Lugo, *De Iustit.,* XXXVI, 90; S. Alph., *H. A.,* II, 23. Ut ecce, si miles dubitet, an iustum sit bellum (S. Aug., relat. in C. 4, § 1, Cau. 23, 1). *Nisi,* aiunt, *aut lex sit valde molesta, aut nociva res praecepta* (S. Alph., I, 99; III, 617).

imponitur sed omnibus constituitur (14); et tamdiu duraturum, quamdiu civitas manebit, pro qua lata fuit; nisi prius forte abrogetur, vel obsolescat (15). Porro illud verbum - *iussum* - GENUS definitionis PROXIMUM; ea - *propter bonum etc.* - CONDITIONES; ea demum - *commune, perpetuum etc.* - DIFFERENTIAM quam vocant ULTIMAM definitionis ostendunt.

162. Sed, ut iussum teneat, necesse est illud nosse: *non novi peccatum, nisi per legem* (15bis). Ex hoc capite necesse est ut is qui iubet, non solum voluntatem suam prodat, sed ut illam eis quibus iubet, denunciet. Denunciatur autem per publicationem, seu promulgationem (16) factam legislatoris nomine et auctoritate: non quamlibet, inquam, sed congruam, sive, ut vulgo dicimus, *sufficientem* (17), idest eiusmodi, ut merito dici possit nos legem *nosse*: nosse autem dicimur ea quae *scimus*: scire quae nobis explorata, comperta sunt. Sane lex est quaedam *regula* et mensura (§ 159, n. 26); regula autem non regulat, mensura non metitur, nisi applicetur his, quae regulari, metiri debent; ideo necesse est, ut lex subditos attingat; *attingit autem per scientiam* (18). Proinde, ut lex sufficienter promulgata dici possit, debet esse *certa et manifesta* (19): quamobrem, si non constat de existentia legis (lex *incerta*), vel legis sententia obscura est (lex *dubia*), et, re diligenter explorata, in priori casu non appareat legem extare, in posteriori quaenam sit legis sententia (20), cessat

(14) LL. 1, 8, *h. t.;* Salm., 11, 1, 7. Sive omnibus prorsus (v. c., omnibus Christifidelibus, omnibus civibus); sive omnibus ex aliquo coetu, vel Ordine (v. c., omnibus militibus, clericis) sit imposita (V. Suar., Lib. I, Cap. 6).

(15) Ex § 11, *De Iur. nat. et gent.;* Suar., Lib. I, C. 10. Et ideo, qua perpetuum est, non cessat resoluto iure eam ferentis; et subditos tenet sive praesentes sive futuros (Suar., n. 7). Quod autem, generaliter quidem, sed non in perpetuum, fertur, *edicti, decreti* etc., habet nomen: et quod nec generaliter, sed singulis imponitur, *praeceptum* proprio nomine dici solet; de quo propediem. Ceterum, legis et edicti, seu decreti, aut eadem prorsus, aut pene eadem est vis. (L. 3, C. *h. t.;* Suar., n. 6).

(15bis)..... Ergo prius *nosse* legem oportet.

(16) L. 9, C. *h. t.* (*De Legibus*); Ex C. 1, *De Poslulat. Praelat.*; C. 1, *De Concess. Praeb.* in 6°; D. Th., 1, 2, 90, 4. Ceterum. promulgatio, verius, non pertinet *ad essentiam* legis, quia de essentia legis est, ut sit regula morum; promulgatio autem nec regula, est; nec pars regulae, sed actus quo ea subditis ostenditur, exhibetur.

(17) *Deuter.*, XXVII, 8; I *Corinth.*, XIV, 9.

(18) D. Th., *De Verit.*, Quaes. XVII, Art. 3; 1, 2, 90, 4. Qui regula utitur, *necesse habet eam intueri,* ait Sot. (I, I, IV; S. Alph., 1, 65, v. *Hanc autem*).

(19) C. 25, v. *Hic autem, De V. S.*; Cf. Terrill., *De Consc. Probab.*, Qu. 23, 14. CERTA (ex C. 31, *De O. Iud. Deleg.*). Immo, ut ex D. Th. (1, 2, 19, 4 O. 3) docet S. Alph. (I, 64), *certissima.* MANIFESTA, idest clara, perspicua (S. Alph., I, 75).

(20) L. 9, C. *De Legibus*

legis obligatio: inde axiomata: *Lex incerta non potest certam obligationem inducere* (21); *Lex dubia non obligat* (22). Sed etsi certa ea sit et manifesta, et obligandi vim nacta fuerit, necesse praeterea est ut quis eam noverit, et quia non dicimur nosse nisi ea quae scimus, singuli *non ligantur, nisi mediante scientia illius* (23): quamdiu igitur eam ignorant inculpabiliter, si quid contra fecerint, excusantur (24). Illud autem interest inter legem incertam seu du-

(21) Ex cit. C. 31; Bened. XIV, Notific...; S. Alph., *l. c.* - V. c., utrum contractus trinus sit illicitus; utrum sit obligatio recipiendi sacramentum confirmationis, etc. Quamobrem inconsulte prorsus Giballin., Alterius, Covarruvias, Salmanticenses docuerunt, peccare graviter irretitum censura,qui absolutionem quamprimum non petit: inconsultissime vero, qui concionantem in mortali costitutum, immo et acolytum inservientem celebranti, damnant letalis (V. S. Alph., VI, 37, 40). Sane orta, initio Religionis nostrae, controversia, nec mediocri, utrum licitum esset vesci idololitis, utrum sanguine et suffocatis, Paulus respondit: *Unusquisque in suo sensu abundet* (*Rom.*, XIV, 5; 1 *Corinth.*, X, 25). Serius, cum Novatiani secundas nuptias, Tertullianus autem nuptias cum infidelibus vetitas dicerent, obstitit *illis* S. Gregor. Nazianz. (Orat. 39), *huic* August. (*De Fid. et Oper.*, 19, 3); quarentes, quibus legibus vetita essent. Et saec. XIII, exorta quaestione, utrum confitendae essent circumstantiae peccata *simpliciter* aggravantes, D. Th. (in 4, Dist. 16, quae. 3, art. 2, sol. 5) sententiae negantium adhaesit; et Bened. XIII, in Conc. Romano an. 1725, rem poenitentium arbitrio reliquit (*Instr. pro parv.* etc.). Et ne recentioribus exemplis carere videamur, S. C. C., bis proposita quaestione, *utrum clericis licitum esset negociari per alios*, cum multi TT. id affirmarent, multi negarent, noluit eam definire (Ben. XIV, *De Syn.*, 10, 6, 4). Item, cum quaeretur, an praelati Regularium, cum et ipsi suas oves habeant, tenerentur, perinde ac parochi applicare pro eis missam diebus festis, quaestio huiusmodi bis proposita apud S. Sedem, bis insoluta remansit (Giraldi, *Expos. Iur. Pontif.*, Par. II, Sect. 85, To. 3.).

(22) S. Alph., Lib. I, *Systema morale*. Coroll. 1. Lex autem dicitur dubia, si verba legis nullum praeferant sensum (quod vix accidit - V. L. 5, C. *Fin. Regun.* - ideo hunc casum praetereo), vel aequivocum, vel ambiguum. Heic valet regula: *Contra eum, qui legem potuit dicere apertius, est interpretatio facienda* (C. 57, *De R. I.* in 6°; L. 40, *De Pactis*); ac proinde *semper, in obscuris, quod minimum est sequimur* (L. 9, *De R. I*; C. 30, *Eod. tit.* in 6°). Hinc., v. g., cautum sit, ut beneficiatus, qui *post sex menses ab obtento beneficio* horas canonicas non recitaverit, *fructus suos non faciat*, (S. Pius V, C. *Ex proximo*), fructus accipere debemus, non anterioris et posterioris temporis, sed posterioris tantum (Suar., *De Relig.*, To. II, Tr. IV, Lib. IV, C. 29, n. 14).

(23) D. Th., *De Verit.*, XVII, 3.

(24) Ex C. 1, *De postulat. praelat.*; Suar., *De Cens.*, 40, 5, 15; S. Alph., I, 153.

Ex dictis autem apparet, legem neque solius rationis actum esse (alias qui *iussum?*), neque solius voluntatis (alias posset et *iniusta* esse), sed utriusque: ideoque et a *legendo*, et a *ligando* rectissime dici, quippe, quae et *iustum ab iniusto secernit*, *licitum ab illicito* (L. 1, *De Iust. et Iur.*), et praecipiendo aut vetando libertatem hominis coercet et *ligat* (LL. 1, 2, 7, *h. t.*).

biam, et legem ignoratam, quod illa pro non lata est, atque ideo nulla eius transgressio intelligitur, ne materialis quidem; at haec non deest, cum lex ignoratur, quia nostra ignoratio rei veritatem non mutat.

163. Porro omnis lex ordinem moderatur, seu natura constitutum, seu iure (§ 152): inde diducitur in naturalem et positivam. Et positiva rursus, ex auctore, in divinam et humanam: humana vero in canonicam et civilem. Hactenus de legis definitione et divisionibus; nunc quae sit legum virtus videamus paucis.

164. Itaque legis virtus haec est: *imperare*, *vetare*, *permittere*, *punire* (25). *Imperare*, *vetare*; et hoc expeditum est. *Permittere*; non ea quidem quae consistunt ex libertate naturali, sed ea quae ex iure positivo statum capiunt (§ 118). *Punire*; verum ea pars legis, quae poenam irrogat, pertinet ad sanctionem legis, idest ad eam sartam tectam servandam, ne impune violetur (26). Haec autem omnia praestat lex ex quo publicata fuerit; nec enim retro valere potest, quippe est regula actionum nostrarum, adeoque futurarum tantum: sed de hoc serius, quia ad leges dumtaxat positivas pertinet.

165. Quamobrem virtus legis in duobus cum primis posita est, nempe in vetando et imperando (*declina a malo, et fac bonum*); inde omnia legis praecepta sunt vel negativa, vel affirmativa; ut puta, parcere servilibus, adesse sacro festis diebus: illa obligant continuo (*semper, et ad semper*), haec suo tempore (*semper, sed non ad semper*). De negativis expedita res est, nam omittendo quodammodo implentur; ideoque etiam ab eo implentur, qui illa inscius, immo et invitus omiserit (27). Dixi *quodammodo*, nam qui omittit (v. c., abstinet carnibus) inscius, magis legem non trasgredi, quam eam implere dicendus est (28); et qui eam omittit invitus, quod ad animi cogitationem, apud Deum violatae legis reus est.

166. Uti autem satisfieri possit praeceptis affirmativis, illud praestandum est, quod lex praestari iubet; aliud enim praestare nec licet, nec oportet (29). Et praestari debet humano modo, suo tem-

(25) L. 7, *h. t.*

(26) L. 9, § *Proprie, De Rer. Divis.*; L. 41, *De Poenis.* Et ideo dicitur *sanctio* legis (§ 10, *De Rer. Divis.*). Huic prope accedunt leges *irritantes*; de quibus infra.

(27) Suar., 2, 10, 9.

(28) Suar., n. 2. Scilicet *in his* (aliisque similibus) *casibus praeceptum postea non obbligat, non quia fuit impletum, sed quia fuit subtracta materia eius* (Suar., cit. n. 9).

(29) Ex L. 2, § 1, *De Reb. Cred.* Itaque die festo, v. c., si vales missam audire, non satisfacis totum psalterium pro ea recitando; si non vales, non cogeris quo alio religionis opere, ut puta Rosario, defungi. Quid, si ex duobus alterum tantum praestandum sit? Et profecto tui, quasi de-

pore, totum. *Humano modo*; et si hoc est aliquid dandum puta decimae, sufficit alium dedisse pro te; vel te etiam non tuae mentis, immo et invitum (30). Sin est aliquid *faciendum*, debes tu facere, et compos tui facere (§ 142, n. 2); ideoque sciens volens, nam *quod aliquis facit ignorans, per accidens facit*; et hoc sufficit, nec opus est ut facias *sciens* (legem) et *volens* (legi satisfacere); quia lex, regulariter, opus praecipit ob ipsius operis finem, atque ideo opus dumtaxat exigit, et non intentionem satisfaciendi. Sive, uti Nostri aiunt, lex iubet fieri id quod praecipitur; fieri quia praecipitur, lex non iubet (31). Sed etsi illud praecipiat ob finem aliquem extrinsecum, quoties de liberando agitur, idem iuris esse puto, quia *verosimile est*, te, si lex subiisset animo, maluisse legi satisfacere (32). Et, ut generaliter dixerim, quoties quis sponte sua facit quod ex obligatione aliqua, quae ipsum praeterit, facere tenetur, si verosimile videatur, eum scientem in hanc causam imputaturum, in hanc imputabitur: quod plures docent ex

bitoris, erit electio (§ 38, *De Action.*); sed alterutrum eligere debes, non utriusque partem (Ex L. 15, *De Legat.*, II). Et cum elegeris, perinde erit, ac si id solum praeceptum fuisset (L. 3, § 1, *Quod certo loco*): quamobrem, si postea hoc prestari nequeat, liberaris (L. 15, pr., *De Solution.*). Sed utrum variare possis? Et in foro conscientiae, reor posse, quia nemo eam legem sibi dicere potest, ut non liceat sibi a sua voluntate recedere (§ 158bis, n. 23). Nisi forte electio intersit alterius; nam, postquam electio huic renunciata fuit, non datur amplius variationi locus (Ex L. 20, *De Opt. legat.*). At, ex quo coepit unum praeterire, alterum tenet (Suar., *De Censur.*, III, 2, 14; Salm., 10, 1, 64); veluti si poenitens, iussus a confessario singulis sabbatis aut eleemosynam facere, aut ieiunare, ieiunium fregerit. Porro haec raro in legibus, interdum in praeceptis locum habent; et his maxime aptari debent.

(30) V. Suar., II, 10, 9.

(31) D. Th. 1, 2, 100, 9; V. S. Alphon., I, 163; Suar., in 3 P., Disp. 88, Sect. 3; Bonac., Q. I, P. 10, n. 9. Itaque si die festo adeas ecclesiam *ad expectandum amicum dum fit sacrum, non satisfacis praecepto, si non habes intentionem audiendi illam missam* (Lugo, *De Euchar.*, XXII, 23); at si veneris missam auditurus, et devote intersis, satisfacis, etsi ignores diem festum esse, aut veneris puellae visendi causa, vel metu patris invitus, alias non auditurus (Lugo *l. c.*; S. Alph., *H. A.*, VI, 27), immo etsi nolis Ecclesiae praecepto satisfacere; nam quod lex iubet, vere facis. *Communissima* (S. Alph., I, 164; IV, 176, v. *Ad officium*). Aliud iuris est in his obligationibus quae ex voluntate nostra initium aut statutum capiunt (S. Alph., *H. A.*, VI, 27), ut puta, si debens decem Seio, dones ei decem; aut debens Missam audire ex voto vel ex poenitentia sacramentali (nam et haec ex acceptatione tua statum capit), nolis ea missa, quam in praesens audis, voto aut poenitentiae satisfacere.

(32) L. 97, *De Solution.* Ut puta, si ieiunandum sit vel sacrum audiendum ad impetrandam aeris serenitatem.

Nostris, et aequitas suggerit, etiamsi a iure stricto recedere videamur (33).

167. *Suo tempore.* Itaque si hoc tempus in lege definitum est, lex intra id tempus implenda erit, nempe ex quo cessit usque dum venerit dies (§ 40, n. 20). Nihilominus si medio tempore immineat aliquod impedimentum, perinde habendum erit, ac si eo superveniente dies venerit (34). At vero antequam dies *cedat*, nemo tenetur praestare id quod lex iubet, immo nec potest, quia nondum subest lex; nisi forte hoc sit aliquid, quod ad iustitiam pertinet (35).

(33) S. Alph., III, 700; *H. A.*, VI. 27. Contra Sanch., Layman., Spor., Salmant., etc., negantes eum satisfacere. Itaque si parochus obligatus ad restitutionem ob omissas horas canonicas, ignarus vel immemor suae obligationis, fecerit eleemosynas, liberatur. Et si missam audire debueras ex praecepto Ecclesiae (die festo), ex poenitentia sacramentali, et ex voto, prius illi (Sanch. et Bonac., *ll. cc.*), tum isti, demum huic (Sanch. et Bonac. contra putant) satisfactum censetur; quia debita ex causa onerosa, debitis ex causa gratuita potiora sunt (Ex L. 73, *De Iur. Dot.*; V. Lugo, *De Iust.*, XII, 38). Dixi si *verosimile* etc., ex cit. L. 97, *ac proinde si verosimile* revera sit (Croix, III, II, 452). Itaque, si immemor debiti donaveris creditori, ita demum hoc in debitum imputabitur, si memor magis in solutum dedisses: non item si adhuc donasses; utputa, si donum dederis filiae fratris tui occasione matrimonii, ex moribus regionis. Porro Nostri communiter de eo loquuntur qui facit, dat *immemor* legis: sed idem dicendum puto si fecit, dedit legis *inscius*; eadem est ratio. Sane si heres debeat Seio 100 sine usuris, et 100 cum usuris, quis dixerit, solutum in *hoc* debitum non imputari, quia ipsum latuit? Dixi, cum *de liberando* agitur: nam si de lucrando aliquo agitur, verior est Sancii aliorumque sententia (Ex L. 2, *De Condit. et demon.*). Veluti si quis, his diebus quibus ieiunandum est ad lucrandum iubilaeum, ignarus iubilaei, ex sua devotione ieiunet. Adde L. 62, pr., *De A. H.* (Cf. Alas., IV, VII, 2).

(34) Suar., *De Voto*, IV, 15, 7; S. Alph., IV, 155; VI, 298. Ut puta, si necesse habeas, ipso Paschatis die longam peregrinationem inire. Heinc tenetur diluculo horas canonicas recitare, missam audire, qui serius nequit (Lugo, *De Euch.*, XVI, 75; *De Poenit.*, XV, 182; Salm., 11, 3, 66, 67; S. Alph., IV, 155), v. c., ob febrim redeuntem (Viva, in Innocen. XI, 54, 18). Atqui, dices, is qui merito veretur, ne, ob dilatam ad finem anni confessionem sacramentalem, sibi excidat aliquod peccatum letale, non tenetur maturius confiteri (Lugo, *De Poenit.*, XV, 41; S. Alph., VI, 670, 6); ita porro, sed quia durissimum foret mox confiteri: quî enim si confessus paullo post inciderit in aliud letale? Num cogendus erit iterum confiteri, et sic deinceps?

(35) V. D. Th., *Suppl.*, 6, 5. *Nec potest* (S. Alph., VI, 297, in fi.). Etsi praevideat, se legem suo tempore implere (v. c., confiteri intra annum) non posse (Suar., Azor., Lugo, *De Euchar.*, XVI, 74, 78). Atque ideo qui, v. c., longam navigationem pridie dominicae *in Palmis* initurus, communicat in sabbato *Passionis*, si non discedit, tenetur in Paschate communicare (Suar., *l. c.*; Lugo, n. 75; S. Alph., 298, in fi.); et beneficiatus qui uno die omisit officium, non liberatur a restitutione fructuum, si illud suppleat die sequenti (S. Alph., III, 667). *Nisi forte* etc. Nam quod in diem dari iubetur,

Contra, tenetur, regulariter, etiam postquam praeterierit; quia duo heic sunt, regulariter, legis praecepta: dari, et certo tempore dari (36); exceptis, regulariter, his quae pertinent ad religionem (velut ieiunium, auditio sacri), quippe religionis praecepta sunt affixa diei. Si autem nullum tempus in lege definitum est, si lex iubeat aliquid fieri *statim,* hoc adverbium cum aliquo temperamento accipiendum est (37); si *quamprimum,* tempus erit in aestimatione boni viri (38): sin denique nihil prorsus edixerit, dies *venit* eo tempore, quo exacto, legi amplius satisfieri nequiret (39); nisi aut alia lex urgeat (40), aut de his praeceptis agatur quae dilatione minuuntur (41).

168. *Totum.* Qui autem totum praestare non potest, debet eam partem praestare quam potest; dummodo et res quae praecipitur divisionem recipiat (42), et hoc quod praestari potest non sit aliquid

velut decimae; aut promissum, vel relictum fuit, velut usurae, legatum, *statim* debetur, licet ante diem peti non possit (§ 2, *De V. O.*): *et plus solvit, qui citius solvit* (Ex § 33, *De action.*).

(36) L. 28, § 1, *De Recept. arb.*; C. 6, § *Praeterea De Dolo et contum.* Proinde iussus, v. c., sistere se Praelato intra mensem, hoc elapso *tenetur nihilominus ei se praesentare* (cit. C. 6, v. *Unde*); sive non potuerit, sive noluerit suo tempore sisti.

(37) Ex L. 105, *De Solution.* Nostri accipiunt, infra triduum (Ex L. ult., C. *De Error. Advoc.,* [ibi, *ex continenti*]; C. 8, *De Regular.*; S. Alphon., VI, 266).

(38) V. S. Alph., *l. c.* Ut in C. 22 *De S. E.* in 6°; Trid., XIII, *De Euch.,* 7. Quod autem ait Barbosa (*Dictionar.* etc., n. 302), significare *spatium trium mensium* in *magnis,* et *duorum in parvis* ex L. 45, § 11, *De Iure Fisci,* penes Nostros haud receptum videtur.

(39) D. Th., in 4, Dist. 17, Quaest. 3, art. 1. Solut. 4; Vasq,, *De Poenit.,* 2, 90; 1, 5; Lugo, *De Poenit.,* XV, 37. Ideo, v. c., praeceptum communionis annuae, omissum in Paschate, non obligat ante novissimum illius anni diem; praeceptum baptismi suscipiendi vel contritionis post letale peccatum admissum eliciendae, ante tempus mortis non obligat (D. Th.; Lugo et Vasq., *ll. cc.*; V. Sporer, *De Poenit.,* nn. 177, 520; S. Alph., VI, 437). Et qui putant, legem implendam esse quum opportunitas aderit, omnino desipiunt; nam alias quoties quis eam praetermitteret, peccaret; v. c., non faciens eleemosynam quoties pauper occurrit (D. Th., cit. sol. 4).

(40) Sporer., cit. n. 177. E. g., caritas, religio; utputa, si is qui differt baptismum, aliis scandalo sit; si is qui in letali versatur, graves patitur tentationes, quas sentit superare non posse nisi actu contrictionis elicito; vel necesse habeat administrare aliquod sacramentum; et si necesse habet sacrum facere vel communicare, v. c. in Paschate vel ex voto vel ex poenitentia sacramentali, confiteri oportebit (V. S. Alph., VI, 437).

(41) Scilicet *minus solvit, qui tardius solvit* (§ 33, *De Action.*). V. c., in actibus fidei, spei et caritatis eliciendis (Ex Innoc. XI, 17); in Religione, quam qui vovit, ingredienda (S. Alph., III, 221).

(42) Ex C. 6, § pen., *De Dolo et Contum.*; L. 72, *De V. O.* Verum quae divisionem, quae minus reci-

minimum (43). Ceterum, nihil prohibet implere duo praecepta *uno tempore*, si utrumque opus praestari possit una simul (44); vel *uno actu*, si omnia ad eamdem virtutem pertinent (excepta iustitia), et simul incidant (45). Qui id quod lex iubet praestitit humano modo, et suo tempore, et quantum potuit, si finem legis non assequitur, cum hoc non sit in potestate nostra, nihil culpabitur: *finis praecepti non cadit sub praecepto* (46): veluti si ex ieiunio, vel abstinentia a ciborum delectu, nullum incommodum sentiat.

169. Quid, si dubites an legem impleveris, dubio nempe positivo et gravi? Et videamus, utrum dubium in iure, an in facto consistat. Si *in iure*, idest si dubitas num bene, recte, probe feceris, *in*

piant definire, *hoc opus, hic labor*. Dicam quod sentio. De eo opere quaerimus quod, etsi pluribus partibus constet, *unum* intelligitur; ita ut eius omissio unum dumtaxat peccatum constituat. Principio igitur refert, utrum hoc natura constet, an iure.

Si natura, puta statua vel oratio, expedita, ni fallor, res est: nam si pars quae dari fierive potest, inutiliter daretur, fieret, cessat dandi obligatio, quia cessat lex (§ 161, n. 12), veluti si promissae statuae pes supersit; vel orationis, ob infirmam valetudinem, non valeas quidquam recitare praeter exordium.

Sin iure, intererit utrum hoc, quod praecipitur, unicum sit, an multiplex. *Unicum* accipio, cuius una pars substantialis est (ut, in sacrificio missae, utriusque speciei consecratio), cetera accessoria, quae sine illa aliquid *aliud* esse videantur; et heic quoque illa cessante lex cessat (§ 166, n. 29). *Multiplex* dico, quod coalescit ex partibus quae singula seorsum praestari possunt, ut divinum officium; et huc pertinet regula superius tradita (explosa ea nonnullorum veterum TT. regula, ex C. 1, *De his quae fiunt a maior.*, male detorta, *Maior pars trahit ad se minorem*. – Ex Innoc. XI, 54): proinde nedum is, qui non potest recitare matutinum et laudes, ad reliquas horas (Cit. Prop. 54), sed et is qui nec reliquas, sed solum completorium recitare potest, ad hoc (Viva, *ibi*, n. 16) recitandum tenetur. Huc pertinet mulier quae nupsit obstricta voto castitatis: debitum reddere quidem debet, at petere non potest; et is qui habet peccata reservata et superiorem adire nequit, verius non reservata confiteri debet (S. Alph., VI, 265, q. 1). Utriusque habet aliquid opus, quod una principaliori parte constat, altera minus principali, velut ieiunium quod constat unica comestione, et a carnibus abstinentia: de hoc quaestionis est, utrum si illam praestare non possis, debeas hanc praestare, quam potes (V. Bened. XIV, *Notif.*, a n. 24); affirmantium sententia aut verior est, aut certe tenenda, quia lex possidet.

(43) Alas., IV, 7, 9; Gury, I 109; § 32 n. 23. Minimum vero accipio quod non pertingit ad materiam gravem.

(44) V. S. Alph., I, 166. Idest, si unus actus non impedit alium. V. c., recitare horas canonicas, dum ades sacro die festo (S. Alph., III, 309). Scilicet quoties lex duo iubet, id solum iubet ut praestetur utrumque, non ut seorsum (Alas., IV, VII, 10).

(45) Alas., n. 11. V. c., si festum S. Iosephi incidat in dominicam, satis erit unam missam audire. *Et simul* etc.; V. Alex. VII, 35.

(46) V. D. Th., 1, 2, 100, 9.

dubio omne factum praesumitur recte factum (47): nisi agatur de damno alterius iniusto; vel de aeternae tuae alteriusve salutis periculo (48). Si consistit in facto, idest si dubites utrum feceris, plerique tenent, obligationem cessare; primo, ex praesumpta intentione legislatoris; deinde, quia legis obligatio incerta esse incipit (49): alii contra, quia lex possidet (50). Mihi prioris sententiae prior ratio aequior est; posterior, quia regulam *de possessione* (§ 11, n. 103) sequor, displicet; sed non improbo, quia placet probabilistis (51): et quando haec sententia communissima dicitur (52), tutam duco. Et eos sequor qui eam producunt ad promissiones quoque gratuitas, quae ex voluntate nostra initium capiunt, e g., donationes, vota (53): tum ex praesumpta promittentis (quasi legislatoris) intentione, tum quia donata amare exigenda non sunt.

170. Hucusque de his, ad quae lex obligat directe et per se. Ad haec, quoties lex aliquid praecipit, indirecte et per consequens, 1° *cum iubet,* praecipere intelligitur quidquid legi adimplendae praeterea necessarium est; 2° *cum vetat,* ea quoque vetare intelligitur, quae legis transgrediendae periculum continent. Insuper, seu iubeat, seu vetet, semper, 3° vetat, legi transgrediendae, alteri auctorem vel adiutorem fieri.

171. Principio igitur, lex quae iubet aliquid fieri, ea quoque ta-

(47) S. Alph., VI, 505, 906. V. c., an recitaveris horas canonicas attente ac devote; si confessus reservata, postea dubitare coeperis, an confessarius potuerit a reservatis absolvere; vel an bene confessus fueris (S. Alph., VI, 505).

(48) V. S. Alph., I, 42, etc. Si dubites, v. c., an decimas solveris; an restitueris pecuniam mutuo acceptam; an solveris legatum a testatore relictum. Item in articulo mortis, an bene confessus fueris; an valeat baptismus, ordo etc., a te collatus. In summa, regula *in dubio* etc. ad eos casus coercenda est, in quibus agitur do solo licito vel illicito (V. § 10, n. 90); v. c., an peccatum confessus fueris, quod certo meminis admisisse, an horas canonicas recitaveris, votum impleveris.

(49) Carden., *Cris.,* D. 60, 4; Ilss., V. 150; Croix, 1, 600; S. Alphon., III, 700, v. *Sed occurrit*; Gury, 1, 80, ibiq. Baller. Nempe, aiunt, si probabile est, me legi satisfecisse; non potest esse certum quod obliger, quia contra certitudinem non datur probabilitas. Ratio subtilis, sed non contemnenda.

(50) Salm., XI, 2, 119; ibiq. Pal., Sanch., etc.

(51) S. Alph., III, 112; V. § 255, n. 37.

(52) S. Alph., *H. A.*, I, 17; IV, 150.

(53) Lugo, *De Poenit.,* XVI, 60. Hanc sententiam obiter tenet S. Alphon., I, 99. Et nihilominus eam explodit, quoad vota (I, 28), et quoad confessionem sacramentalem (VI, 477), et quoad horas canonicas. (V. *Elench. Propp. Refor.,* Add. n. 1). Quod igitur eo Lib. I, 99 dicit, tenendum est, esse vestigium prioris sententiae, a qua postea discessit. Verum utrum iure discesserit, ex his quae animadvertimus nn. 49, 51, 52, viderint sapientes.

cite iubet, sine quibus legi satisfieri non potest. Scilicet *obligatus ad finem tenetur ad media* (54); non omnia quidem, sed *ordinaria, communia, et consueta* (55). Ex hoc capite oportet et ea, quae legibus implendis opus sunt, adstruere (56), et ea removere quae obstant (57); dummodo et illa adstrui, et haec removeri possint, regulariter, absque incommodo gravi (58); qui sive illa sive haec non praestat, transgressor est legis. Sed in primis est transgressor legis, qui aliquod huiusmodi impedimentum sine gravi necessitate sponte subit (59). Et si illud subit eo consilio, ut legis obligationem effugiat, *in se;* secus *in causa* legem trasgreditur (§ 143). Nec is, verius, excusatur, quod id faciat alterius virtutis (v. c., religionis, vel caritatis) causa (60). Nihilominus in legibus humanis, ex praesumpta voluntate legislatoris, quotidie de solo licito vel illicito agitur, excusatur et is qui non invitus subit aliquod impedimentum,

(54) L. 135, *De R. I.* Ibi: *Qui potest facere, ut possit conditioni parere, iam posse videtur.*

(55) S. Alph., III, 324, 325. Scilicet lex constituitur pro his, quae frequenter et communiter accidunt, non quae raro (LL. 4, 5, 6, *h. t.*).

(56) V. Croix, I, 782,; III, II, 1334. Itaque si, v. c., Episcopus iussus a R. P. Seio beneficium conferre, tonsurae ei conferendae moram fecerit, non parere videtur (Ex L. 86, *De Legat.,* II).

(57) Ex L. 40, pr., *De Condit. et demons.*; C. ult., *De Election.*; V. S. Alph., III, 325. Hinc, v. c., debitor qui potest creditores dimittere hereditatem acceptando, aliquod munus obeundo, vel artem, vel ministerium; illam acceptare (Sanch., *M.,* VI, 4, 9), haec obire tenetur (Lugo, *De Iust.,* XX, 137; Moli., n. 435).

(58) V. Croix, I, 790; S. Alph., III, 325.

(59) L. 64, pr., et § *Tempus, Pro Socio* (Ibi: *Hoc facere posse quis videtur, quod dolo fecit, quominus posset*); Croix, 783, 790. Heinc, v. c., gravi non vacat debitor qui ludo indulgens reddit se non solvendo; parochus qui venationi plus aequo incumbens in morbum incidit, at exinde officio suo deest. Nihilominus, postquam impedimentum subiit, etsi peccaverit in causa, si non eo animo illud subiit, ut a lege eximeretur, materialis transgressio legis non imputatur. Puta, si die quo ieiunandum est, ea defatigatione luseris, ut puta saltando, iaciendo, luctando, ut amplius ieiunare non valeas (Laym., *De Ieiun.,* III, 5; S. Alphon., 1045; Croix, III, II, 1334). *Communissima.*

(60) D. Th., 2, 2, 147, 4 ad 3; S. Alph., I, 152. Ut puta qui in die ieiunii pedibus iter facit ad invisendum amicum (S. Alph., III, 1046), vel ad sanctuarium aliquod peregrinatur, si possint differri (S. Alph., III, 1049; IV, 156). Dixi *verius*; nam quidam aliud putant ex C. 5, *De Feriis,* quo diebus festis *forensia* permittuntur, *si necessitas urgeat, vel pietas suadeat:* nec contemnendum hoc argumentum retur S. Alphon. (III, 265), maxime, quod in eo C. 5 necessitas et pietas pari iure censentur. Et ipse cum Palao, Bonac. etc., excusat (n. 1049), sine ulla distinctione, a ieiunio inservientes *cum magno labore infirmis in hospitalibus, aut monasteriis.* Quamobrem puto haec relinquenda esse arbitrio boni viri; et utilitatis quoque aliorum, idest caritatis erga proximum, rationem habendam.

quod varie ex ipsis legibus aestimandum erit (61), indirectum et remotum (62); dum ne illud subeat, vel non removeat, eo consilio, ut legi se eximat. Ceterum, haec in praxi difficillima esse *dicunt omnes* (63).

172. Et, ex diverso, omnis lex quae aliquid vetat, ea quoque tacite vetat, quae legis transgrediendae periculo nos committunt; et in primis *occasiones*. Occasio dicitur, quidquid legis transgrediendae nobis exterius periculum praestat (64). Periculum autem huiusmodi vel tenuiter probabile est, vel graviter probabile: quod varie ex personis aestimari debet: si primum, occasio dicitur remota; sin alterum, proxima (65). Proxima triplex: necessaria simpliciter, voluntaria, et moraliter necessaria. *Necessaria simpliciter* ea dicitur, quae non potest; *voluntaria*, ea quae facile potest removeri; *moraliter necessaria* ea, quam quis removere quidem potest, sed non sine gravi suae vel existimationis, vel rei familiaris detrimento (66). Utraque

(61) Salm., 11, 2, 155, 160; Reiff., III, 6, 4. Scilicet non praesumitur legislator voluisse a subditis caveri omnia quaecumque impedimentum praestare possunt, quippe hoc durissimum foret (Suarez; V. S. Alph., III, 152).

(62) Ex L. 36, *Locati;* V. Croix, I, 790. Quamobrem is qui culpa sua incidit in morbum, excommunicationem, interdictum, et ideo non potest recitare horas canonicas, chorum adire, interesse sacro die festo, excusatur (S. Alph., III, 325); idest, non peccavit cum sciens volens morbum contraxit, excomm. etc. (Salm., *l. c.*; V. § 156, n. 6).

(63) Croix, I, 782. Duo autem ob oculos semper habenda sunt: 1° obligatum ad finem, teneri ad media; 2° legem semper obligare cum incommodo levi.

(64) V. Croix, V, 252. Dixi, 1° *periculum*, et non opportunitatem (*occasionem materialem*) tantum; 2° *transgrediendae*, ideoque periculum consensus, et non tentationis dumtaxat (V. S. Alph., VI, 452), nisi vehemens forte tentatio sit (V. S. Alph., *H. A.*, Tr. ult., n. 2, sub fin.); demum, 3° *exterius*, quia neque fragilitas naturae, neque passiones, neque habitus, occasiones dici possunt; quamquam Nostri interdum habitus vocent *occasiones intrinsecas*.

(65) Croix, V, 252; S. Alph., VI, 452. De remotis ulterius non quaerimus. In proximis periculum aestimari potest tum a priori, tum a posteriori. *A priori* (si numquam antea in ea occasione versatus fueris), si hoc sit vere probabile (S. Alph., *l. c.*, v. *Ex praemissis*), licet e contrario vere probabile sit, hoc periculum non subesse (S. Alph., V, 63). *A posteriori*; belle Gobat periculum huiusmodi dispescuit in moraliter certum, probabile, et leve: nempe si in ea occasione, v. c., decies constitutus, lapsus fueris octies aut septies, *moraliter certum*; sin ter aut quater, *probabile*; sin demum semel, *leve* tibi in ea occasione periculum est. Quamobrem, ex hoc capite, occasio proxima, nec ea solum dicenda est, in qua quis constitutus ut plurimum peccavit, ceu visum nonnullis; nec ea in qua pariter peccavit et a peccando se abstinuit, ceu visum aliis; sed ea in qua frequenter peccat (S. Alph., *l. c.*, et *H. A.* Tr., ult., n. 1).

(66) S. Alph., VI, 455. V. c. quoad eos qui facile inebriantur: filio oenopolae necessaria simpliciter

rursus dicitur *in esse,* si quis eam penes se habeat; secus, dicitur *non in esse* (67). Itaque is qui versatur in occasione necessaria, debet eam remotam efficere (68); voluntarias non subire prorsus, vel removere debet (69). In moraliter necessariis versari (perinde quasi simpliciter necessariis) ex causa gravi non est illicitum (70); sed ea lege, ut remotas eas reddas (71); alias (quasi voluntariae) deserendae, detrudendae sunt protinus (72), etiam (quae mihi verior, et omnino tenenda sententia est) cum vitae iactura (73). Ceterum, exponere se periculis et occasionibus non est illicitum, ex iusta causa, idest, gravi, si periculum labendi est grave; gravissima, si hoc gravissimum est (74): *praeterquam si certo moraliter praevideatur lapsus in peccatum* (75).

173. Demum, quoties lex aliquid praecipit, vetitum est aliis legis transgrediendae auctorem fieri, seu facto, seu verbis, seu exemplo. *Facto,* veluti si cogas famulum vacare servilibus diebus festis, vel die esuriali dapes vetitas filiis apponas. *Verbis,* iubendo, rogando, consulendo. Et duo haec ipsa virtus, quae laeditur, vetat; e. c., religio, temperantia, iustitia, si, v. c., aliquem ad blasphemandum, non ieiunandum, furandum inducas (76). *Exemplo*, et hoc vetat

ei qui cauponam petit voluntaria; ipsi oenopolae, qui ex ea victum lucratur, moraliter necessaria occasio dicenda est. Item quod ad eum qui famulae commiscet, v. c., filiusfamilias, aut paterfamilias, aut viduus, cuius liberis domuique illa superest fideliter ac diligenter.

(67) S. Alph., VI, 454. Veluti si quis amicam domi habeat, vel foris adeat.

(68) Croix, V. 259, 261; S. Alph., VI, 455. Nempe oratione, sensuum custodia, frequentia sacramentorum etc.

(69) Innoc. XI, 61, 62, 63. Nempe etsi periculum sit incertum, si vere probabile sit (n. 65); secus ac existimarunt Spor., Gobat, aliique (S. Alph., V, 63): nam licet incertum sit, est tamen vere probabile; atque huc pertinet illud Ecclesiastici (III, 27): *Qui amat periculum, peribit in illo.* Sane quis innoxium eum dixerit qui tibi offert cibum de quo graviter dubitat, ne sit veneno infectum, licet probabile sit non esse infectum veneno? Vel te illum, necessitate nulla urgente, sumere posse?

(70) Salm. 26, 2, 46; S. Alph., V, 63; VI, 455. Ut ecce his qui periculosa exercent officia, velut histriones, milites, mercatores, curiales, etc. (CC. 3, 4, *De Poenit.,* Dist. 5); item chirurgis, et parochis, qui medendo, vel confessiones excipiendo, pollutionem patiuntur (Sanch., *M.,* IX, 45, 4); immo et simplicibus confessariis, si munus confessarii sine gravi detrimento deserere nequeunt (S. Alph., III, 438, 483).

(71) S. Alph., V, 63; VI, 455.

(72) CC. 3, 5, *De Poenit.,* Dist. 5.

(73) *Marc.,* IX, 42, etc.; S. Alphon., VI, 457. Qui hisce occasionibus se exponit, peccat contra eam virtutem, quam in discrimen adducit; v. c., fidem, pietatem, castitatem, etc.; quippe quae id vetat; et praeterea contra sui caritatem peccat: sed hoc quasi damnum est, non aliud peccatum.

(74) Cf. Potton O. PP., *Theoria Probabilitatis,* Par. 1, Cap. 7, § 20.

(75) S. Alph., V, 63.

(76) Lugo, *De Poenit.,* XVI, 156, 275.

caritas. Quaesitum est, utrum id vetet ea quoque virtus, quae laeditur? Utique, si id facis ea data opera, ut alter, permotus exemplo, eadem faciat; et planum est. At si tu non eo animo sis, et alter haec faciat contra, vel praeter intentionem tuam, non satis convenit. Quidam affirmant (77); nam quid interest, utrum verbis, an factis eum perducas ad legem transgrediendam? Alii negant, quia si tu eo facto abstinere debes propter alium, ideo debes, quia teneris impedire peccata proximi tui: atqui hoc solius caritatis est (78). Illud nemo dubitat, haec vetita esse ipso naturali iure: ideoque non excusaris, eo quod vel *tu* non tenearis ea lege, cuius transgrediendae alteri es auctor (79), vel *is* eam transgrediendo non peccet formaliter, puta quia non est suae mentis, vel ignorat legem (80), nam facit rem materialiter malam: et si is rem damnosam fecerit, damnum tibi aestimabitur (81). Et si bona fide alterum induxeris ad rem malam faciendam, ignorans eam esse rem malam, quando id animadvertis, debes eum protinus dedocere, id enim iustitia exigit; sed non adeo rigorose ac si sciens feceris, ideoque si id possis absque incommodo gravi (82). Eum vero qui legi non est obstrictus, perducere ad aliquid contra eam faciendum, cum is neque formaliter neque materialiter peccet, innoxium est (83), remoto scandalo.

174. Porro si non licet, alteri auctorem esse legis transgrediendae, eo minus licebit, ei in lege transgredienda cooperari; licet is, forte, eam transgrediendo non peccet (84). Verum, hoc est subdif-

(77) Sanch., *D.*, I, VI, 5; Caiet., Ronca.: Salm., 21, 7, 55; S. Alph., II, 45, v. *Tertia.* - *Nempe quia non licet* COOPERARI *ad actionem obiective malam* (S. Alph., n. 47, v. *Probabiliter*) V. nn. 88-91.

(78) Suar., *De Charit.*, X, 2, 9; Lugo, *l. c.*, n. 160; Navarr., aliiq. recentiores ap. S. Alph., *l. c.*

(79) Lugo, *De Poenit.*, XVI, 156. Veluti si iudaeus suadeat christiano edere carnes die esuriali; vel exercere servilia die festo.

(80) Lugo, XVI, 156; XXII, 65, Utputa, si provocaveris infantem vel amentem ad turpia, blasphemias, etc.; vel ebrio (vel ei qui ignorat diem esurialem esse) carnes die esuriali dederis comedendas (Laym., 10, 2; S. Alph., I, 153); vel peierare facias eum qui iurare, atque ideo rem se bonam facere putat (Lugo, *De Iust.*, XXXIX, 21): nec (si hoc natura malum est) ad gravius aliquod avertendum; v. c., hostiam non consecratam praebere peccatori occulto publice ad S. Synaxim accedenti (D. Th., 3, 80, 6, ad 2); vel sinere ut sacerdos die festo, ne desit missa, consecret panem hordaceum, quem triticeum putat (Ex C. 7, *De celebr. Miss.*).

(81) V. Lugo, *De Iust.*, XIX, 35.

(82) Lugo, *De Iust.*, XV, 4; *De Poenit.*, XXII, 66, 74; S. Alphon., III, 564, 594.

(83) Salm., 11, 3, 47. Veluti si hebraeo carnes dederis die esuriali, vel iniunxeris servilia die festo (S. Alphon., III, 271).

(84) Lugo, *De Iust.*, XIX, 14.

ficile. Cooperatio in externis dumtaxat transgressionibus locum habet; externa autem legis transgressio constat intentione et opere externo: qui est particeps utriusque, *correus* seu cooperator formalis; qui operis tantum, *cooperator* materialis dici solet (85). De illo plana res est; de hoc subobscura. Cooperatio materialis praestari potest opere, vel bono, vel malo, vel indifferenti: quae opere malo praestatur, mala est; seu hoc natura sit malum, seu iure, seu destinatione hominum (86); et qui hanc praestat, non excusatur, quod, se non cooperante, alius certissime cooperaturus fuisset (87). De ea quae praestatur opere bono, vel indifferenti, non convenit; et dissensio in eo posita est, quanam virtute vetita sit cooperatio. Quidam putant, qua virtute aliquid operari vetatur, eadem et coopereri vetitum esse: alii, contra, putant eam a sola caritate vetari: alii demum, si cooperatio laedit iustitiam, *illis;* sin aliam virtutem, *his* adhaerent. Prior sententia a veritate aliena est; hac enim admissa, cooperatio in his quae sunt per se mala nunquam licita foret; utputa, nubere existenti in letali. Sed nec posterior videtur vera, quia iustitia non plus constringit quam ceterae virtutes (88). Itaque secunda tenenda videtur; nempe cooperationem huiusmodi licitam esse; nisi aut officium, aut caritas eam vetent (89). Et re quidem vera, si cooperator non peccat, nec quoad intentionem, nec quoad opus externum, unde sumitur malitia cooperationis (90)? Et ideo nihil refert utrum cooperatio huius-

(85) S. Alph., II, 63.

(86) V. S. Alph., II, 63. Veluti si quis emat a fure, vel operam praestet exercenti servilia die festo, vel sculpat idola (D. Th., 2, 2, 169, 2 ad 4) pro idololatris (Silvest., v. *Infidelitas,* 2, 4, in fin.; Valent., 2, 2, D. 1, q. 20, p. 5). Secus, si vendat agnum hebraeo suum Pascha celebraturo, quippe hoc non communi destinatione, sed ementis, malum est (Sanch., *D.*, I, VII, 6).

(87) S. Alph., III, 427, 562 in fi. Ut puta, si quis furi, adultero, homicidae suppetias tulerit, quas ferre alii parati erant; et quia cooperatus est, et quia alias nemo teneretur, quod est absurdum.

(88) V. Laym., *De Char.,* 13, 4; Sanch., *M.,* IX, VI; Lugo, *De Sacram.,* VIII, Sect. XI; S. Alph., II, 63, 66, v. IV. Et sane, licet christianis captivis apud infideles, triremes in bello contra Christicolas agere, salva iustitia, tormenta bellica parare, scalas admovere muris obsessarum urbium (Less, II, IX, 122; Lugo, *De Iust.,* XIX, 74; *De Sacram.,* VIII, 62). *Communissima.*

(89) Sanch., *Dec.,* I, VII, 10; Laym., *l. c.;* Lugo, *De Poenit.,* XVI, 161; S. Alph., II, 40. Officium, utputa parentis, iudicis, ministri sacramentorum, etc.

(90) Valent., 2, 2, D. 5, Q. 21, L. 4; Sanch., *Dec.,* I, 7, 18. Plus: si cooperatio materialis vetita est, aut eadem virtute vetita est, qua operatio vetatur, aut alia. Atqui non alia, nam qua, excepta caritate? Sed nec eadem; alias quamdiu tibi non licet operari (v. c.. matrimonium contrahere, debitum petere, conferre sacramentum), tamdiu alteri erit illicitum cooperare tibi in ea re (v. c., nuptias tecum inire, debitum red-

modi proxima sit, an remota (91). Immo si alter incoeptum opus perfecturus fuisset absque alterius cooperatione, vix est, ut cooperator dici possit is, qui operam praestat, quae in transgressionem legis nullatenus influit (92).

175. Obligat autem lex in re gravi sub gravi; nisi legislator palam edixerit, se velle obligare sub levi (93): in re levi sub levi; nec ille potest in re undequaque levi obligare sub gravi (94), quippe durissimum et iniquum foret. Si non satis appareat, utrum materia legis sit gravis, an levis, tenendum est esse gravem, si legislator eam iubeat aut vetet sub poena gravi latae sententiae (95); vel reservata sibi absolutione ad eius transgressione (96); vel si eam inculcet verbis gravioribus (97). Alias aestimabitur ex communi sensu TT.; si hi diversi, tenendum est obligare sub levi (98)

dere, sacramentum petere): atqui nemo unus hoc dixerit; ergo, etc.

Quidam putant actionem cooperatoris coniunctam pravae alterius voluntati, fieri malam: sed non bene: quia mea voluntas operi tuo invita coniungi nequit; et tua voluntas actionem meam mutare non potest (S. Alph., II, 63, 66). Dices forte: qui cooperatur actioni alterius damnosae, damni causa ipse intelligitur. Ita porro, si ea actione cooperatur, quae laedit ius alterius, quaeque idcirco mala est; veluti si quis dono accipiat a beneficiato, quae is in pias causas erogare debuisset (Sanch., *Cons.*, II, II, 38, 14): quippe donatio unius datione, et alterius acceptatione perficitur (S. Alph., III, 722): vel ea actione cooperatur, in qua inest transgressio legis; v. c., furi, effringendo fores, vel rem alienam auferendo (V. Less., II, 13, 35; Salm., 13, 1, 129). At si nullum ius eius laedit, nullam profecto ei facit iniuriam; qui igitur causa damni?

(91) V. S. Alph., III, 571, v. *Secunda*. Et re quidem vera, num dari potest cooperatio proximior ea, quam praestat is qui contrahit matrimonium cum eo qui versatur in letali; vel reddit debitum coniugi obstricto castitatis voto?

(92) Ex S. Alph., III, 563. Puta, si scalam teneas furi fenestram ascendenti, quam is vel sine scalis ascendisset.

(93) Suar., III, 27, 7; S. Alph., I. 149. Scilicet obligatio ex voluntate eius pendet, in cuius potestate est nullatenus obligare.

(94) Laym., XIV, 3. *Undequaque;* secus enim esset si gravis sit, vel fieri possit ex circumstantiis, v. c., propter scandalum (V. *Genes.*, II, 17).

(95) Lugo, *De Iust.*, VI, 51); Salm., 10, 1, 135; S. Alph., I, 144; VII, 33. *Latae sententiae,* quia poena ferendae sent. videtur imposita terrendi causa; prout in C. 2, *De vita et honest. Clericor.*

(96) Ex Trid., XIV, *De Poeniten.*, VII.

(97) Suar., IV, 18, 3. V. c., *sub interminatione divini iudicii - stricte - in virtute s. obedientiae:* ut in C. 1, *De Sepult.* in 6° (Trid., XXV, *R.*, 5).

(98) D. Th., Quodl. IX, 15; S. Antonin., Par. I, Tit. II, Cap. XI, § 28; S. Alph., V, 52. E. g., utrum peccet graviter Episcopus qui confirmat alio digito, quam pollice dextero; parochus qui in matrimoniis contrahendis omittit ea verba - *ego vos coniungo* - (S. Alph., VI, 166, 1064). Et illi TT. qui contra docent, innumeras, propter conscientiam erroneam, animas perdunt, pro quibus mortuus est Christus.

176. Legem autem transgreditur et is qui facit contra verba legis, sive omittat quod lex fieri iubet, sive admittat quod fieri vetat; et is qui, *verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem* (99): sive id omittat quod lex fieri voluit, fieri autem expressis verbis non iussit; sive *id faciat quod lex fieri noluit, fieri autem expressis verbis non vetuit* (100); quod proprie dicimus agere IN FRAUDEM LEGIS. Porro fraus legi fieri potest innumeris prope modis (101): verum ut fraus legi facta esse videatur, necesse est, ut id quod fit vel omittitur, fieri omittive lege aliqua saltem implicite vetitum sit: nam alias, cui fraus? Etenim quae nulla lege nec explicite, nec implicite praecipiuntur, vetantur, ea quisque iure suo omittit, facit; *et nemo in fraudem agit, qui suo iure utitur* (102).

CAPUT II.

QUAEMADMODUM CESSÉT LEGIS OBLIGATIO, AUT LEX IPSA.

177. Haec duo sedulo distinguenda sunt: legis *obligatio* cessat in casu aliquo speciali quoad aliquem, lege nihilominus manente quoad ceteros; at *lex ipsa* quum cessat, quoad omnes cessat. In eam conditionem se constituere in qua *lex* cessat, utique licet (§ 182); in

(99) L. 5, C. *h. t.* Idest,*qui, salvis verbis legis, sententiam eius circumvenit* (L. 29, *h. t.*, C. 88, *De R. I.* in 6°).

(100) L. 29, *h. t.* V. c., homo dives, aut nobilis, qui, praeter suam conditionem et consuetudinem, vacat servilibus ne ieiunet (S. Alph., III, 1045); praelatus regularis qui peccato, quod sibi reservare prohibetur, adiicit censuram, et hanc sibi reservat (V. S. Alph., VI, 583).

(101) V. Reiff., in C. ult., *De R. I.* in 6°. Et in primis mutatione rerum, vel actuum, vel personarum. *Rerum;* veluti, si lege prohibente pecuniam credere filiofam., ei vendideris aut credideris vinum, oleum, frumentum, ut, his distractis, uteretur pecunia (LL. 4, 9, § 3, *Ad S. C. Macedon.*). *Actuum;* puta, si cui non licet plura beneficia conferre, unum in titulum detur, aliud in commendam quoad vixerit (Ex C. 32, § 1, *De Praeb.* in 6°). *Personarum,* ut ecce, si quod quis non potest donare filio spurio, donet matri (Ex L. 5, § *Verbum, De Donation. inter vir. et uxor.*).

Dixi *in primis,* nam in fraudem legis agit, v. c., beneficiatus, qui non recitat horas canonicas, ut applicet sibi (pauperi) fructus beneficii (S. Alphon., III, 672; IV, 128, in fin.), vel exiguos beneficii sui reditus minoris locat, ne teneatur *quotidie* horas canonicas recitare (Ex L. 1, *De Iurepatron.;* V. S. Alph., III, 674).

(102) L. 56, *De R. I.;* C. 31, *De Elect.*; S. Alph., VI, 569. Hinc, v. c., iure clericus renunciat alteri beneficium religionem ingressurus (Reiff., 1, 9, 28), vel mox per sententiam iudicis amittendum (Moli., IV, 78; 2; Suar., *De Censur.*, XL, 2, 19; Schmalz., V, 37, 98; ibique Croix et Pal.); reus, criminis postulatus, interim a debitoribus exigit (L. 41, *De Solut.*); obstrictus ieiunio bibit vinum, *licet aliquo modo nutriat* (D. Th., 2, 2, 147, 6 ad 2), etsi bibat ne famem sentiat, *in fraudem ieiunii* (Croix, III, II, 1290). Quî igitur, di-

qua cessat legis obligatio (§ 176, n. 102), verius, omnino non licet. Itaque obligatio legis cessat primo quando duae leges contrariae concurrunt. Quod cum fit, gravior servanda erit (1). Si nulla earum praegravat, naturalis divinae praeferenda est, haec humanae (2). Si utraque ad idem legum genus pertinent, primo loco parendum est his quae religionis, tum his quae reipublicae, postremo his quae singulorum intersunt (3): et si omnia singulorum intersint, iustitia, regulariter, caritate prior esse debet (4).

178. Deinde nulla est, regulariter, legis obligatio cum incommodo gravi (5), quae recepta sententia est (eaque utimur), quamvis tan-

ces, agit in fraudem legis is, qui laborat (praeter suam conditionem) ne ieiunet? Nempe quia haec duo consistere nequeunt; qui igitur unum iubet, alterum vetat.

(1) C. 1, Dist. 13 (*Ex Conc Tolet.*); Alas., IV, VII, 12. Hinc, v. c., danda est Eucharistia peccatori occulto palam petenti, ne fama eius oneretur (C. 2, *De O. O.*); occultum matrimonii (iam contracti) impedimentum a parocho dissimulandum est, si deteriora timentur (C. 6, *De Consanguin.*). Verum, quae sit ex duabus legibus gravior, plerumque aestimari debet ex re praesenti; interdum vero pendet ex usu et receptis moribus. Ut ecce, morituro licet, etsi non ieiuno, communicare; sacerdoti non ieiuno utrum liceat celebrare ad communicandum morituram, non satis convenit: at celebrare in azimis Graeco, in fermentato Latino, certe, huius rei causa, non licet.

(2) S. Alph., II, 51. Hinc non licet, v. c., peccatum in praesens confiteri, si eius confessio alteri graviter sit nocitura: et morituro non licet omittere viaticum, quia ieiunus non est.

(3) Ideo, v. c., non licet prodere sigillum sacramentale, tametsi resp. interitura sit; nec, regulariter, licet prodere secretum commissum, auxilii vel consilii petendi causa, etiam cum damno innocentis.

(4) V. S. Alph., III, 689. Hinc ab herede, si hereditas omnibus solvendo non est, debita hereditaria prius solvenda sunt, quam legata. Dixi *regulariter,* nam iustitiae praevalet caritas, quando debitor nequit restituere sine gravi damno superioris ordinis; vel eiusdem, sed longe graviori, quod nempe caritas iubet creditorem pati, de quo suo loco dicendum erit. Articulum hunc de collisione legum, seu iurium, late et nove prosequitur cl. Victor Constantini (*Instit. Theolog. Moral., De Actib. human.*, § 39 etc. Prati, 1881).

(5) Ex C. 2, Dist. 4; Suar., I, 9, 17; V, VII, 9, 15; Salm., 11, 2, Pun. 7, contra Caiet. docentem omnes leges obligare vel cum vitae periculo. Dices: lex ea tantum praecipere non posse dicitur quae fieri non possunt (C. 6, *De R. I.* in 6°). Ita porro; verum, *illud possumus quod commode possumus* (Fagnan., in C. *Ad audientiam,* 3, n. 2, *De Eccles. Aedif.*). Sive humanae illae sint, ut ieiunium; seu divinae (V. I *Regum,* XXI, 6; *Matth.,* XII, 3), prout integritas confessionis; seu naturales (V. Suar., II, CC. 13, 14), velut caritas, restitutio, votum. Nec oberit quod tute forte culpa tua conieceris te in incommodum huiusmodi (§ 171, n. 59 in fi.). Dices: atqui monialis, quae graviter aegrotat, non potest egredi e monasterio ad curandam valetudinem iniussu R. Pontificis. Ita porro; verum quia id expedit disciplinae regulari (Salm., 11, 2, 133), et ipsa, sponte sua, hac lege se obstrinxit.

tum probabilis (6). Verum haec regula non est perpetua: excipiuntur, I. leges naturales, cum aliquid vetant; hae obligant etiam cum vitae dispendio, quippe ea quae vetant, sunt *per se* mala. II. Leges divinae quae aliquid praecipiunt, quod suapte natura praestari nequit citra incommodum grave (7). III. Leges seu naturales seu divinae, quoties id quod iubent necessarium est ad aeternam salutem necessitate medii (8). Demum, IV. leges humanae, quo magis religionis, vel reipublicae intersunt, eo maiori cum incommodo obligant; ut puta, quae iubent denunciari sacerdotes sollicitantes; et quandoque cum incommodo vel gravissimo obligant, nempe cum

(6) S. Alph., IV, 154; ibiq. Collet, Roncagl., Sanch., Salm.; dummodo sit vere graviterque probabilis. Et in dubio (positivo) ne legem implendo valetudo periclitetur, nec implere eam licet; utputa, si, laborans adversa valetudine, metuas, ne si ieiunaveris, in morbum incidas (S. Alph., III, 325, 1036, v. *Nec*). Sed utrum, in dubio huiusmodi, petenda sit a Superiore dispensatio, si is commode adiri possit? Affirmat Suar. (VI, 8, 9). Verum Salm. et S. Alph. (*ll. cc.*) id negant. Et rectius, nam si lex cessat, quorsum dispensatio? Nisi incommodum dubium appareat (V. S. Alph., I, 97).

Porro incommodum accipimus seu, 1° corporis, v. c., si aegroto ieiunandum esset; seu, 2° existimationis, veluti si quis quod clam surripuit nequeat restituere quin prodat seipsum (S. Alph., III, 653, 698); seu, 3° rei familiaris, seu hoc sit damnum grave, seu etiam amissio lucri *extraordinarii et notabilis* (S. Alph., 301, 1046), velut in homine tenuis fortunae libellae (hodie) circiter 20, in paupere 10 (S. Alph., 332). Amplius, incommodum grave varie aestimari debet tum ex rebus, tum ex legibus. Ex *rebus;* hinc, v. c., parochus qui levi morbo laborat, ab horis quidem canonicis recitandis excusabitur; a sacro faciendo die festo, si alius sacerdos desit, non excusatur. Ex *legibus;* etenim divinae strictius obligant quam humanae (Ex S. Alph., VII, 161): hinc, e. g., quo incommodo quis excusatur ab audienda missa die festo, eodem a communione in Paschate facienda non excusatur. Ad haec, praecepta negativa strictius obligant quam affirmativa, quia haec plus incommodi habent (Lugo, *De Iust.*, XIII, 49); ideo, e. g., caritas facilius excusat eum, qui peccantem non corripit, quam eum, qui scandalum praebet; et iustitia patitur aliena retinere in gravi necessitate, in qua non sineret illa surripere (V. Moli., IV, 202, 14).

(7) V. Croix, VI, II, 1142. Velut confessio sacramentalis. Ratio est, quia *Deus cum instat praecepto, praecurrit auxilio* (S. Leo M.).

(8) V. c., proximas occasiones removere, baptizare infantem in vitae periculo constitutum. Porro necessaria quaedam dicuntur necessitate medii, quaedam necessitate praecepti. Necessaria *necessitate medii* ea sunt, sine quorum ope, finis (vita aeterna) assequi nullatenus potest, prout baptismus infantibus, fides adultis; *necessitate praecepti* quae, si praestari nequeunt, sine ullo discrimine praetermittuntur, ut Eucharistia, ieiunia. Porro interdum quae uni necessaria sunt necessitate medii, alteri sunt necessaria necessitate solius praecepti, et contra: v. c., baptismus, confessio sacramentalis; etenim attritis, necessitate medii necessaria sunt; contritis, necessitate praecepti.

ita fert *consuetudo*, quippe quae *est optima legum interpres* (9). Quin obligant etiam cum discrimine vitae: 1° quoties eas servare est utilius bono communi quam vita singulorum (10); 2° cum aliquid extorqueri vult (v. c., ut quis die esuriali comedat carnes) in contemptum Religionis, aut Clavium (11); 3° si violatio legis scandalum praebet (quod ceteroquin facile removeri potest alios edocendo). Verum haec tria verius recidunt in legem naturalem (V. § 152, n. 4).

179. Lex ipsa autem cessat: 1° si ei derogatum, vel abrogatum fuerit; 2° si finis eius cessaverit *adaequate;* 3° si obsoleverit. Porro legi abrogatur, aut derogatur expresse, vel tacite: expresse, cum legislator eam tollit nominatim; tacite, cum aliquid constituit legi existenti aperte contrarium (12): dixi aperte, quia nec abrogatio, nec derogatio in dubio praesumitur, sed *leges posteriores ad priores trahendae sunt* (13). Amplius; lex generalis nunquam per se derogat statutis et consuetudinibus locorum, quippe quae magis in facto quam in iure consistunt (14). Leges novae, quae superioribus derogant, regulariter strictae interpretationis sunt (15); exceptis his

(9) L. 37, *De Legib.*; C. 8, *De Consuet*, V. c., ne moniales egrediantur e monasterio, iniussu S. Sedis, curandae valetudinis causa. Apud Graecos nefas est, vel animam agentibus, comedere carnes in magna quadragesima (Balsamo, ap. Thomass., *De V. et N. Eccles. Discipl.*, Lib. II, Cap. 83, n. 15).

(10) Salm., 11, 2, 127. Eiusmodi sunt quae, e. c., vetant sacerdotibus, medicis recedere tempore pestis; militi stationem deserere tempore belli (Suar., III, 30, 5; Salm., n. 128).

(11) V. Suar., III, 30; Salm., 11, 2, 130. Aliud iuris est, regulariter, in eo, qui cogitur ad aliquid omittendum, v. ç., sacrum die festo; nam patitur magis quam facit (V. S. Alphon., III, 327, v. *Sic.*),

(12) L. 102, *De V. S.* Ibi: *Derogatur legi aut abrogatur: derogatur cum pars detrahitur, abrogatur cum prorsus tollitur.* V. c., *derogatoria* est lex Trindentini, XXIV. *R.*, 2, quae cognationem spiritualem ad primum gradum coercuit; *abrogatoria* Constit. *Romanus*, Clem. XII, an. 1732, qua privilegia et exemptiones a Ben. XIII concessa Beguinis (§ 106, n. 29) penitus revocavit. Derogatoria simul et abrogatoria est C. *Ap. Sedis*, qua censurae latae sententiae limitantur.

(13) L. 27, *h. t.* Idest, oportet iura iuribus concordare (L. un., C. *De Inoff. Dot.*; C. 29, *De Elect.* in 6°); v. c., cum ex C. 5, *De Reb. Eccl. alien.*, liceat bona Ecclesiae pignori obligare, et in Extr. *Ambitiosae* vetitum sit ea hypothecae supponere, hoc de *speciali* hypotheca intelligendum est (Fagn., in C. *Nulli, Eod. tit.*, n. 30; V. Reiff., III, a n. 500).

(14) C. 1, *De Const.* in 6°. Immo nec specialibus legibus derogat; quae communissima Canonistarum sententia est (Fagn., in C. *Cum esses*, n. 88, *De Testam.*).

(15) Ex L. 27, *h. t.*; C. 27, *De Elect.* in 6°; Suar., VI, 27, 4. Et maxime si lex nova recedat a ratione, vel aequitate iuris, vel aliquid odiosum contineat. Sed haec regula difficilis est.

quae favorem continent; nam, cum favores sint ampliandi, latam interpretationem recipere verius est (16).

180. Finis (ratio) legis cessare dicitur vel contrarie, vel privative: *contrarie*, si lex evaserit noxia; *privative*, si inutilis tantum (17). Itaque cessat lex, si finis eius cessaverit *adaequate*, idest ex omni parte, et quoad omnes; aut saltem quoad maiorem civium partem, utcumque cessaverit; quo enim inutilis lex (18)? Non item si cessaverit tantum ex parte, licet quoad omnes (19); vel ex toto (quae nunc recepta sententia est), sed quoad singulos tantum (20); quia publice interest partes non esse a toto discordes. *Nihilominus*, si finis legis in aliquo casu cessaverit *contrarie*, adeo ut haec servari nequeat sine incommodo gravi, cessat in eo casu legis obligatio (21).

181. Demum cessat lex, si obsoleverit, idest si in desuetudinem abierit. Hoc non pertinet ad leges naturales, et divinas; immo nec

(16) Cf. Everar., *Topic.*, VII, loc. 79; Voet, I, 3, 44; Reiff., I, II, a n. 509.

(17) Lugo, *De Fide*, XXI, 62, etc.; Van Roy, *h. t.*, Cap. IV, q. 2; Cf. Suar., VI, 9, 2.

(18) Suar., VI, IX; Laym., Cap. XXI, 3; Salm., 11, 4, 3; Ex C. 60, *De Appellat.*; D. Th., I, 2, 103, aa. 3, 4; S. Alph., I, 199. Scilicet non amplius rationi congruit (Lugo, n. 54), velut *Actor.*, XV, 29: ex hoc capite lex mosaica antiquata fuit (*Hebr.*, VII). Nec reviviscit, si postea causa redierit (Ex L. 83, § *Sacram.*, *De V. O.*). Ut puta, si tempore belli vetitum fuerat urbe excedere, rebus compositis lex evanescit; nec reviviscit, si postea denuo bellum exarserit (Salm., cit. n. 3; V. *Iosue*, V, 6). Porro abrogatio retrorsum non valet, et planum est: ideo iura et obligationes ante eam iam quaesita salva permanent (Ex L. 7, C. *h. t.*; C. 2, *De Constit.*). Sed de hoc serius.

(19) Laym, *l. c.*; Salm., 11, 4, 2.

(20) Suar., VI, 7, 3; Lugo, *De Poenit.*, XXIII, 9. Scilicet, uti lex non constituitur pro casibus particularibus (§ 161, n. 14), ita, constituta, in casu particulari non cessat (Ex L. 1, § 1, *De Minor.*; D. Th., 2, 2, 88, 9; V. Suar., VI, 9, 16). Quapropter nemo solvitur lege baptismi, vel poenitentiae, quantumvis contritus; nec ieiunio, vel abstinentia a ciborum delectu solvitur is, qui nullo prorsus, sive ex illo, sive ex ista, afficitur incommodo. Et haec sententia omnino tenenda est, quia singulorum arbitrio relinquere quando lex cesset privative, aleae plena, et publice perniciosa res foret (Lugo, *De Fide*, XXV, 64, etc.). Et re quidem vera, nemo dixerit, fas esse parochis mixta matrimonia coniungere, vel omissis publicationibus, quod *illic* cesset nemo perversionis periculum, *hic* suspicio cuiuslibet impedimenti. Excipienda sunt praecepta caritatis, quae ad proximum subveniendum pertinent, quia opem ferre inutilem, vel nolenti, stultum est; velut in praecepto correctionis fraternae: *Ubi exauditus non es, non effundas sermonem* (*Eccli.*, XXXII, 6). Hoc exemplo freti Silvest., Caiet., Navarr., Valent., aliique, contrariam sententiam tenuerunt (V. S. Alph., I, 139), et multos torsit (V. Suar., VI, 9, 15) qui nec ipse satis feliciter eo se expediit.

(21) Suar., VI, 7, 3, etc.; V. § 178, n. 5.

ad eas Ecclesiae leges, quae christianos mores tuentur, vel nexum ecclesiasticae disciplinae (22). Ceterae (de civilibus viderint I. C.) abrogantur vel derogantur voluntate legislatoris, vel interpretativa, vel praesumpta; sive, uti vulgo dicitur, *via praescriptionis*, aut *conniventiae*. Priori modo, verius, decennio (23); posteriori citius, aestimatione boni viri (24). Et quando utrumque nititur legislatoris voluntate, illud non quaeritur, utrum consuetudo fuerit introducta bona fide, an mala (25). Ceterum, si dubitetur, utrum lex abrogata fuerit, vel utrum finis eius cessaverit adaequate, vel demum an ipsa obsoleverit, semper pro lege respondendum foret, quia lex possidet: nihilominus in dubio positivo, si vere probabile sit, legem abrogatam, vel contraria consuetudine deletam fuisse, vel finem eius prorsus cessasse, plures tenent, in his S. Alph., pro libertate respondendum esse (26).

182. At vero, etsi neque lex cesset, neque legis obligatio, fas est se eximere legi (et non tantum legis obligationi, quae duo maxime (§ 177) distant), aut se in eum *statum* transferendo (v. c., su-

(22) Ex C. 5, *De Consuet.*; Cf. Suar., Lib. VII, C. 18. V. c., ne parochi resideant in suis parochiis, ut liceat vesci carnibus quibusvis diebus esurialibus, ut vacare quibusvis servilibus diebus festis.

(23) Suar., VII, 15, 5; 18, 12; S. Alph., I, 107, 139; Less., II, 6, 46; Lugo, *De Iust.*, VII, 94; Pirhin., I, 4,39; Reiff., I, 4, 105; Schmalz., I, 4, 20. Et in hanc sententiam inclinat vel ipse Ben. XIV (*De Syn.*, XIII, 5, 4), quasi veriorem ex iure communi (Ex tot. Tit. C. *Quae sit long. consuet.*; L. 10, *Si servit. vindic.*). Qui autem exigunt an. 40 ex C. 21, *De Consuet.*, consuetudinem cum praescriptione confundunt; quod vel ipsi Suaresio (VII, 18, 24) merito displicuit (Cf. Less., n. 46).

(24) Less., II, VI, 45; Suar., VII, 18, 17; Reiff., I, IV, 95; Ex C. 3 *De Cognat. spirit.* Et innuit D. Th., 1, 2, 97, 3, ad 3. Et si nova lex a subditis non fuerit recepta (V. § 203), cessat *etiam post paucos actus* (Bened. XIV, *De Syn.*, XIII, 5, 3).

(25) Suar., VII, 18, 24; Salm., 11, 6, 12. Verum quando introducitur mala fide, initio omnes peccant, et puniri possunt; et si poena est latae sententiae, ipso iure eam incurrunt (Suar., VII, 19, 10): post elapsum decennium, et poenae, et culpae sunt expertes (S. Alph., I, 107, II): medio tempore, Salm. (n. 13), ibiq. Caiet., Soto, Laym., Pal.; et S. Alph., (*l. c.*), docent non peccare eos qui consuetudinem contra legem sequuntur, a maiori parte introductam.

(26) S. Alph., III, 290, in fin. *Quando probabile est, quod lex abolita sit, cessat praesumptio pro lege, et possidet libertas* (S. Alph., 112, v. *Secunda*). Item in dubio de consuetudine derogante legi, *si probabile sit adesse consuetudinem. Et sufficit, ut dicunt Salmant., dictum unius Doctoris eximii, qui consuetudinem afferat* (cit. n. 290); *vel asserentis legem abrogatam esse, ut a lege deobligemur* (Id., Lib., I, 107, II, v. *An vero*). At enim Sacrae Congregationes Urbis non admittunt consuetudines contra SS. Canones, quibus nempe tuendis ipsae constitutae sunt (Rigant., *Ad Reg. Canc.*, I, § VIII, n. 152); nisi inveteratas prorsus, et universales: quod velim ne excidat.

scepto aliquo munere publico) qui a lege immunitatem praestat, aut discedendo, vel ad tempus, in eum *locum* in quo ea lex non obtinet (27). Scilicet lex obligat subditos, quamdiu subditi sunt; ut subditi maneant, non obligat (28): et ne alio discedat, quasi adscriptitiis, ne vetare quidem potest. Et si quis discedat non amplius reversurus, idest domicilio vel quasi domicilio relicto, subditus esse desinit, ac proinde his quoque legibus solutus est quae aliquid faciendum iubent sub conditione vel ex die, si ante diem vel pendente conditione discesserit (29). Sed V. § 86, n. 37.

183. Ad extremum, quia singuli non ligantur lege, nisi mediante scientia illius (§ 162), a transgressione legis excusat interdum ignorantia vel error. Verum ignorantia dispicienda est: 1° quoad culpam; 2° quoad lucra; et 3° quoad valorem actus. Quoad culpam, involuntaria excusat in foro interno, si feceris nihil practice dubitans; in externo, si ignorantia *probabilis* videatur (30), idest si non fuerit *crassa et supina* (31). Quoad lucra vel damna, regula iuris est: *Ignorantia facti, non iuris, excusat* (32). Nihilominus suum pe-

(27) Ex L. *Si quis postea*, 7, *De Iudic. et ubi quis*; Salm., 11, 2, 158; S. Alph., I, 156, v. *Non*; III, 1046,

(28) Baller., ad Gury, I, 110. Proinde licet, e. c., beneficium petere in Ecclesia R. P. immediate subiecta, quo quis eximatur iurisdictioni Ordinarii; quasi domicilium sibi constituere in eo loco in quo C. *Tametsi* Conc. Tridentini non obtinet, ut in eo matrimonium contrahere possit sine parocho et testibus (Ben. XIV, Notif. 33, 9); quod et a S. C. C. definitum fuit, probante Urbano VIII, 14 aug. 1627. Nec ideo dicendum est, eum agere in fraudem legis, etenim suo iure utitur. Dixi *legi, et non etc.;* nam quamdiu sub lege est, non licet se subtrahere legis obligationi, secus ac Bonaci., Salmant., aliisque paucioribus visum fuit. *Communissima* (Croix, III, II, 1334; S. Alph., III, 1045; V. § 171, n. 60).

(29) Filiucc., XI, 73; V. Suar., *De Censur.*, III, 5. Scilicet quod praecipitur sub conditione aliqua, vel ex die, tunc praecipi intelligitur cum impletur conditio vel dies venit (V. Suar., *De Censur.*, III, IV, 10, etc.): quamobrem, si eo tempore aut alter superior (V. § 77, n. 62), aut alter subditus (Suar., III, V, 2, etc.) esse desiit, lex, praeceptum evanescit. Proinde si Episcopus, lege lata inconsulto Capitulo, iusserit singulis mensibus ianuariis stipem conferri pro reparandis ecclesiis; vel ignotum furem sacrilegum intra mensem denunciari, sub poena excommunic. latae sentent.; vel absolutos in gravi necessitate a peccatis, in sua dioecesi reservatis, superiori se praesentari intra mensem, si medio tempore aut ipse, v. c., mortem obierit, aut tu alio transtuleris domicilium, lex evanescit.

(30) C. 9, *De Cler. excomm.;* Trid., XXIV, *R. M.*, 5. Nec refert utrum tantum vincibilis fuerit, an crassa et supina.

(31) Ex C. 2, *De Const.* in 6°; L. 6, *De Iur. et facti ignor.* Praesumitur autem crassa et supina, si omnes in eo loco sciant quod tu solus ignoras (L. 9, § 2, *Eodem*; Sayr., I, 18, 4).

(32) C. 13, *De R. I.* in 6°; LL. 2, 9, pr., *De Iur. et facti ignor.* Ex C. Gall. (ius commune praetereo), erroris iuris et facti eadem ratio esse videtur (Zachar., § 28; ibique Toull.,

tentibus aut repetentibus, regulariter, nec ignorantia iuris nocet (33), *quia nemo locuples fieri debet cum aliena iactura:* nisi de eo iure agatur, quod competit ex sola potestate legis civilis, et tu, legem ignorans, eo iure, suo tempore, usus non sis (34). Demum, quoad valorem actus, cum falsa nostra existimatio non mutet rei veritatem, non prodest ignorantia legis, involuntaria licet prorsus, et invincibilis: sed de hoc, quia pertinet ad leges inhabilitantes, et irritantes, latius infra. Utrum excuset a poenis, alibi dicendum erit.

APPENDIX.

DE INTERPRETATIONE LEGUM.

184. Interpretatio legis est: *Explicatio sensus in lege contenti* (1). Triplex est: authentica, usualis, et doctrinalis. *Authentica* dicitur quae prodit ab ipsomet legislatore, vel successore eius: haec instar legis est (2). Verum quia *is qui interpretatur, nihil novi* statuit, *sed* statutum *significat* (3), non eget publicatione, et valet retrorsum (4): excepta ea quae legem coercet, vel protrahit (5). *Usualis*

Merlin., Delvinc.). Contra, ex C. Au., nunquam prodest iuris ignorantia praeterquam si quid indebitum solutum sit (§§ 2, 1431, 1436). Iure nostro idem pene ac Gallico dicendum videtur: nam quando obesse voluit, id expressit nominatim (C. G. 1356, 2052; It. 1360, 1772). Sed de hoc melius suis locis.

(33) LL. 7, 8, *Eod.;* Laym., 20, 7. Et in primis puta si quid indebitum solverim; puta ex testamento, quod revocatum vel non iure factum esse ignorabam (Ex § 6, *De obligat. quae quasi ex contr.;* ibiq. Vinn., n. 3). Heic valet illud; *Nemo ignorans rem suam amittit* (L. 35, *De A. R. D.*). Nisi in aliquo casu aliud in legibus comprehensum sit, ut ecce in usucapionibus (L. 31, *De Usucap.*).

(34) V. L. 9, § *Si quis, De Iur. et facti ignor.* Puta si heres falcidiam (iure communi) e legatis non detraxit (cit. § *Si quis*); si unus ex fideiussoribus non sit usus beneficio divisionis, et solidum solverit (L. 40, ff.; LL. 10, 11, C. *De Fideiuss.*). Scilicet *ius vigilantibus scriptum est:* et *omnia quae iure contrahuntur, contrario iure pereunt* (L. 110, *De R. I.*).

(1) Alasias, IV, IX, Art. 1. § 2. – *In lege,* idest in verbis quibus legislator voluntatem suam expressit. Ex quo patet, ea quae heic dicturi sumus, ad leges naturales non pertinere.

(2) LL. 9, 11, C. *h. t.* Ut Mp. S. Pii V, quo declaratur, cognationem spiritualem a coniuge patrini (C. 4, *De Cogn. spir.*) hodie (Trid. XXIV, *R. M.*, 2) non contrahi. Nostri *declarationes* appellant.

(3) Ex L. 21, § 1, *De Testam.* – *Qui declarat, nihil dat* (Barbo., *De Diction. usu frequent.*, n. 80); *sed est velut is qui excutit grana e spicis* (Fagnan., in C. *Quoniam,* n. 43, *De Constit.*

(4) Ex L. 3, C. *De Pact pignor.* – *Tamquam si lex ab initio cum interpretatione* tali *promulgata* fuisset (Novella 143, in fin., C. Auth., Collatio IX). Ut ecce LL. 8, 9, C. *De incest. nupt.,* quibus matrimonia inter consanguineos; et Mp. Xysti V, *Ex frequenti,* quo spadonum matrimonia, sive ineunda sive iam inita, irrita declarantur.

(5) Suar., VI. I, 3. et facit (C. 36, *De S. E.*). *Coercet;* v. c., quae statuit privilegium *canonis* non competere clericis qui non incedunt in habitu et

dicitur quae usu et consuetudine est introducta: *est autem optima legum interpres consuetudo* (6). Huic proxima est constans omnium pene DD. interpretatio. Inde regula: *Minime sunt mutanda, quae interpretationem certam semper habuerunt* (7). Denique *doctrinalis* est ea, quae a privatis DD. manat; de qua solum hic: materia per quam necessaria, verum implexa, obscura, difficilis, et Nostris, paucis exceptis, minime familiaris (8).

tonsura (C. un., *De Cleric. Coniug.* in 6°). *Protrahit;* v. c., quae latam in percussores clericorum excommunicationem produxerant ad mandantes (C. 6, *De S. E.*). Adde C. 1, *De Iuram. Calumn.* Hae igitur indigent publicatione (Reiff., I, II, 374; S. Alph., I, 200; III, 1027, v. *Hinc*). *Communissima.* Quin plerique has solas veri nominis interpretationes esse docent (Reiff., n. 376; S. Alph., *ll. cc.*); nec sine iure (V. L. 11, § pen., C. *De Legib.*): et eas quae verba legis explanant, *declarationes* appellant. Et plures docent, has quoque egere interpretatione, si verba obscura sint, et inter DD. controversa (S. Alph., I, 106, v. *Secunda*; 200, v. *His positis*; III, 1027, v. *Hinc*); et est communis sententia. Porro authenticae sunt omnes interpretationes, quae Romae prodeunt a S. Rit. Congr. in forma Decreti, et cum clausula, *ut serventur* (S. Alph., VI, 401): scilicet S. R. C. est organum Papae (Ex Const. 74 Xysti V). Non item quae ab aliis SS. Congreg. prodeunt: ideoque non habent vim legis, nisi R. P. eis *Apostolicae firmitatis robur adiecerit*; prout Decreto S. U. I., 11 febr. 1661, de sollicitantibus (V. Albit., Cap. 35, 66), adiecit Bened. XIV in Const. *Sacramentum Poenitentiae,* § 1; aut saltem nisi iussu Eius *publicatae* (et non tantum editae) solemniter fuerint (Suar., *l. c.;* Sanch., *M.,* VIII, 2, 10; Salm., 11, 3, 30; De Iustis, I, IV, 361; ibiq. Pontius, Laymann, et P. Leo in *Praxi Sacr. Poenit.;* S. Alph., I, 106); nec *tollunt probabilitatem* sententiae contrariae (Salm., 10, 2, 56; V. S. Alph., VI, 556); *nec eis proinde necessario standum est* (S. Alph., VI, 593; *H. A.,* XV, 87; Sanch., *M.,* VIII, 3, 6); *nisi in Ecclesia universaliter et usu plurium annorum divulgatae fuerint* (S. Alphon., *QQ. RR.,* II, 2: V. § 39, n. 11; 110, n. 9).

(6) L. 37, *h. t.;* C. 8, *De Consuet.* V. c., ut hi qui sunt in letali, ad Eucharistiam non *probati* (I *Corinth.,* I, 15), idest non *confessi* (Trid., XIII, *De Euch.,* 7), minime accedant. Et quoad illud Christi: *Dico vobis, non iurare omnino* (*Matth.,* V, 34).

(7) L. 23, *h. t.* Ne in odiosis quidem. V. c., in C. 1, *De S. E.* in 6°, cautum est, irregularitatem contrahere eum qui *celebrat* in loco interdicto: *celebrare* heic accipere debemus, *quaevis divina officia peragere,* iuxta omnium interpretationem (Suar., *De Censur.,* 34, 4, 15). Quod eo magis valet in non odiosis. V. c., in C. 29, *De S. E.,* cautum est, excommunicationes Pontificias non reservatas posse absolvi *ab Episcopo,* VEL *proprio sacerdote:* reservatas, si R. P. adiri nequeat, item *ab Episcopo* VEL *proprio sacerdote absolvi posse.* Porro ex constanti DD. interpretatione, 1° *proprium sacerdotem* accipimus quemvis confessarium; 2° adverbium *vel* in priori casu cumulative, in posteriori subrogative intelligitur (S. Alph., VII, 92); demum, 3° haec omnia trahimus etiam ad suspensiones et interdicta. Sed nec ea mutare, regulariter, consultum est, quae a maiori parte TT. recepta sunt, quippe exhibent quasi *sensum communem TT.* (V. S. Alph., VII, 343).

(8) V. Suar., Lib. VI per tota priora 8 Capita; et Reiff., Lib. I, Tit. II, §§ XV-XVII.

184[2]. Haec igitur definitur: *Voluntatis legislatoris, in re obscura, diligens investigatio. Voluntatis* etc., quia *lex est quod legislator voluit;* in *re obscura*, quia *in manifestis non est opus interpretatione, sed executione* (9). Porro voluntas legislatoris ex verbis legis in primis petenda est (10); *cum nulla in verbis est ambiguitas, non debet admitti voluntatis quaestio* (11), sed tenendum est, non *aliud* legislatorem voluisse, neque *minus,* neque *plus,* quam verba demonstrant. Nihilominus, quia *scire leges non est verba earum tenere, sed vim et potestatem* (12), si verba sic uti sonant accipere absonum videatur; et in primis si iniquum forte, vel absurdum, vel alienum a re qua de agitur, iustae interpretationi erit locus (13). Nempe *declarativae* (Nostri *comprehensivam*, neoterici I. C. *grammaticalem* appellant), si quid obscurum verbis irrepserit; *ampliativae,* si haec minus; *restrictivae,* si plus quam legislator voluit (*logicas* vocant), continere videantur.

184[3]. A declarativa ordiendum. Principio igitur haec regula esto: *In re dubia, melius est verbis edicti servire* (14). Verba autem ea significatione accipienda sunt, quae propria, et usu, seu vulgari, seu iuris, recepta est (15). Ab hac autem *recedi non oportet, nisi*

(9) D. Th., 2, 2, 120, 1 ad 3.

(10) Ex L. 67, *De Legat.,* III. *Quorsum enim sunt verba, nisi ut demonstrent voluntatem dicentis?* (In L. 7, *De suppell. leg.*). Recte igitur S. Alph., cum Trid. (XIV, *De Poenit.,* CC. 2, 3) edixerit materiam confessionis esse dumtaxat peccata *post* baptismum admissa, exclusit (contra communissimam TT.) admissa in ipsa susceptione baptismatis (S. Alph., VI, 427).

(11) L. 25, *De Legat.,* III; V. Averani, Lib. III, Cap. 19. Ab hac regula plus aequo recedunt plures ex Nostris, abutentes ea regula iuris Canonici quod, *non intentio verbis, sed verba intentioni debent deservire* (C. 15. *De V. S.*). Et negotium est aleae plenissimum, quia *certum quod sequantur nihil habituri erunt, qui semel a scripto recedere consueverint* (Tullius, *De Inventio.,* Lib. II, n. 28).

(12) Ex L. 17, *h. t.*

(13) Ex L. 19, *Eod.*; Suar., VI, 5, 3. INIQUUM; ius enim est quod *aequum ab iniquo secernit, licitum ab illicito* (L. 1, *De Iust. et Iure*); ABSURDUM, quia lex est *vivorum prudentum consultum* (L. 1, *h. t.*); ALIENUM etc., nam quod est huiusmodi, vix non absurdum, aut ridiculum est.

(14) L. 1, § *Sed si sciente*, 20, *De exercit. action.*; D. Th., 1, 2, 96, 6 ad 2. *Alias nihil esset certum in legibus* (Suar., VI, 1, 7).

(15) Ex L. 7, *De Suppell. leg.*; C. 7, *De Sponsal.* - *Propria:* itaque cum statutum sit, cognationem spiritualem contrahi cum baptizato (vel confirmato) eiusque *patre et matre* (§ 66), filios haereticorum arcendos ab officiis et beneficiis ecclesiasticis, patrem, matrem, filium accipere debemus naturales, non adoptivos (Sanchez, *M.*, VII, 54, 15; Albizi, 24, 138; Suar., *De Censur.,* 43, 3, 2; Filiucc., 20, 238). *Usu, seu vulgari:* ideo v. c., poena statuta in eos qui legunt, vel retinent improbatae editionis *libros,* tenet et eos qui *vel unum* retinent, legunt (Ex L. 148, *De V. S.*); *seu iuris:* puta cum dicimus *patrem-*

cum MANIFESTUM *est aliud sensisse* legislatorem (16). Tenendum est autem, legislatorem aliud sensisse quoties lex verbo tenus vitio non caret; et in primis si lex foret iniusta (17), vel absurda (18), vel inutilis (19). Heic igitur necesse est, qua mente quid dictum fuit animadvertere. Quocirca ante omnia explorare oportet, quid agatur, et eam interpretationem sequi, quae rei de qua agitur est aptior (20); tum eam quae ceteris legibus melius cohaeret (21); demum eam

familias (§ 54, n. 56), *minorem* (§ 33), *toleratum, vitandum* (§ 77, n. 53) etc. Usu, inquam, eius temporis quo condita fuit lex; v. c., cum quis concubinam habere permittitur (C. 4, Dist. 34), cum vetatur (Trid., XXIV, *R. M.*, 8). Vel cum dicitur, ut sine titulo, excommunicati aut irregularis facta ordinatio, *irrita, vacua, nulla habeatur* (CC. 1, 2, Dist. 70). Item cum dicimus *pertinaciam* quoad haeresim; delectationem *morosam* in lubricis, etc.

(16) L. 67, pr., *De Legat.*, III; L. 15, § *Aliud, De Excus. Tut.* Immo manifestissimum (L. 3, C. *De Liber. praeter.*). Prout, v. c., *Non alligabis os bovi trituranti* (*Deut.*, XXV, 4); *numquid de bobus cura est Deo?* (I *Corinth.*, IX, 9). Quocirca ridicule prorsus quidam Monachi, ob ea Christi verba: *Qui non accipit crucem suam,* etc., cruces ligneas perpetuo gestabant; nec, nisi eis onusti, prodibant (Cassian., *Collat.*, VIII, 3). Haec interpretatio dicta est *pharisaica,* a phariseis, qui iussi legem Dei ob oculos *semper* habere, illam descriptam philacteriis circum brachia involutis, continuo gestabant.

(17) L. 15, § *Aliud, De Excus. Tutor.*; Suar., VI, 2, 7. V. c.: *Non tradas servum domino suo, qui ad te confugerit* (*Deut.*, XXIII, 15), nempe si eum quaerit *ad occidendum, vel ad aliquod peccati ministerium* (D. Th., 1, 2, 105, 4 ad 2). Item: *Qui non* ODIT *patrem suum vel matrem, non potest meus esse discipulus* (*Luc.*, XIV, 26). V. C. G., 1736, 1737.

(18) C. 6, § 1, *De Maiorit.*; Suar., *l. c.* V. c., *furiosus ef furiosa matrimonium contrahere non possunt*; *sed si contraxerint* (intellige, cum suae mentis fuerunt) NON *separentur.* Et quod in C. 2, *De Apostat.*, cautum fuit, acolytum ministrantem presbytero rebaptizanti fieri irregularem, iure merito de subdiacono quoque et diacono ministrantibus, eoque magis de rebaptizante, acceptum est. Item in L. 12, *De Sepult.*, iubetur corpora excommunicatorum, *in coemeterio* condita, exhumari et procul iactari: quis dixerit aliud iuris esse, si sepulta fuerint in ecclesia?

(19) Ex L. 1, § ult., *ad Munic.*; Suar., cit. n. 7. Veluti si aliqua ecclesia dicatur subesse Romano Pontifici (C. 10, *De Priv.* in 6°); nisi intelligas *immediate,* idest exemptam a potestate Ordinarii.

(20) Ex L. 17, § *Sed si, Locati*; L. 68, *De R. I.* Idcirco tota lex perlegenda est (L. 23, *h. t.*). V. c., *Qui percutit* servum suum, si is uno vel altero die supervixerit, *non subiacebit poenae* (*Exod.*, XXI, 21): pecuniariae, scilicet, de hac enim eo loco agitur. *Quod Deus coniunxit homo non separet* (*Matth.*, XIX, 6), nempe si matrimonium consummaverint, nam de his loquitur Christus, qui facti sunt una caro. Impuberibus *nullum* animi iudicium est (§ 1. *Quib. non est perm. fac. test.*); intellige, quo testamentum facere possint.

(21) Ex LL. 26, 27, *h. t.*; Suar., VI, 1, 18. Ut puta, cum quis eligi iubetur *plena concordia* (C. 12, *De Sent. et re iud.*), plenam accipimus maioris partis eligentium (C. 3, *De iur. patr.*).

quae magis convenit aequitati (22): ideoque, in odiosis, stricta interpretatione utendum erit; in favorabilibus, lata (23), quantum proprietas verborum permiserit (24).

(22) L. 91, *De R. I.* Scilicet *ius est ars boni et aequi* (L. 1, *De Iust. et Iure*). Porro aequitas in naturalem et civilem diducitur. *Naturalis* aequitas iustitia est; ut puta cum dicimus, hoc *natura aequum esse,* neminem cum alterius iactura fieri locupletiorem (L. 14, *De Condict. ind.*). *Civilis* multipliciter dici solet, sed in primis ea quae moderatur rigorem iuris; v. g., cum dicimus, *summae aequitatis esse, eum qui donationis causa pecuniam promisit, de mora solutionis usuras non debere* (L. 22, *De Donat.*). Cui non congruit ratiocinari *ex apicibus iuris* (L. 29, § 2, *Mandati*), idest ex *subtilitate* iuris (L. 17, *De iniusto rupt. testam.*); v. c., qui uno vel altero die abest a choro, vel aliud pro alio officium recitat, propter materiae parvitatem non peccat graviter (S. Alph., III, 675; IV, 161); ergo, quia officium unius diei cum alterius diei officio non coalescit, nec is qui id facit quotidie, vel saepius: qui singulis modicum surripit leviter peccat; ergo quamvis ex omnibus furtulis praedives sit factus (V. Lugo, *De Iustit.,* XVI, 48; S. Alph., III, 534). Quamobrem ab his TT. cavendum est, qui omnia subtilius prosequendo, haud raro, ut S. Gregorii M. verbis utar, *nimia subtilitate falluntur. In legibus* (ait Iustin., § 7, *de Fideic. hered.*) *magis simplicitas, quam difficultas placet.* Sed nec ex *rigore iuris* ratiocinandum est, quippe hoc durum est semper, et interdum est iniustum. *In omnibus,* ait Paulus I. C., *maxime tamen in iure, aequitas spectanda est* (L. 91, *De R. I.*). Verum de his quae consistunt in sola aequitate, *nihil in perpetuum, neque generaliter definire licet* (Ex L. 14, *De Divers. et tempor.*). Nihilominus liceat his regulis uti: *semper in dubiis benigniora praeferenda sunt* (L. 57, *De R. I.*), et: *leges benignius interpretandae sunt, quo* VOLUNTAS *earum conservetur* (L. 18, *De Legib.*). Proinde *in re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus iustius est, quam* TUTIUS (L. 153, § 1, *De R. I.*).

(23) C. 15, *De R. I.* in 6°. Ibi: *Odia restringi, favores convenit ampliari.* Hac re, v. c., cum in C. *Ap. Sedis,* SIMONIA excommunicatione coerceatur, simoniam accipimus *iuris divini,* quae vere ac proprie simonia est (S. Alph., III, 108). Contra, cum statuitur, filios illegitimos legitimari posse, si ex his parentibus nati sunt, qui vir et uxor esse potuissent cum eos *susceperunt,* suscepisse accipimus, in iure canonico, sive cum *concepti,* sive cum in lucem *editi* fuerunt (Eng., IV, 17, 11; Sanchez, *M.,* VIII, 7, 19; Pont., *M.,* XI, 3); nisi aliud moribus regionis (Ben. XIV, ad Archiep. S. Dominici, *Bullar.,* To. I, n. 213), aut legibus (V. C. G., 335; It., 180, 195) statutum sit.

Utrum vero lex sit favorabilis, an odiosa, hoc aestimari debet (nisi Legislator aliud edixerit), non ex fine ultimo legis, alias omnes leges poenales erunt favorabiles (Lugo, *De Fide,* XXI, 34), sed ex materia (Suar., V, 2, 6). Odiosae igitur cum primis sunt: 1° leges poenales; 2° irritantes; et, 3° derogatoriae (Suar., n. 15). De his postremis autem regula est: *Leges posteriores ad priores trahendae sunt* (L. 26, *De Legib.*); idest, cum prioribus, quantum fieri poterit, nisi forte penitus abrogatae fuerint, componendae. Et si lex uni sit favorabilis, alteri onerosa, ex fine eius aestimari debet utra ea sit (Ex L. 40, *De condit. indeb.*; Suar., n. 12), ut ecce quae concedunt restitutionem in integrum.

(24) Sanch., *M.,* VIII, 1, 5.

185. Deinde tenendum est, verba legis neque plus continere, neque minus quam legislator voluit. Proinde, si specialiter concepta sint, specialiter accipienda erunt (25); sin generaliter, *ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus* (26); tam in favorabilibus, quam in odiosis (27). Verum si a recta ratione alienum videatur

(25) Ex L. 9, pr., *De Suppell. leg.;* L. 65, § *De Viro, Sol. matrim.;* L. *Uxorem,* 39, § *Legaverat, De Legat.* III; C. 4, in fin., *De Transl. Episc.;* V. Suar., VI, Cap. 3. - V. c. in C. 9, *De usuris,* pecunia usuraria adiudicatur pauperibus; non recte hoc a quibusdam extenditur ad pecuniam simoniacam. Item, cum Trident. iusserit: *Si necessitate urgente* SACERDOS (*letalis sibi* CONSCIUS) CELEBRAVERIT *absque praevia confessione, quam primum confiteatur* (XIII, cap. 7), perperam quidam hanc legem ad *laicos* extendunt (V. Lugo, *De Euch.,* XIV, 138); vel ad eos Sacerdotes qui, *post* missam celebratam, letalis meminerint (V. S. Alph., VI, 267). Hic valet regula: *Legislator quod voluit expressit, quod noluit tacuit* (Ex C. 12, *De Decim.;* C. 2, § 1, *De Transl. Episc.*).

Huc accedunt aliae duae regulae: 1° *Exceptio legis firmat regulam in contrarium pro casibus non exceptis* (Ex L. 18, *De testib.;* C. 12, *De iudic.*). V. c., licet Episc. dispensare in irregularitatibus *ex delicto* occulto (Trid., XXIV, *R.,* 6); ergo in irregularitatibus *ex defectu* non licet. 2° *Inclusio unius est exclusio alterius* (Ex L. 4, § *Si cui, De penu legata*); quam vocant *a sensu contrario:* e. g., urbe interdicta, permittitur his qui interdicto causam non dederunt, alio audire divina (C. 16, *De S. E.* in 6°); ergo his qui dederunt causam interdicto, vetatur. Verum haec regula *efficax est, quoties agitur de poena, aut damno vitando* (Suar., *De Censur.,* 45, 5, 6); in aliis nec perpetua est (V. C. 12, § ult., *De Regular.*), nec satis firma (Suar., *De Cens.,* 45, 6, 2; ibique Sotus; Salm., 19, 3, 46); et in odiosis est prorsus *infirma* (Filiucc., 20, 68). Nam quis dixerit, v. c., vetitum est attingere *parvulorum* terminos (*Prov.,* XXIII, 10); calumniari *advenae, viduae, pupillo* (*Hier.,* VII, 6); ergo licet, etc. Pensio, quae beneficio imponitur iniussu Episc., *vitam debitoris non excedit* (C. 5, *De Transact.*): *Si sciens* emam ab eo cui bonis est interdictum *dominus non ero* (L. 26, *De C. E.*). Ergo, etc.? Adde C. 5, *De Homic.;* C. 28, *De Simon.* Itaque tunc solum haec regula vera erit, cum in superiorem recidit: idest quoties inclusio unius, idest eius rei quam in casu praesenti lex permittit aut vetat aut iubet, est quaedam quasi exceptio iuris alias vel praecipientis vel vetantis vel permittentis.

(26) Ex L. 9, *De Postul.;* L. 9, in fi., *De Iur. et facti ignor.;* C. 6, § pen., *De Maior.* V. c., nulli ad monasteria sanctimonialium accessus pateat (C. Un., *De Stat. Regular.* in 6°); ergo nec Episcopis, nec S. R. E. Cardinalibus (S. Alph., VII, 243).

(27) C. 1, § ult., *De S. E.;* C. 12, *De Decimis;* Alas., IV, IX, 11, 3; S. Alph., VI, 554. In *favorabilibus;* et hoc planum est. *In odiosis* (L. 1, *De Aleator.*): v. c.; ex Const. *Ap. Sedis,* excomm. tenentur procurantes abortum, effectu sequuto; ergo sive animatus fuerit fetus, sive inanimatus. Is qui male aliquem ordinavit, suspenditur a *collatione ordinum* (C. 13, *De Tempor. Ordin.*); ergo, verius, omnium, et non tantum ordinis male collati (Reiff., I, 11, 177), secus ac nonnullis visum. Conc. Trident. (XXV, *R.,* 15) vetat filios illegitimos *quoquo modo ministrare* in ea ecclesia quam eorum parentes obtinent, vel obtinuerint: quaesitum fuit, an possent in ea saltem confessiones audire. S. C. C., 4 Iul. 1648, respon-

metiri voluntatem legislatoris ex verbis, *non oportet ius calumniari et verba captare,* sed, quae mens legislatoris fuerit, animadvertere (28). Itaque si haec plus quam verba patere videatur, ampliativa; sin minus, restrictiva interpretatione utimur (29).

186. Principio igitur *neque leges,* neque canones *ita scribi possunt, ut omnes casus, qui quandoque inciderint, comprehendant* (30): immo nec debent, alias infinitam confusionem parerent (31); sed iura constituenda sunt *de iis quae frequenter accidunt, non quae raro* (32). Quoties igitur casus inciderit, qui in lege quidem comprehensus non est, sed ei qui in lege comprehensus est, similis sit, utimur interpretatione extensiva (33). Non quidem semper, sed si utriusque casus et eadem sit ratio (34), et alias iniquum, aut

dit, *non posse* (Ben. XIV, *De Syn.,* XIII, 24, 15).

Verum non semper haec religio Nostros incessit; et, ne res exemplis careat, paucis agam. In iure canonico statutum est, eum qui dubitat an admiserit homicidium, perinde gerere se debere, ac si irregularitatem contraxisset: hoc quidam in foro dumtaxat externo, alii in interno dumtaxat obtinere putant (V. S. Alphon., VII, 347, d. 3). Iure civili, quam rem quis a non domino possidet, si iusto titulo, et bona fide, et toto tempore a legibus definito possederit, suam facit. Quibusdam ex Nostris, I. placuit, hoc in foro fori, non in foro conscientiae, locum habere: aliis, et in foro conscientiae; verum, II. pro his tantum qui eam comparaverint titulo oneroso, non lucrativo: aliis et pro his qui lucrativo, sed, III. si dominus in ea vindicanda negligens fuit: demum alii concedunt rem usucapi, tametsi nulla negligentia domino obiici possit, at, IV. quoad dominium utile tantum!!! (Cf. Moli., II, 61; Lugo, *De Iust.,* VII, 4). Itaque regula esto: *Lex non distinguit.*

(28) L. 19, *Ad Exhib.;* C. 6, *De V. S.*

(29) Vinn., *Select.,* Lib. I, Cap. II. Ampliativa, in foro exteriori, iudex uti necesse habet cum deficit lex (LL. 12, 13, *h. t.*; C. G., 4; It., 3); contra, restrictiva caute admodum uti decet: quin multi ex I. C. eam explodunt omnino (V. Forster, II, 3, 3).

(30) LL. 10, 12, *h. t.;* D. Th., 1, 2, 96, 6.

(31) D. Th., 1, 2, 96, 1.

(32) LL. 3, 4, 5, *h. t.;* D. Th., 2, 2, 120, 1.

(33) LL. 12, 13, *h. t.;* C. 4, *De Rescr. - Valeat aequitas,* ait Tullius (*Top.,* n. 22), *quae in paribus casibus, paria iura desiderat* (Laym., 18, 9; Salm., 11, 4, 34). *Aequitatis ratio similia iura suadere videtur* (L. 19, C. *Ad L. Falcid.;* C. 4, § *Nos, De Confirm. util.*). V. c., in C. 9, *De Iudaeis,* cautum est: *nullus invitos, vel nolentes Iudaeos ad fidem venire compellat:* ergo nec Saracenos, nec quemlibet infidelem; nempe *non inviti salvandi sunt, sed volentes* (S. Greg. M.).

(34) C. 2, *De Transl. Episcop.;* Ex L. 27, § *Ratio enim, Ad L. Iul. De Adulter.;* L. 9, § penult., *De iur. et fact. ignor.;* V. S. Alph., I, 200, v. *Quaeritur hic. - Eadem,* idest *adaequata* (S. Alph., *l. c.*), *identica* (Thibaut, § 17; Chassagn., § 98, in fi.). Qui in civitate degit, si forte ruri decedat, in sua civitatis ecclesia sepeliendus est (C. 3, *De Sepult.* in 6°): ergo et is qui ruri incolit, in sua, si forte in civitate decedat (Ben. XIV, Notif. 105, 45). Contra, vetitum

absurdum aliquid sequeretur (35); quod cum primis obtinet in correlativis, in aequiparatis, in connexis (36); *exceptis* tamen odio-

erat mulieribus, *propter periculum rei familiaris,* pro debitoribus fideiubere (L. 1, *Ad S. C. Maced.*): an et solvere? Minime (L. 8, § 5, *Eodem*); quia facilius se mulier obligat quam alicui donat (L. 4, *Eod.*). Et S. Pius V, in simonia confidentiali, poenis *accipientem,* non dantem, coercet; nempe quia difficiliores sumus ad dandum quam ad accipiendum (Suar., *De Cens.,* 22, 6, 15). Inde regula: *A disparatis non fit illatio.* Quamobrem, quamvis nefas sit haereticum ad patrini munus admittere in baptismo filii alicuius catholici, catholicus ab huiusmodi officio, in baptizandis filiis haereticorum (nempe ritu catholico), remoto scandalo, repellendus non est.

(35) L. 28, § *De eo, De Petit. heredit.;* Suar., VI, 2, 7; S. Alph., I, 200, v. *Haec tamem.* V. c. monialibus vetitum est egredi e monasterio, praeterquam ex causa incendii, vel epidemiae, vel infirmatis (S. Pius V, C. *Decori*): et nihilominus, si quid simile inciderit, puta inundatio, ruina, latronum incursus, egredi posse nemo dubitat (S. Alph., VII, 229). At si nihil absurdi sequatur, vel iniqui, vel nisi sententia legislatoris aliunde appareat manifesta (L. 12, *h. t.*), non licet extensiva interpretatione uti. Ne tunc quidem cum alicui favendum est sine cuiusquam damno vel iniuria. Heinc, v. g., cum in C. 4, *De S. E.* in 6°, cautum sit, Episcopo non subiacere suspensionibus et interdictis in iure latis, *quia id periculosum est propter exercitium officii pontificalis,* nihilominus nemo est ausus hoc ad excommunicationem pertrahere (V. S. Alph., I, 200, v. *Quaeritur*). Ergo non bene ratus est Vinc. De Iust. (II, 18, 75), *raptum* in viro quoque locum habere, si mulier, forte robustior aut potentior, virum rapiat (Pont., *M.,* VII, 69, 6). Scilicet, ut dixi, *iura constitui oportet in his quae frequenter accidunt, non quae raro*; quae enim raro accidunt, contemnunt legislatores (L. 5, *Eod.*). Si quid igitur extraordinarium inciderit, hoc recidit in ius commune, nisi urgens ratio aliud exigat (V. D. Th., 2, 2, 120, 1).

(36) Salm., 11, 4, 32, 33; S. Alphon., I, 200, v. *Id autem.*-I. In *correlativis* (L. 20, *De Re iudic.*); e. g., si quid prohibetur vendi, hoc et emi prohibetur; vel contra (L. 20, *De A. E. et V.*). Si sponsus, invita sponsa, alio migraverit, sponsalia solvuntur (C. 5, *De Sponsal.*); ergo et contra (Sanch., *M.,* I, 54, 1). Et impedimentum *criminis,* favore uxoris introductum (C. 6, *De eo qui dux.*), ad maritum productum est aequo iure. Nempe si utriusque casus *eadem* sit ratio (Salm., 10, 3, 52): hac re, v. c., iudicium zelotypiae et divortium in V. T. viris, non uxoribus, concessum fuit (*Levit.,* XX, 10; *Deut.,* XXII, 24); nempe propter varium feminarum ingenium (ExL.20, *De Re iudic.*). Non bene igitur ratiocinatur Sayr. (I, 16, 9): censura per metum extorta valet, ergo et absolutio a censuris, quia potestas ligandi et absolvendi pari iure censentur: non enim utriusque casus par est ratio; tum quia absolutione enervatur ecclesiastica disciplina, tum quia vix cogitur aliquis ad censuras inferendas (V. Suar., *De Censur.,* 2, 5, 2, etc.; Salmant., 10, 1, 60). II. In *aequiparatis;* aequiparata ea dicuntur, quae in legibus eodem iure consentur, etsi dissimilia; velut, in beneficiis ecclesiasticis, electio, praesentatio, postulatio (Salm., n. 36): heinc, v. c., qui matrimonium inter se contrahere perpetuo vetantur, his et sponsalia inire vetitum est (L. 16, *De Sponsal.*). III. In *connexis* (Ex L. 12, *Comm. praed.;* L. 2, *De Iurisd.;* C. 5, *De O. D.*); idest; quorum unum sine altero stare non potest: cui igitur, v. c., permittitur tempore interdicti, vel in oratorio

sis (37), et iis quae exorbitant a iure communi (38). Nisi et in his (odiosis, exorbitantibus) aliud ferat constans omnium DD. interpretatio (39).

187. Ex diverso, cum iura generaliter constitui oporteat (40), et

privato, sacrum facere, ei ministraer fas est.

Sed numquid haec regula locum non habet etiam *in contentis?* Utique, verum contenta pertinent magis ad interpretationem declarativam; seu potius interpretatione non egent, quia *in toto et pars continetur* (L. 114, *De R. I.;* C. 80, *Eod. tit.* in 6°), et *plus semper in se continent quod est minus* (L. 111, *Eod.;* C. 35, *Eod.*). Ideo, v. c., cui datum est in votis dispensare, vel carnes edere in quadragesima, eo magis illa commutare (Suar., VIII, 28, 12), et lacticiniis vesci (Corrad., *Prax Dispens.* etc., I, V, 21) datum est. Et ideo in odiosis quoque locum habet: hac re, v. c., poenae statutae adversus haereticos vi sua tenent apostatas (Ex L. 22, § ult., *Ad L. Iul. De Adult.*); statutae in fures tenent raptores (Graff., *Pract. quinque Casuum,* I, XIV, 34).

(37) C. 15, *De R. I.* in 6°. - *Odia restringi* etc. (Salm., 11, 4, 39). Sane, si odiosa latam interpretationem reiiciunt (n. 23), quanto magis extensivam? Hinc, v. c., excomm. lata in religiosos qui, parochi iurisdictionem usurpantes, sine eius licentia ministrant viaticum aut E. U., non trahitur ad eos qui baptizant infantes (Suar., *De Censur.,* 22, 4, 13); irregularitas lata in eos qui rebaptizant, non extenditur ad eos qui ordinem, vel confirmationem reiterant. Nihilominus quidam putant, in odiosis quoque huic interpretationi locum fieri oportere, si et ratio legis in lege sit expressa, et in casu non expresso eadem prorsus ratio insit; nempe quia *ratio legis est anima legis* (Reiff., I, 2, 429). Quam sententiam Sanch. (*M.,* III, 42, 4) et ex eo Schmalz. (IV, 3, 76) vocant communissimam, et receptissimam. Sed vereor ne recte. Sane irregularitati et denunciationi sunt obnoxii sacerdotes *ad turpia* sollicitantes, quia *pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro medicina venenum porrigunt* (Ben. XIV, B. *Sacramentum Poenitentiae*); ergone et hi qui sollicitaverint, v. c., ad furta, periuria, haereses, apostasiam? Minime (S. U. I., 4 febr. 1661). Conc. Trid. (XXV, *R.,* 15) vetuit conferri filiis illegitimis quodcumque beneficium in ea ecclesia, in qua eorum patres beneficium ecclesiasticum obtinuerint, *ut paternae incontinentiae memoria locis Deo sacris* LONGISSIME *arceatur.* Et nihilominus S. C. C. censuit posse eos capellaniam obtinere in ecclesia, in qua eorum parentes capellani munus obierant (Ben. XIV, *De Syn.,* XIII, 24, 14). Et iure prorsus; lex enim, non ratione qua nititur, sed verbis quibus concepta est, continetur (§ 188, n. 55).

(38) L. 184, *De R. I. - Quae a iure communi exorbitant* (extra orbitam iuris sunt) *nequaquam ad consequentiam sunt trahenda* (C. 28, *De R. I.* in 6°). Eiusmodi sunt iuria singularia, privilegia, et consuetudines. Non sunt trahenda *ad consequentiam,* idest ad alias personas, vel ad alias res.

(39) Ex L. 23, *h. t.,* Ibi: *Minime sunt mutanda quae interpretationem certam semper habuerunt.* Hinc, nedum is qui ministrat rebaptizanti fit irregularis, sed is quoque qui rebaptizat: et uti, *ex iure,* vir prohibetur debitum petere, si cum uxore affinitatem contraxerit (CC. 1, etc., *De Eo qui cognov. cons.*), ita, *ex constanti interpretatione,* et uxor, si eam contraxerit cum viro (Schmalz., IV. 13, 25).

(40) L. *Iura,* 7, *h. t.;* Suar., VI, 7, 4; § 186, n. 32).

vix sit aliquod generale, quod non aliquam restrictionem patitur, lex interpretatione restrictiva coercenda est: 1° quoties id exigit res qua de agitur (41); 2° si casus inciderit insuetus penitus, et a ratione legis sic alienus, ut ei legem applicare videatur absurdum, vel iniustum, vel aut abs re aut a voluntate legislatoris remotum prorsus (42); demum, quia leges benignius interpretandae sunt, quo

(41) Ex L. 24, *h, t.* Ut in C. 12, *De Poenit.*, quo iubemur confiteri *omnia* peccata semel in anno; *omnia*, nempe letalia; agitur enim de praecepto divino, quod non pertinet ad venialia. Quamobrem incivile (idest contra regulas iuris civilis) est, *nisi tota lege perspecta, una aliqua particula eius proposita iudicare vel respondere* (Cit. L. 24). Tria igitur cum primis explorare oportet: 1° contextum; 2° titulum; denique, 3° speciem seu casum legislatori propositum. 1° *Contextum*; v. c., qui *res ecclesiasticas* vendit vel emit, simoniae reus est (C. *Salvator*, 8, Cau. 1, 3); *res* nempe spirituales, nam de his eo loci agitur. Errant igitur, e. g., qui ex illis verbis, *Par est, ut* QUIBUS DIEBUS *a carne abstinemus, ab omnibus quae sementinam carnis trahunt originem, ieiunemus; a lacte, videlicet, caseo et ovis* (C. 6, Dist. 4), docent, in omnibus ieiuniis abstinendum esse a lacte, caseo et ovis; ibi enim de quadragesima sermo est (S. Alph., *H. A.*, XII, 3). 2° *Titulum* (rubricam vocant, eo quod olim *rubro* charactere scribi consueverit; leges autem et canones *nigro*); nam est quasi pars legis; inde regula: *Valet argumentatio de rubro ad nigrum, nisi rubrum nigro contradicat* (Reiff., ad Lib. I, Prooem., n. 96). Haec reg. displicet Suar. (*De Censur.*, 22, 4, 4), eo quod titulus postea superadditus fuit. Ita porro, sed a legislatore qui legum vel canonum collectionem fieri mandavit. Non bene igitur nonnulli, ex C. 1, *De Cler. non ord. min.*, quo edicitur, irregularem fieri qui ordinem exercet quem non habet, putant laicum, si missam celebraverit, fieri irregularem; nam titulus ille ad clericos pertinet. 3° *Speciem* etc.; hinc male quidam ex C. 28, *De Simon.*, quo cavetur, data ad redimendam vexationem in beneficio restituenda esse, si is qui accepit, *contra promissionem suam venisse constiterit*, inferunt, haec retineri posse ab eo qui promissionem servavit; nam tenendum est, R. P. de eo consultum fuisse, qui contra promissionem suam venerat (Suar., *De Simon.*, 50, 16).

(42) Suar., VI, 5, a n. 3. *Absurdum* (Ex L. 6, § *Quamvis, De Iurep.*); v. c.: *Praedicate Evangelium* OMNI *creaturae* (*Marc.*, XVI, 15). *Iniustum* (C. 5, *De Appellat.*); puta: *Filii, obedite parentibus per* OMNIA (*Ad Coloss.* III, 20); irregularis *fit* (ex delicto) *qui* QUALIBET *aetate rebaptizatur* (C. 10, Cau. 1, 7). In iure communi, mulier quae pro alio fideiussit, non obligatur; nihilominus, si decepit creditorem, tenebitur, quia infirmitas, non calliditas auxilium meruit (L. 2, § 3, *Ad S. C. Velleian.*). *Abs re* etc. (Ex L. 33, *De Pact.*, cit. § *Quamvis*); e. c., qui animal vendit, iubetur certiorem facere emptorem, si quid ei morbi vitiique sit; et nihilominus ea quae exterius apparent, puta si varicosum, impune reticentur (L. 1, *De Aedilit. Edicto*); iure communi, patronus qui iuramento libertum adigit, ne uxorem ducat, poenis coercetur: *quamvis nulla persona lege excipiatur, tamen intelligendum est de iis legem sentire, qui liberos tollere possunt; itaque si castratum adegerit, non punitur hac lege* (L. 6, § 2 *De Iurepatr.*).

earum voluntas conservetur (L. 155, § ult., *De R. I.*), 3° si legem sic applicare, uti scripta est, *nimis durum* videatur, ita ut *certo constet, legislatorem noluisse cum tanta severitate obligare* (43). Hoc Nostri *epicheiam* vocant, de qua oportet paucis agere. Est igitur epicheia species aequitatis, et definitur: *Correctio* (restrictio) *legis, cum deficit propter universale* (44). Ei igitur locus non est, cum lex singulariter statuit, hoc enim non esset legem interpretari, sed evertere, ideo quamvis dura servanda est (45); sed quando lex generaliter loquitur. Et tunc epicheia in *voluntate* legislatoris investiganda interpretanda versatur tota; utrum nempe in hoc casu, vel illo, is voluerit obligare. Sed admonendi sumus, epicheiam hodie vix locum habere in foro externo (46); in interno autem, non parti relinquenda est, propter hallucinationis periculum, sed in ae-

(43) Laym., 19, 3; Bened. XIV, *De Syn.*, XIII, 24, 20. Nititur voluntate interpretativa legislatoris; *praecipue in casu, in quo, si legislator adesset, non decerneret esse legem servandam* (D. Th., 2, 2, 147; 3 ad 2), *sed aliter iudicaret* (D. Th., 2, 2, 60, 5 ad 2). At si id videatur tantum probabile, non licet uti epicheia, nisi cum legislator non potest facile consuli (Caiet.; Sot.; Suar., VI, VIII, 6, 8, 9; V. II *Paralip.*, XXX, 18; V. *Esther*, XV, 13); veluti si quis die festo vacet servilibus (citra scandalum), ne extraordinarium ingens lucrum amittat (Suar., VI, 7, 14). Et recte, nam *Qui vehementer emungit, elicit sanguinem* (*Prov.* XXX, 33); *Noli esse iustus multum* (*Eccli.*, VII, 17; C. 6, Dist. 4, C. 47, *De Poenit.*, D. 1).

(44) Aristot., *Ethicor.*, V, 10; V. Suar., Lib. VI. Cap. VII. Est (nempe quod ad legislatorem) pars iustitiae legalis (D. Th., 2, 2, 120, 2); eo enim spectat, ne lex (*praeceptum commune*) aliquem prae ceteris praegravet; seu potius aequitatis pars est (184[3], n. 22).

(45) V. § 161, n. 11. Ut in C. 16, *De Praebend.*, quo ordinatus sine titulo ali iubetur expensis. Ordinantis et *successoris*, quoad provideatur: quis enim auderet successorem immunem pronunciare, nisi eius mentionem detraxisset Bonifac. VIII, in C. 37, *Eod. tit.* in 6°? Iure Gallico, filii patris indigni non utuntur iure repraesentationis in successionibus ab intestato: hoc vix non iniustum est; nec ideo fas est iudici eos hoc iure ad successionem admittere (Durant., VI, 131). Epicheia igitur tunc locum habet, cum ea iuris regula, *Ubi lex non distinguit* etc., durior evadit. Utputa, iure Canonico, ei qui occidit rectorem ecclesiae, adimitur ius patronatus usq. ad 4[m]. (C. 12, *De Poen.*); et filii haereticorum arcentur a benefic. eccl. usque ad 1[m]. vel 2[m]. generationem (C. 15, *De Haeret.* in 6°): et nihilominus S. C. C., 2 Aug. 1628, 21 Maii 1718, censuit, filios natos ante delictum perpetratum, vel post editam a parentibus abiurationem, esse excipiendos (V. Bened. XIV, *De Syn.*, XIII, 24, 21).

(46) Ex L. 1, C. *h. t.* Ibi: *Inter aequitatem et ius interpositam interpretationem, nobis solis et oportet, et licet inspicere.*, Parnormit. in C. 1, *De Constit.*, n. 14. Esset enim *aequitatis nomine legem tollere* (Donell., I, XIII, 3). Hac potestate in foro civili pollebant Praetores, quorum erat moderari rigorem iuris; et ex NN. LL. permissa est iudicibus in quibusdam casibus nominatim expressis: in foro canonico ea praestant SS. Urbis Congregationes, quae Principali auctoritate canones interpretantur.

stimatione boni viri esse debet; et tunc solum, cum non licet adire legislatorem sine incommodo gravi (47). Et tunc cessat legis obligatio, *si certo, vel saltem probabiliter iudicatur, legislatorem noluisse illum casum sub lege comprehendi* (48); sive damnum commune versetur, quod nemo dubitat, seu singulorum, quae verior et nunc recepta sententia est (49).

Porro interpretatione restrictiva parcius quam extensiva utendum esse, DD. monent; quia haec, iussa legislatoris *producendo,* voluntati eius obsequi; illa, *coercendo,* magis refragari videtur.

188. Ex his autem licet intelligere, quam caute, quam moderate procedendum sit in interpretatione, praesertim extensiva vel restrictiva, quae usurpant quodammodo officium legislatoris. Quid igitur dicemus de his, qui ex vulgato illo, *Ratio legis est anima*

(47) Caiet.; Suar., VI, 8, 9. Scilicet haec interpretatio quasi in dispensationem recidit. Contra Silvestr., Henriq., etc. Ceterum, huiusmodi incommodum, in locis ubi non moratur is qui dispensandi potestatem habet, vix unquam deerit.

(48) S. Alph., I, 201; Salm., 11, 4, 41, ibiq. Palaus et Martinez; et Silvest., Cord., Henriq., apud Sanchez, *M.,* II, 41, 37. Verum Soto id non admittit, nisi *probabilius* sit, in hoc casu legislatorem nolle obligare (De Iust., I, VII, 8, circa fin.), quem sequitur Sanch. (*l. c.*): quin alii id *certum* esse oportere putant (Laym., 19, 3).

(49) Suar., VI, 7, 13; Salm., 11, 4, 45. Et nedum cum agitur de damno vitando, sed et cum de magno et extraordinario lucro non emittendo (Suar., n. 14; Salm., n. 45; S. Alphon., I, 200).

Quaeri potest, num epicheia admittenda sit etiam cum laesione iuris alieni? Et in foro interno admittendam esse non dubito, quando caritas praevalet iustitiae (§ 177, n. 4): in externo (si quod ei locus est), in quo caritas cessat, non item. Nisi forte de eo iure agatur, quod profluit ex ipsa lege quae interpretatur. Ut ecce si iussus fueris absolvere Seium a censuris, si prius quam debet, Caio pecuniam solverit, et Seius nequeat pecuniam commode restituere, sed idoneam cautionem dare paratus sit, poteris eum absolvere (Ex L. 4, § 3, *De Re Iudic.*; V. S. Alphon., VI, 537, q. 7, v. *Si vero*), quia nullam Caio facis iniuriam, nam ius alterius, ne is ante absolvatur, non ex lege naturali profluit, sed ex lege canonica.

Dixi epicheiam totam versari in interpretanda *voluntate* legislatoris: fateor me recessisse a definitione quam Aristoteles tradidit, cui veteres Scholastici cum D. Thoma adhaeserunt. Hi epicheiae locum esse docent, quocumque nomine lex DEFICIAT *propter universale* (V. Suar., VI, 7, 11; Laym., 19, 3); sive legislator supra suam potestatem ius dixisse videatur; sive cum lex observari non potest, vel, 1° sine iniustitia, ut ecce quae vetat ali filios natos ex damnato coitu (Auth. *Ex Complexu,* C. *De Incest. nupt.*); vel, 2° ob concursum alterius legis, puta si die festo sacrum omiseris, ut praesto esses infirmo; vel, 3° cum lex observari nequit sine incommodo gravi, ut *Exod.,* XX, 10 (V. I *Machab.,* II, 41). Sed in priori casu cessat lex (§ 161, n. 8); in altero praevalet ea quae potior est; in tertio cessat legis obligatio (§§ 177, 178). Omnes autem casus huiusmodi suas regulas habent; quid opus in his epicheia?

legis (50), vix non omnem interpretationis regulam hauriunt; extensivae quoque, et restrictivae? Nam PROTINUS fidenter inferunt: ergo, *ubi eadem est ratio, eadem debet esse iuris dispositio;* et ex diverso (quod est longe periculosius): *ubi deficit ratio legis, deficit lex.* Utique ratio legis est anima legis, ex eaque licet interdum legem protrahere, vel coercere, at non semper; nonnunquam enim ratio non satis apta est (51), interdum plus patet (52), interdum minus (53); inde aliud effatum: *Ratio iuris non facit ius* (54). Quare hoc tenendum est, legem non ratione quae legislatorem movet, sed voluntate eius contineri (55); voluntatem autem legislatoris eam esse,

(50) Barbo., *Axiom. iur.,* 1907, 3.

(51) Suar., VI, 1, 19; Gonzal., in C. 8, n. 3, *De Consang.* Ut in hoc C. 8., quo edicitur, matrimonium ideo prohiberi usque ad 4 consang. gradum, *quia quatuor sunt humores in corpore, qui constant quatuor elementis.* Et in C. 3, Cau. 33, 1, quo cavetur, in dubio de impotentia, muliere eam esserente, viro negante, huic credendum esse, quia *vir est caput mulieris.* In C. 10, *De cleric. excommunic.,* quo edicitur, sacramenta collata ab eo qui irretitus est excommunicatione minori, valida esse, quia is non est *a sacrorum collatione, sed perceptione remotus.* Et in C. 10, *De Sponsalib.,* cavetur, eum qui iurato promiserat Seiam ducere, cogendum esse ad matrim. contrahendum, quia *periculosum est contra suum iuramentum venire:* ergone sacramenta collata ab eo qui est irretitus excomm. maiori, sunt invalida? et *liberum* est a sponsalibus non iuratis recedere?

(52) Ut in L. 2, C. *De annal. except.,* quo innuitur, et C. 5, *De Praescript.,* quo edicitur, praescriptionem introductam fuisse ad coercendam segnitiem dominorum res suas negligentium. Item in L. 63, § 5, *De Furt.,* qua cavetur: « Si mandato meo servum emisti, et is tibi furtum fecit, damnum mihi aestimari, quia iustissime allegare potes, *non fuisse te id damnum passurum, si id mandatum non suscepisses* »: num igitur si rem tibi commodavi, quae penes te casu periit, allegare possum, non fuisse me id damnum passurum, si eam rem tibi non commodassem?

(53) Ex L. 22, § ult., *De alim. legat.* Non ineluctabiliter igitur quidam ex Nostris, ex iis Trid. (XIV, *De Poenit.,* VII) verbis: NE HAC OCCASIONE ALIQUIS PEREAT, *nulla est reservatio in articulo mortis,* argumentantur, inferiores sacerdotes non posse, praesente superiore, a reservatis absolvere (V. Lugo, *De Poenit.,* XVIII, 25).

(54) Berard., *I. E. U.,* Lib. II, Disp. V, Par. I. - *Ratio legis non est lex* (Pal., Bonac., Mazz., ap. S. Alphon., I, 200, v. *Quaeritur hic*).

(55) Suar., VI, 3, 11. Qui docet rationem legis, ne certum quidem indicium esse voluntatis legislatoris (n. 12); quamvis *multum iuvet ad eam detegendam* (Salm., 11, 4, 26). Scilicet ratio voluntatem movet, voluntas lex est (Suar., 14, 20, 10). Sane in C. 4, *De S. E.* in 6°, cautum est, Episcopos eximi a *suspensionibus et interdictis* in iure latis, nisi et in ipsos lata sint nominatim, nempe *propter exercitium officii pontificalis.* Ex hac ratione (exclusa regula nostra) dicendum erit, Episcopos *nondum consecratos* hoc privilegio non uti; consecratos etiam quoad *excommunicationem* eo uti posse; quae nemo unquam dixit (V. Suar., *De Censur.,* 28, 2, 7).

quam verba demonstrant (§ 184², n. 10). Liceat igitur ea regula uti; sed in obscuris, et cum aliquod inconveniens (§§ 186, 187) cogit; at cum nulla in verbis est ambiguitas, et nihil cogit ea protrahere vel coercere, verbis legis est standum, tametsi ratio legis in ipsa sit expressa (56), et manifesta videatur (57). Eoque magis verbis inhaerendum erit, si alterutrum desit, idest, si ratio legis vel non continetur in lege, vel non est manifesta (58). Et si desit utrumque, illam inquirere nec oportet; *alioquin multa ex his* quoque *quae certa sunt, subverterentur* (59). Et ut generaliter dixerim: *optima lex est, quae minimum relinquit arbitrio iudicis; optimus iudex, qui minimum sibi* (Baco a Verulamio).

189. Hucusque de interpretatione legum. In damnatis proposi-

(56) Suar., VI, I, 19, 20. Denunciationes matrimonii introductae sunt ad detegenda occulta nuptiarum impedimenta (C. 3, *De Cland. Desp.*); fas ergo eritne parochis illas omittere, quia sibi certissime constat, nullum revera impedimentum subesse? (Sanch., *M.*, III, 5, 6; Pont., *M.*, V, 30, 3).

(57) V. Suar., VI, 1, 20. Ut in Trid. (XXIV, *R. M.*, 6), quo cavetur, inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Hoc eo spectare, ut libera sint matrimonia, neminem praeterit: et nihilominus, si quis mulierem rapuit ut Seio nuberet, Seio inscio, matrimonium sive cum Seio sive cum raptore contractum, muliere sub potestate eorum manente, ratum esse, translaticium est.

(58) LL. 20, 21, *h. t.* V. g., cur irregularitas ob defectum lenitatis non contrahatur ex homicidio admisso ante baptismum, ex bigamia vero ante baptismum admissa contrahatur? (Suar., *De Censur.*, 44, 3, 3). Cur dimidia pars thesauri cedat domino fundi? Cur turpes vel impossibiles conditiones in matrimoniis pro non scriptis habeantur? (CC. 1, 7, *De Condit. appos.*; V. Sanch., *M.*, V, Disp. 3). In C. 4, *De Sepult.* in 6°, cautum est, patremfamilias posse eligere sepulturam pro filiis impuberibus; nempe quia, ex iure communi, testamentum pro eis facere poterat: numquid, quia hodie id non potest, prohibetur hodie pro eis sepulturam eligere?

(59) LL. 20, 21, *h. t.* Hinc erravit De Iust. (II, VIII, 54), quum, ratus impedim. publicae *honestatis* in matrimoniis contrahendis introductum fuisse iure canonico *ad tuenda sponsorum iura,* docuit, rescissis mutuo consensu sponsalibus, evanescere: et Sot. (in IV, Dist. 35, q. un., art. 2), qui putans impedimentum *conditionis* statutum fuisse ad reparandam iniuriam homini libero illatam, existimavit, non dirimi si is deceptus fuit errore suo crasso et supino (V. Sanch., *M.*, VII, 19, 19). In C. 22, *De S. E.* in 6°, cautum est, absoluto ab inferiore in necessitate a censuris reservatis, adeundum esse superiorem quamprimum: Avila, Henriq., Navarrus (26, 26), rati, id ideo statutum fuisse, ut appareat eum fuisse emendatum et satisfecisse parti laesae, docuerunt hanc obligationem cessare, si ille haec praestiterit (V. Salm., 10, 2, 66). Sporer Sanch. aliique, existimantes brephotrophia pro pauperibus esse instituta, docuerunt, non posse parentes divites ad ea filios suos mittere, nisi refusis expensis; etc. Haud ita sane (V. S. Alph., III, 656).

tionibus (60) hac reg. utimur: *Propositiones damnatae interpretandae sunt uti iacent,* et *in sensu ab AA. earum intento, et rigoroso* (61). *Intento,* nempe cum verba sunt obscura, vel ambigua (62). *Rigoroso,* idest non ultra proprietatem verborum, quia versamur in odiosis (63); ideo interpretationem extensivam nunquam recipiunt, nisi evidens ratio eam extorqueat (64): contra, si late conceptae fuerint, restrictivam semper (65). Ideo heic non utimur ea iuris regula: *Ubi lex non distinguit,* etc.; scilicet, ut una aliqua propositio erronea dici atque ideo condemnari possit, satis est unam eius, vel minimam, partem erroneam esse; alias, propositiones damnantur *in sensu composito,* nisi constet damnatas fuisse in sensu *diviso* (66).

(60) Damnatae nempe quoad mores, quippe hae solum ad nos pertinent; ut Alex. VII, Innoc. XI, Alex. VIII.

(61) S. Alph., III, 760, in fin.; Id., *Prax. confessar.,* n. 100, v. *Sed quoad.* – Verum, quia error non errans damnatur, haec regula non de his propositionibus accipienda est quae pravum, sed quae rectum sensum praeseferre videntur; ut illa Baii(docentis solos praedestinatos salvandos esse) prop. 30: *Omnes quos Deus vult salvare per Christum salvantur infallibiliter.*

(62) E. g., Innoc. XI, 51: *Famulus qui submissis humeris,* etc., de cooperatione formali, cum AA., non de materiali, accipienda est (S. Alphon., II, 66, q. IV).

(63) Ut Innoc. XI, 37: *Famuli possunt occulte surripere suis heris ad compensandam operam suam, quam maiorem* IUDICANT *salario:* IUDICANT, ipsemet scilicet. Item (Prop. 53): *Satisfacit praecepto Ecclesiae de audiendo sacro, qui duas eius partes* SIMUL *a diversis Sacerdotibus audit* (Innoc. XI, 34). SIMUL, ergo non item si successive.

(64) Ex C. 15, *De R. I.* in 6°. Ut illa Innoc. XI, 1: *Non est illicitum in sacramentis* CONFERENDIS *sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore.* Haec prop. ad ministros pertinet: utrum vero et ad subiectum sacramenti protrahenda sit, non leviter disputatur (V. S. Alph., I, 61). Dixi *nisi* etc.; velut Alex. VII, 34: *In* DIE PALMARUM *recitans officium paschalis satisfacit:* numquid non idem dicendum erit, si recitet, v. c., in Dominica Passionis?

(65) Ex S. Alph., III, 760. Velut Alex. VII, 9: *Potest Sacerdos, cui missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere, collocato illi minore stipendio.* Ib., 42: *Licitum est aliquid mutuanti, supra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus* (V. S. Alph. III, 760; V. Alex. VII, 30).

(66) V. c., multi, nec infimae notae TT., docuerunt, licitum esse acceptare, immo et offerre duellum ab eo qui secus officio movendus esset, quo se et familiam sustentat (Cf. S. Alph., III, 400). Po ro Bened. XIV, C. *Detestabilem,* damnavit has propp.: I. *Vir militaris qui, nisi offerat et acceptet duellum, officio quo se suosque sustentat, privaretur... vel* PROMOTIONIS SPE CARERE DEBERET, *culpa et poena vacat,* SIVE *offerat,* SIVE *acceptet duellum.* IV. *Licitum est acceptare et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas.* Quidam contendunt, doctrinam illam damnatam fuisse a Ben. XIV. At non bene, uti videtur: non enim damnata dici potest in prop. I., quippe qua et alia continentur (*vel promotionis,* etc.); nec in IV., quia haec damnat utrumque si-

Aliud iuris est in propositione singulari; haec utique erronea tota dicenda est, ideoque interpretanda erit *a sensu contrario* (67).

SECTIO II.

De legibus in specie.

CAPUT I.

DE IURE NATURALI.

190. Ordo, quo omnis rerum natura continetur, aeterna Dei ratione et voluntate fuit constitutus, et regitur; quae idcirco omnium prima huius ordinis et suprema regula seu lex est; *lex aeterna* proinde appellata. Lex igitur aeterna nihil aliud est (lata significatione accepto legis vocabulo), quam *Ratio et voluntas Dei aeterna ordinem praescriptum servari iubens, perturbari vetans* (1). Haec lex est fons et origo universi iuris, nam ex ea profluit lex naturalis; a lege autem naturali initium, et statum, et norman capiunt omnes leges positivae.

191. Primum igitur, lex Dei aeterna hominibus per rectam rationem promulgata legis naturalis nomen subit (2). Definiri potest: *Recta ratio insita natura, et voluntas divina quae iubet ea quae facienda sunt, prohibetque contraria* (3). *Ratio*, quia non consistit

mul (*acceptare et offerre*. V. Struggl., Tr. VII, q. 3, art. 6, n. 65). *Nisi constet* etc.; velut haec: *Licitum est sacerdoti absenti, per literas, vel nuncium sacramentaliter* confiteri: *et ab eodem absente absolutionem accipere:* quam damnatam fuisse in sensu diviso declaravit Paul. V, in fer. V (14 Ianuar. 1605).

(67) Velut in his: *Non peccat graviter maritus occidendo uxorem deprehensam in adulterio* (Alex. VII, 19); *Praecepto communionis annuae satisfit per sacrilegam Domini manducationem* (Innoc. XI, 55).

(1) S. August., *Contr. Faust.*, 22, 27. *Ordinem*, nempe ab ipsomet Deo, naturae auctore, praescriptum. Dices: sed et ordinem iure ac legibus constitutum (§ 152) perturbari vetat. Ita sane: ideo potestatibus legitimis nolle obedire, contra ius naturale est; et singularium legum ab eis latarum contemptus, in huius iuris contemptum, atque ideo in Dei contemptum, recidit. Et hactenus harum legum transgressio recidit in ius naturae; at cum ad singularia descendimus, v.c., si coniugatus aliam ducat, vel alii nubat; si quis die esuriali comedat carnes, is facit contra voluntatem eius qui haec vetuit, atque ideo non naturale ius violat, sed positivum.

(2) D. Th., 1, 2; 91, 2.

(3) D. Th., *In praecept. caritat.* Exposit. Prolegom. Rationem vero accipere debemus *dictamen rationis*, quia lex (iussum, praeceptum) non *habitum*, sed *actum* significat. Recta itaque ratio, non lex ipsa est, sed per quam lex hominibus innotescit. Romanis I. C. (stoicis fere omnibus) ius naturale est *quod* NATURA *omnia animantia docuit* (L. 2, § 3, *De Iust. et Iure*), ut coniunctio maris

ex sola Dei voluntate, ceu rati sunt quidam; alias nihil esset intrinsece bonum, aut malum; *voluntas Dei*, quia non ex sola recta ratione consistit, ceu rati sunt alii, quia sine legislatore lex ne intelligi quidem potest. Quae *iubet ea quae facienda sunt*, etc.; his verbis *obiectum* legis naturalis significatur. Porro *facienda* dicimus quae omitti, *contraria* vero, quae admitti sine ordinis perturbatione non possunt. Itaque *obiectum* huius legis habentur quae sunt *per se* et intrinsece bona vel mala. *Bona* iubet; non omnia quidem, sed ea quae sine perturbatione ordinis praetermitti nequirent; v. c., Deum colere, parentes revereri, servare seipsum: mala vetat omnia prorsus, levissima quoque; utputa, blasphemiam, furtum, mendacium vel officiosum. Leges huiusmodi *habent promulgationem aeternam ex parte Dei promulgantis, non item ex parte creaturae audientis* (4). Huic autem promulgantur ex *hoc ipso quod Deus eas mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendas* (5); quibus innotescunt, cum ratio eos docere incipit, idest cum rationis usum fuerint adepti (6).

192. Legum naturalium series conficit ius naturae. Quod in absolutum et hypotheticum diducitur. *Absolutum* est quod ab ipsa hominis natura statum capit, quodque proinde, ut Tullii verbis utar, augurari, profiterique omnes oporteret etiamsi nulla invicem societas esset, nullaque pactio: v. c., non blasphemabis, non mentieris, non occides. *Hypotheticum* quod initium capit ex aliquo hominum facto: seu communi, ut puta quod tributa dependere iubet, furari vetat; seu singulorum, ut ecce quod iubet pacta servari, quodque idcirco fidem fallere vetat: ideo subdividitur in *publicum et privatum.*

193. Est autem ius naturae (cum sit ipsamet recta ratio) universale, evidens, immutabile. *Universale*, ideo tenet omnes cuiusvis conditionis, vel aetatis; infantes quoque et amentes (7). *Evidens*, at non omne; scilicet eorum quae hoc iure continentur triplex genus constitui potest: primum complectitur principia universalissima; alterum quaecumque ex *illis* proxime et velut necessario profluunt;

et feminae: quod RATIO nos docuit velut matrimonium, illi *ius gentium* appellant. Nostri alias, et rectius; verum in quo ius gentium distet a naturali iure, varii et implexi: non iuvat his tricis implicari. Vide, si lubet, ex recentioribus cl. Schmkulch S. I., *Theolog. Moral.*, Vol. I, 4, § 191, Friburgi 1883; V. § 198.

(4) D. Th., 1, 2, 91, 1 ad 2.

(5) D. Th., 1, 2, 90, 4 ad 1.

(6) V. Silvi., 1, 2, 90, 4. Qui caute dixit *actualiter unicuique* eam promulgari, cum eis innotescit. Alias, si dicimus, ceu quidam, eam promulgari per rectae rationis *usum*, non peccaret qui infantes vel amentes ad eam transgrediendam (v. c., ad blasphemandum, turpiter agendum) induceret (§ 173, n. 80).

(7) § 1, De *Iur. nat.;* Tullius, *De Rep.*, Lib. I; S. Aug., De *Lib. Arbitr.*

tertium demum quae ex *his* ratiocinatione, et plerumque nec prona nec facili, deducuntur: illa immediata, ista mediata evidentia pollent, haec neutra (8); ideoque *illa* neminem suae mentis fugere possunt; *ista* neminem fugere regulariter tenendum est (9); at *haec* ut plurimum subobscura sunt, et quandoque etiam prudentissimos fallunt, et hi qui haec quoque manifesta esse docent, et grandi supercilio docent, insaniunt (10).

194. Demum est *immutabile;* idest, huic iuri nec abrogari, nec derogari, nec subrogari, nec obrogari unquam potest; et nedum absoluto, quod per se patet; sed nec hypothetico, quo homines ad invicem ordinantur (11), quippe, quo immutato, omnia perturbarentur. Nihilominus potest in casu aliquo speciali solvi legis obligatio in his, quae ad vitam et res nostras pertinent, quoties id exigit conservatio boni communis (12); sed ab his tantum in quorum potestate vita et res nostrae continentur, solvi potest. Immo in his quae *ad res* nostras pertinent, solvere possunt etiam, legibus latis, humani legislatores quoties aut publice necessarium est, aut publice expedit (13): et in his quae *ad alterum* (idest ad iusti-

(8) D. Th., 1, 2, 94, AA. 4, 6. Ut haec: 1° Deum cole, teipsum serva, neminem laede; 2° non blasphemabis, non te interimes, non furaberis; et generatim omnia decalogi praecepta; 3° utrum vacet simonia in beneficiis redemptio vexationis iniquae, utrum naufrago liceat alteri naufrago tabulam cedere, utrum usurae sint licitae.

(9) V. S. Alph., I, 170. *Regulariter*; nam alicubi et haec interverterunt, et hodie pene ubique intervertunt corrupti gentium mores, et opinionum commenta, et *magistri docentes perversa ut abducant discipulos post se.*

(10) V. S. Alph., *l. c.;* S. Aug. refert, quemdam Antiochiae, ad necem vitandam, alteri permisisse suae uxoris usum: re narrata, inquit: *Nihil hic in alteram partem disputo, liceat cuique aestimare quod velit* (Lib. 1, *De Sermon. Dom.*, Cap. 29). S. Ioannes Chrysost. laudat mulierem, quod, viro consentiente, servandi eius causa, adulterio se exposuerat (Ap. Syxtum Senens., *Biblioth. Sancta,* Lib. 5, ad an. 89). Iurare per intemeratam Deiparae virginitatem Sotus et Covarr, nefandum et blasphemum putant; Sanchez (*Dec.*, II, 32, 32) innoxium prorsus. Utrum *contractus trinus* licitus sit, an illicitus, lis est adhuc sub iudice.

(11) D. Th., 1, 2, 94, 5; 100, 8 ad 3.

(12) D. Th., 2, 2, 100, 8. Et in primis quoties ordo a Deo constitutus alias magis subverteretur. Hinc licet, v. c., creditori ex iusta causa, occulta compensatione, uti; in extrema necessitate furari, occidere tuendi sui causa iniustum vitae aggressorem; et, his qui Remp. moderantur, bello ab hostibus se defendere, et scelestos occidere datum est (*Levit.* XX, 9, etc.).

(13) Ex L. 6, *De Iust. et Iure*; V. Suar., II, 14, 12. Hinc ab humanis legislatoribus usucapiones introductae et servitutes praediorum, rescissa pacta conventa, commutatae supremae defunctorum voluntates, etc. At solus Deus dispensare potest quod ad homicidium (*Gen.* XXII, 2; I *Regum,* XV, 3); furtum (*Exod.*, XII, 2), adulterium (*Osee,* I; V. D. Th., 1, 2, 94, 5, ad 2). Et si moderatoribus civitatis licet bello iusto di-

tiam) pertinent, cessat in singulis casibus legis obligatio, quoties cessat iniuria, et in his casibus ipso iure cessat (14). Et quamvis nunquam facere liceat quae ius naturae vetat, licet nihilominus in extrema necessitate ea quae praecipit omittere; e. g., imminente ruina, vel in incursu hostium, sacrificium altaris imperfectum relinquere (15). Quaestio olim fuit, an lex naturalis reciperet epicheiam: aliis negantibus, quia epicheia est correctio legis, et ea quae docet recta ratio, correctionem recipere absurdum est; aliis affirmantibus, quia lex quoque naturalis interdum dispensatione indiget. Mihi, in his quae ad ius absolutum pertinent, recte *illi;* in his quae ad hypotheticum, rectius *hi* (16).

CAPUT II.

DE IURE DIVINO.

195. Lex divina definiri potest: *Lex a Deo per revelationem hominibus data.* Harum legum series conficit ius divinum. Hoc autem aliud vetus et aliud novum. De veteri, seu mosaico satis supra (§ 1).

196. Novum, seu evangelicum, Christum, Regem regum et Dominum dominantium, hominibus datum non solum ut Redemptorem cui fidant, sed etiam ut Legislatorem cui obediant (1), habet auctomicare, et malefactores occidere, alterum ex iure defensionis (n. 12), alterum ex potestate eis a Deo nominatim concessa (V. *Levit.*, XX, 19, etc.) repetendum est. At innocentem necare, vel tradere occisuro, nec ad internecionem universae reipublicae vitandam, licet. Ex his patet, minus recte quosdam dixisse, in praeceptis *primae tabulae*, ne Deum quidem dispensare posse, in ceteris posse: primum utique et verum, et perpetuum est; alterum verum, sed non perpetuum, ut in mendacio. Nec recte loquuntur sive qui affirmant R. P. *derogare* posse iuri naturali, sive qui sine ulla distinctione negant omnino, eum in iure naturali *dispensare* unquam posse: nam ius naturale est, ut is qui vovit, votum praestet; quando autem R. P. dispensat in voto, non solvit ius naturae, sed voventem solvit, declarando per quamdam epicheiam (V. n. 16) in propositis rerum adiunctis votum non obligare, seu hoc quod is vovit non esse congruam materiam voti: ideoque iuri naturali non derogat, sed in eo aliquo modo dispensat (V. D. Th., 2, 2, 88, 10 ad 2).

(14) D. Th., 1, 2, 100, 8, et ad 3.

(15) D. Th... Eoque magis licitum est ea permittere, quae sine graviori perturbatione impediri nequirent; v. c., ut, in matrimonio nullo, bona fide permaneant vir et mulier, si ex divortio scandala timeantur (Ex C. 6, *De Consang.;* Cf. Suar., Lib. II, Cap. XVI).

(16) V. Suar., II, Cap. 16. Et sane mentiri, v. c., fornicari non licet, nec ad mortem vitandam; at is qui, cum dives esset, vovit templum aedificare, si postea, facultatibus lapsus, filiorum aut parentum necessitatibus subtrahere cogeretur, quae templo extruendo, opus sunt, votum cessat (V. § 184[3], n. 22, in pr.); et si quis ablata restituire nequeat sine gravi damno superioris ordinis, cessat interim restitutio.

(1) Trid., Sess. VI, Can. 21.

rem (2). Dividitur in *scriptum* et *traditum*. Et tripartitum est; collectum est enim ex praeceptis pertinentibus ad fidem, ad mores, ad sacramenta. Illa continent SS Trinitatis et Incarnationis mysteria (3); ista polygamiam et repudium vetant (4); haec spectant ad essentialia sacramentorum N. L., nec non ad obligationem ea ministrandi, et recipiendi (nam obligatio ea ministrandi ad iustitiam vel caritatem pertinet). Nihilominus, si subtiliter inspicimus, praecepta quae ad fidem pertinent, non ius novum constituunt, sed constituti potius materiam augent (5); quae ad polygamiam et repudium, ius primaevum restituunt (6). Quamobrem in tota lege evangelica nullum contineri novum praeceptum, demptis his quae pertinent ad sacramenta, est *commune axioma* (7), *commune dogma* (8) Theologorum.

197. Ius Evangelicum promulgatum fuit per Apostolos, S. S. misso de coelo; ideo non est evidens, uti ius naturale; sed est, ut illud (licet alia ratione, et aliter), universale et immutabile. *Universale*, quippe Christus omnibus gentibus rex, dominus, legifer datus est (9); et ipse illud *omnes gentes* servare iussit (10). *Immutabile*, tum quia duraturum est usque ad consummationem saeculi, tum quia nemini datum est ei derogare. Quaesitum est, an R. P. qui Christi vices gerit, possit in eo dispensare: affirmarunt veteres quidam ex

(2) V. Salas, *De Legib.*, D. 20, Sect. 3, n. 13. Quamobrem ad ius divinum non pertinent quae ab Apostolis constituta fuerunt; ut puta, de bigamis non ordinandis, de servanda die dominica, etc.

(3) *Ioan.*, XIV, 10, 26; I, V. 7.

(4) *Matth.*, XIX, 5.

(5) Suar., X, 2, 5; V. D. Th., 1, 2, 108, AA. 1, 2.

(6) Ex Constit. *Arcanum*, Leo PP. XIII, 10 Feb. 1880; V. Bened. XIV, C. *Apostolici ministerii*.

(7) Sanch., *M.*, VII, 52, 2.

(8) Suar., 10, 2, 20, *De Censur.*, 40, 4, 4, Scilicet *quod est potissimum in lege novi testamenti, et in quo tota virtus eius consistit, est gratia Spiritus Sancti, quae datur per fidem Christi* (D. Th., 1, 2, 106, 1). *Sic igitur lex nova nihil aliud determinare debuit praecipiendo vel prohibendo, nisi sacramenta et moralia praecepta,* puta non esse occidendum, non esse furandum (*ib.*, 108, 2). Itaque, demptis his praeceptis, sola sacramenta supersunt. Dixi *Ad essentialia*, etc.; nam quae reverentiam eorum spectant, iuris naturalis sunt quae ritus et caeremonias, sunt iuris canonici. Sed nonne Christus mandatum *novum* (mutuae caritatis) dedit nobis? (*Ioan.*, XIII, 34). Minime, sed novum dixit, quia obliteratum (S. Clem. Alexan. V; Suar., 10, 2, 12). Quo sensu S. Gregor. M. dixit, Eum *nova mandata* dedisse hominibus (*Homil.* 32 *in Evang.*).

(9) *Isai.*, LV, 4; *Ierem.*, XXXI, 31.

(10) *Matth.*, XXVIII, 20. Et de his quae pertinent ad fidem, planum est; de his quae ad mores, et ad baptismum recipiendum, nemo unquam dubitavit, aut dubitat. De ceteris sacramentis non satis convenit inter TT., utrum infideles debeant ea suscipere, an minus.

Matth., XVI, 19, *Quodcumque solveris*, etc. (11); negat sententia longe communior, et verior, ex sensu Ecclesiae, quae nunquam usa est huiusmodi potestate (12). Et licet interpretationem recipiat, epicheiam quae est quaedam correctio legis (§ 187, n. 44) non recipit (13).

CAPUT III.

DE IURE HUMANO.

198. Ius humanum definiri potest: *Quod Princeps constituit subditis quisque suis. Princeps*; quia, non ex his quae ex iure naturali aut divino statim et immediate (§ 190), sed ex his quae mediate ac remote proficiscuntur, quaeque propter bonum commune is praecipit aut vetat, lex humana proprii nominis coalescit (1). Aliud est ecclesiasticum, aliud civile. Civile autem moderatur iura et obligationes inter cives et cives; inter cives et Principem; inter Gentem et Gentem; inde diducitur in *privatum* (de quo nobis cum primis agendum est), *publicum*, et *gentium*.

199. Ius condit in civitate, pro eius regiminis forma, Princeps, vel populus, vel uterque simul. In Ecclesia Papa et Episcopi, sive soli, sive in Conciliis oecumenicis, provincialibus, dioecesanis (2).

(11) V. Sanch., *M.*, VIII, 6, 5. Et praeterea ex votis, et matrimonio rato, in quibus R. P. interdum dispensat (V. Pont., *M.*, VIII, 3).

(12) D. Th., Quodl. IV, 13; IX, 15; 1, 2, 97, 4 ad 3. Et favet C. 13, *De Rest. Spoliator.* Quid quod in Instruct. a Pio VII in S. O. decretam 21 Ian. 1802 ad Vicar. Apost. Sutchuen. declaratum fuit: *Discant* (christiani): *in his quae ad ius divinum pertinent, nulla est auctoritas quae dispensat.* Nec obstant illa *Matth.*, XVI, 19; nam ex his id solum inferre licet, Ecclesiam ea omnia quidem, sed ea tantum *solvere* posse quae potest *ligare*. Et iure prorsus (§ 92, n. 16): alias dispensare posset in omnibus (Suar., *De Charit.*, 10, 6, 9). Vota autem ad ius naturale hypotheticum pertinent; matrimonia autem rata, nondum consummata, non pertinent ad ius evangelicum (V. *Matth.*, XIX, 5).

(13) Suar., X, 6, 10; Collet, *h. t.*, Cap. IV, Quaest. IV. Et constat ex perpetuo Ecclesiae sensu, quae numquam non testata est se nec consummata fidelium matrimonia solvere, nec poligamiam permittere posse. Sane quis dixerit, leges conditas ab ipsa increata Sapientia deficere posse propter universale, atque ideo non esse correctionis expertes?

(1) Leo XIII., *Encycl. Libertas*, v. *Quae vero.*

(2) *Matth.*, XVI, 19; XVIII, 18; *Actor.*, XV, 28; C. 2, *De Maior.*; C. 2, *De Const.* in 6°. Nec, quoad vim obligandi, aliquid interest inter decreta conciliorum oecumenicorum et RR. PP. decreta; quin illa ab his omnen obligandi vim capiunt. Episcopos vero accipimus quotquot alias Episcoporum nomine et iurisdictione censentur. Ad haec, *Legati* quoque (§ 93, in fi.) leges faciunt in suis Provinciis, sed nomine et auctoritate R. P. (C. 10, *De O. L.*).

Verum decreta Conciliorum provincialium publicari nequeunt, nisi prius a S. C. C. *expensa ac recognita fuerint* (3). Et Statuta edita ab Episcopis extra synodum dioecesanam, inconsulto Capitulo cath. ecclesiae, resoluto iure ipsorum (v. c. morte, translatione, abdicatione), evanescere (velint, nolint), communior et probabilior sententia est (4). At privati leges condere nequeunt; ne Collegia quidem, nisi Princeps concesserit; quae autem haec sibi condunt *Statuta*, tenent quasi pacta conventa, *dum ne quid de lege corrumpant* (5).

200. Humani legislatores ea omnia comprehendere possunt suis legibus, quae non sunt contraria iuri naturali absoluto (§ 192), aut iuri divino. Verum duo eorum potestatem fugiunt: quae sunt nimis ardua et difficilia, de quo fere nemo dubitat (6); et actus mere interni. Haec communior sententia est; et mihi verior: primo, quia actus huiusmodi societatem, sive civilem sive christianam, non attingunt, cuius proinde nihil intersunt (7); deinde, quia humani le-

(3) Xystus V, C. *Immensa*. Haec decreta ex omnium (quasi unius personae moralis) collecta iurisdictione (quae in Synodo Dioecesana est solius Episcopi) vim habent (Navarr., 25, 74; Suar., VI, 15, 6); ideo *his* derogare licet singulis Episcopis, *illis* non item (Bened. XIV, *De Syn.*, XIII, 5, 8). Nihilominus et ab his dispensant in dioecesi quisque sua, dummodo sive illa sive haec confirmata non fuerint a R. P. in *forma specifica*, idest *motu proprio, et ex certa scientia* (Fagnan., in C. *Si quis*, n. 11 etc., *De Confirmat. uti.*; Bened. XIV, n. 11; V. Suar., VI, 26; VIII, 18).

(4) Reiff., 1, 2, 70; Ben. XIV, *De Syn.*, XIII, 5, 1, Barbo.; S. Alphon., VIII, 6. Scilicet vetitum est Episcopis graviora negocia expedire sine consensu Capituli (CC. 4, 5, *De iis quae fiunt a Prael.*) Et quod supponere videtur Scavini, in potestate Episcopi esse, utrum velit leges perpetuas an temporarias condere, a cit. CC. 4, 5, alienum videtur. Sed magis alienum a iure est quod, contra, docent alii, omnes prorsus evanescere, eas quoque quae latae ab eis fuerint consulto Capitulo cath. ecclesiae. Id nullo iure probari potest (Reiff. et Bened. XIV, *ll. cc.*); et e contra, haec duo certissima sunt: leges suapte natura perpetuas esse; Episcopos vero legislatoria potestate esse praeditos: utcumque lex possidet.

(5) L. 4, *De Colleg.*; C. 11, *De Const.*; C. 8, *De Stat. Monach.*; Suar., IV, 6, 13. Statuta vero quae sibi condunt Capitula ecclesiarum cathedralium etc., ex approbatione Episcopi vim legis accipiunt (Bened. XIV *De Syn.*, XIII, 5, 1). Quibus proinde, eo consentiente, derogari, obrogari potest; quamvis confirmata fuerint a R. P.: dummodo non fuerint confirmata in *forma specifica* (Fagn., in C. *Ex parte*, n. 4. *De Constit.* V, n. 3).

(6) S. Alph., I, 149; III, 472. V. c., prodere seipsum, vel carissimos suos (V. C. 87, *De Poenit.*, Dist. I; S. Alph., VI, 705); poenam sibi irrogare gravem (Suar., *De Censur.*, 20, 3, 10; Salm., 11, 2, 58, 60): *probabilissima* (S. Alph., III, 112, q. 3). Nisi legis obligatio magis ex electione et promissione nostra, expressa vel tacita, initium capiat, ceu lex coelibatus adnexa ordinibus sacris, statuta Regularium etc.; eamqae servari publice intersit.

(7) C. *Consuluisti*, 20, 2, 1; D. Th. 2, 2, 104, 5; Suar., IV, 12, 8.

gumlatores de his iudicare, eosque poenis coercere non possunt (8): quo igitur inutilis lex? (V. § 161, n. 12). Dixi actus *mere interni;* nam qui necessarii sunt ad actiones externas perficiendas, ut humanae dici possint, hos leges humanas praecipere posse, et revera praecipere, cum aliquid exterius faciendum iubent, nulla prorsus dubitatio est (9).

201. Verum potestas humanorum legislatorum separata invicem est; cumque civili potestati temporalia, ecclesiasticae spiritualia negocia credita sint (§ 67), illa de his tantum leges ferre potest, quae pertinent ad negocia saecularia; haec de his tantum, quae ad animarum salutem pertinent. Proinde si contraria decernant, unicuique parendum erit in his quae suae iurisdictionis sunt (10). Nihilo-

(8) D. Th., 1, 2, 91, 4; 100, 9; Caiet.; Sot.; Laym., 4, 5; Lugo, *De Fide*, XXIII, 5, 10; S. Alph., VII, 34. Scilicet potestas legislativa sine IUDICIARIA et COERCITIVA inutilis foret (Salm., 11, 1, 66); atqui *Ecclesia non* IUDICAT *de occultis* (C. 11, Dist. 32), idest internis; (Lugo, n. 10); ideo ea (ne censuris quidem latae sententiae) COERCERE *non potest* (C. 33, § ult.; C. 34, *De Simon.*). Hinc, v. c., cum excommunicantur *credentes* haereticis (C. 15, § 2, *De haeret.*), et qui aliter quam S. Rom. Ecclesia *sentire* non metuit (C. 9, pr., *Eod.*), *credere, sentire* accipere debemus, quod exterius apparet (Salm., 10, 1, 139). Et cum in Clem., I, § *Verum, De Privil.*, excommunicantur Inquisitores ex odio iniuste iudicantes, illud *ex odio* sic accipiendum est, si appareat exterius (Vasq.; Salm.; S. Alphon., VI, 1034). Nec obstat: 1° quod haec praecipere possint praelati Regulares et confessarii; quippe illis parendum est ex voto (Salm., n. 141), his quia res est de foro interno (Salm., 17, 1, 181), in quo Christi, quoad *singulos*, personam gerunt; nec, 2° quod nemo potest interius *velle* quod lex vetat, aut *nolle* quod iubet (C. 5, Dist. 19), utrumque enim reprobat *ius naturale;* nec demum, 3° quod Ecclesia possit aliquid concedere *sub conditione* actus interni; v. c., indulgentiam, *iniuncta* oratione; vel dispensationem connubialem, *nisi* sponsi ea mente coierint, ut facilius dispensationem impetrarent (S. Alph., VI, 1134), quia in potestate cuiusque est quem velit suis beneficiis modum imponere (L. 152, *De R. I.*).

(9) Sot., X, V. 5; Less., II, 37, 66; Suar., *De Censur.*, IV, 2, 23; Lugo, *De Fide*, 23, 6; Salm., 10, 1, 139. Velut animum orandi, promittendi, iurandi, cum orare, promittere, iurare aliquid iubent (Lugo, *De Poenit.*, XV, 141); secus nec iurament., nec promission., nec orationem exigerent, sed eorum simulationem: quod absurdissimum foret. Hinc, v. c., praecepto confessionis, vel communionis annuae non satis fit confessione, vel communione sacrilega (Alex. VII, 14; Innoc. XI, 55).

(10) CC. 5, 6, 10, Dist. 96; C. 7, § 1, *De Appellat.*; C. 18, *De Iudic.;* C. 13, § *Rationibus, Qui filii sint leg.* Nihilominus, quia ad Ecclesiam pertinet ius naturale et divinum custodire, si aliquam legem civilem reprobaverit tamquam a bonis moribus vel divino iure alienam, iuri canonico standum est (V. Bened. XIV, *De Syn.*, IX, 11, 5). Et, ut generaliter dixerim, quoties agitur de peccato vitando, iuri canonico est inhaerendum; ut puta, in usucapionibus et praescriptionibus sine bona fide completis.

minus cum utraque potestas a Deo sit, et ad eumdem *finem tendat* (cit. § 67), foventur mutuo: eapropter, quoties materia communis est utriusque iuris, ius civile suppletur ex iure canonico; et, contra, quod iuri canonico deest, suppletur ex iure civili (11). Non quidem romano, quod olim viguit, sed eo quod nunc viget (12); praeter quam si agatur de his legibus quae in ius canonicum translatae sunt, quippe quae non amplius leges, sed canones dicendi sunt (13). Nihilominus ius canonicum, quando ex iure civili capit interpretationem, non ex eo quod nunc viget, sed ex iure communi interpretandum est; quia, hoc imperante, conditum fuit.

202. *Leges humanae tunc instituuntur, cum promulgantur* (14); tunc autem promulgari dicuntur, cum Legislator eas subditis suis observandas proponit; ideo antea non obligant, etsi hi sciant conditam legem fuisse (15). *Quo* vero *modo,* et *ubi* publicandae sint leges humanae, cum nullo divino iure definitum fuerit, in arbitrio legislatoris positum est. Leges canonicae publicantur, earum apo-

(11) C. 1, *De Novi Op. Nunc.* V. c., C. 8, *De Consang.,* cautum est, matrimonia ultra 4^{m} consanguinitatis gradum prohiberi non posse: num et in linea recta? Et obtinuit, ob L. 25, *De Ritu nupt.,* in hac linea in infinitum prohiberi. Sed ius civile hodiernum a canonico iure divertit, et plerumque ei est infensissimum.

(12) Contra Perier et Barbosa in cit. C. 1, n. 5, forte solos aliud existimantes: 1° quia ideo utrumque *ius* fovetur *mutuo,* quia utraque *potestas* mutuo foveri debet, num potestas quae desiit? 2° quia ius canonicum non adscivit leges civiles quasi *consulta* virorum prudentum, sed quasi iussa legitimae potestatis (Ex C. 8, *De Fide Instrument.*), quae *aequitatis et iustitiae vestigia imitantur* (C. 28, *De Privil.*), ut coniunctis viribus tenerent fortius: alias, 3° abrogato hodie fere ubique gentium foro ecclesiastico, quo iure tuerentur se Clerici in foro civili? Et quis dixerit, v. c., ex C. 4, *De Sepult.* in 6°, quo cavetur, filium familias, nisi habeat peculium castrense, testamentum facere non posse (nempe ex L. 7, *Qui test. fac. poss.*), clericos, nisi hoc peculium habeant, non posse testari? Hac re si, v. c., beneficiatus (qui fructuarii iure censetur) quaerat, an possit hodie (penes nos) fodinas, v. c., lapidum, in praediis beneficii inquirere; vel cuinam cedant arbores vi ventorum avulsae, sibi, an Ecclesiae? respondendum puto, ipsum non posse fodinas inquirere (C. It., 494, contra L. ult., C. *De fund. dot.*); arbores vero ad ipsum pertinere, ceteris paribus (C. It. 490, contra L. 21, *De Usufr.*). Cumque locationes a fructuario initae hodie non finiantur finito usufructu (C. It., 493), secus ac iure communi (L. 9, § 1, *Locati*), non videtur amplius probabile (V. S. Alph., IV, 187, in fin.), posse (apud nos) beneficiatum elocare bona sui beneficii ultra triennium: quod olim poterat.

(13) Fagnan., in C. *Inter alia,* n. 6°, *De Imm. Eccles.* Ut puta, quae adoptarunt impedimenta *pub. honestatis* (Ex § 9, *De Nupt.*), vel cognationis legalis, trinam citationem in censuris per iudicem irrogandis, etc.

(14) Gratian., in C. 3, Dist. 4.

(15) Suar., III, 16, 3; Ex C. 1, *De postul. Praelat.* Tunc quis iubet, cum alicui iubet; tunc ei iubet, cum *directo* eum alloquitur.

grapho ad valvas basilicae Vaticanae Romae proposito (16). *Lex autem non habet oculos retro,* idest retrorsum non valet; sed in futurum tatùm (17); nisi de praeterito quoque tempore, et pendentibus adhuc negociis caverit nominatim (18). Quando autem lex, ex quo rite promulgata fuit, incipiat obligare, hoc, quoad civiles leges, ex cuiusque civitatis iure petendum erit; quoad canonicas, nonnemo putat eas obligare ex quo sciri a subditis poterunt (19); alii post duos menses (20); alii postridie (21); hi communius (22), et verius forte (23); et in statutis dioecesanis vere prorsus (24).

203. Cumque omnis potestas a Deo sit, leges humanae, sive ca-

(16) Suar., IV, 15, 3. Sed quaestio olim, nec mediocris fuit (V. Reiff., 1, 2, a n. 117), utrum subinde in singulis quoque provinciis, aut dioecesibus essent publicandae, quod ita iure civili (V. § 201, n. 11) cautum erat; an secus ex C. 1, *De Concess. Praeb.,* et ex usu romanae curiae. Mihi haec posterior communior sententia verior semper visa est: et ex quo responsum fuit a S. Poenitent. die 8 Novem. 1821, Const. *Ecclesiae* Pii VII, et die 15 Iunii 1870, Const. *Apostolicae Sedis* Pii IX, obligare postride eius publicationis Romae factae, id amplius ambigendum non esse videtur.

(17) L. 7, C. *h. t.*; C. 2, *De Constit.* Quamobrem si quis, v. c., cùm quatuor tantum filios haberet, ante editas in ditione Pontificia NN. LL., bessem alicui donaverit, et post has editas mortem obierit, filii trientem capient, non semissem.

(18) Clem., 1, § ult., *De S. E.;* L. 19, in fin., C. *De SS. Eccl.;* L. 7, C. *h. t.* Hinc iura, obligationes, impedimenta, quae ex humanis legibus statum capiunt, et ea quae velut in dies acquiruntur et quasi *continuo,* contraria lege lata, illico intercidunt. Scilicet *omnia quae iure contrahuntur, contrario iure pereunt* (L. 201, *De R. I.*). Hac re, v. c., usufructus in bonis filiorumfam., ex NN. LL., licet ante quaesitus, maiori filiifamilias aetate finitur (§ 54, n. 49). Et si R. P. abrogaret, v. c., irregularitatem ex defectu natalium, proderet spuriis et antea natis (Suar., *De Censur.,* 41, 1, 7). Dixi: *quae velut in dies,* etc.; nam iura quae plane iam quaesita fuerant, salva permanent (V. n. 17).

(19) Suar., III, 17, 6; IV, 15, 19. Ex C. 1, *De Conc. Praeb.* in 6°. Hac sententia admissa, omnia erunt in hominum arbitrio, varia et incerta.

(20) Salm., 11, 1, 91; Sot., II, 1, 4. Ex Nov. 66, Cap. 1; quae ad successiones pertinet. Vide Baller., ad Gury, I, 97.

(21) Sot., I, 1, IV; Vasq., 1, 2, Disp. 136, c. 3. Et ita obtinuit in iure communi (L. 65, C. *De Decur.;* Vinn., in § 3, *De Iur. Nat. Gent.;* Haimb., § 48).

(22) Ben. XIV, *De Syn.,* XIII, 4, 2; Schmalz., I, 2, 28.

(23) Ex C. 1, *De Novi oper.* Et post responsa S. Poenit. (n. 16), non videtur amplius esse ambigendum. Nihilominus, quia secunda sententia et nititur cit. C. 1, *De Conc. praeb.,* et S. Alph. (I, 96) *probabilior,* imo (*H. A.,* II, 8) *probabilissima* visa fuit, cum id nondum definiti iuris dici possit, reor (quam recte viderint sapientes), non esse inquietandos eos qui secundam sententiam sequuntur, nisi mos regionis aliud ferat: in legibus autem irritantibus, vel inhabilitantibus nihil decernendum esse, inconsulta Sede Apostolica.

(24) Reiff., I, 2, 112; Ben. XIV, *l. c.* Et tenent *omnes DD.* (Salm., 11. 1, 82).

nonicae sive civiles, obligant nulla expectata populi acceptatione: qui proinde gravi non caret, si absque gravi causa legem repudiet (25), vel repudiatae non pareat (26). Nihilominus, si legislator scit subditos detrectare legem, et dissimulat, videtur silentio eam suo revocare (27); si id ignorat, lex post decennium procul dubio (§ 181) evanescit (28); immo si maior et sanior subditorum pars non obtemperat legi, tenendum est, legem reipublicae non expedire, et praesumendum legislatorem in sua voluntate minime perseveraturum, si id sciret; atque ideo cessat (29).

204. Nunc videamus quinam legibus teneantur. Et legislator, si est persona singularis, eis non tenetur, quia *nemo vetare sibi aut praecipere quidquam potest* (30): ac proinde nec successor eius tenebitur (31). Et quae actiones moderantur qua licitae vel illicitae sunt, non tenent eos, qui sui compotes habitualiter non sunt; idest, infantes (32), idiotas, et perpetuo amentes (33). Eos vero, qui post

(25) Alex. VII, 28.

(26) S. Alph., I, 94, 97, 104, 110; Salm., 11, 1, 108; Suar., III, 19, 10.

(27) Suar., III, 19, 10; IV, 16, 10; Laym., III, 3; Bened. XIV, *De Syn.*, XIII, 5, 3.

(28) Ex C. 2, *De Temp. Ordin.*; Suar., IV, 16, 12; Less., II, 6, 46; S. Alph., I, 139, Lim. 3° Sive, uti aiunt, lex in priori casu via *connivențiae*, in posteriori *praescriptione* cessat.

(29) Suar., *l. c.* (quem non bene allegat Bened. XIV, cit. n. 3); Salm., 11, 1, 106, 107; S. Alph., *l. c.* Et Baller. (ad Gury, I, 99) testatur hanc esse communem TT. sententiam. Ceterum, *in dubio* an lex recepta fuerit, siquidem *negativo*, lex obligat (S. Alph., I, 97, in fi.); secus, in *positivo*, et probabili (S. Alph., III, Q. III, 112, v. *Secunda*). Verum his regulis hodie in foro externo caute utendum est; nam civiles NN. LL. consuetudines *contra* leges nusquam recipiunt, et post institutas in unoquoque regno curias supremas (di cassazione) tuendis legibus et unitati iurisprudentiae, impossibile est eas obtinere vim legis. Quoad ius canonicum vero, SS. Urbis Congregationes vix immemorabiles consuetudines obtinere contra sacros canones patiuntur. Quamobrem tota fere haec doctrina ad forum internum redigenda est, ut sciamus, quando consuetudo a peccato excuset; ut ecce, in his quae pertinent ad observantiam dierum festorum, vel esurialium, et ieiuniorum.

(30) L. 56, *De Recept. Arbitr.* Quod si propter exemplum tenetur (*vi directiva*, non *coactiva*), caritas, non sua lex eum tenet; et sub levi tenet (S. Alph., I, 154). *Quia nemo* etc., ideo ad eos actus non pertinet, qui ab aliis geruntur in favorem Principis: proinde v. c., Princeps institutus in testamento imperfecto, vel minus solemni, non capit hereditatem (LL. 3, 5, § ult., C. *De Testam.*).

(31) C. 20, *De Elect.* Inde illud: *Par in parem non habet imperium.* Et nihilominus (V. C. *Non liceat*, 20, 12, q. 2; et Ben. XIII, B. *Pretiosus*).

(32) V. Salm., 11, 3, 50. Nec si maturius ratione uti coeperint; quae aut verior sententia est, quia ea quae raro accidunt, *praetereunt* legislatores LL. 3, 4, etc. *h. t.*), aut certe probabilis (S. Alph., III, 270). At obligant ebrios (S. Alph., I, 153).

(33) Sanch., *D.*, 1, 12, 16, in fin. Ideo impune diebus esurialibus

infantiam in amentiam inciderunt, obligari multorum sententia est, quippe aiunt, amentia non solvit legibus (34): sed alii hac distinctione non utuntur, et rectius (35). Ceteri omnes tenentur; subditi inquam (§ 161, n. 5). Ideo intererit, utrum de legibus eorum agatur, quorum iurisdictio territorio finitur; an de communibus Ecclesiae legibus. Illae attingunt personas, res, actus: inde sunt vel personales, vel reales, vel (detur venia verbo) *rituales* (36). *Personales,* quae de statu personarum (§ 22, n. 1) decernunt; *reales*, quae circa immobilia versantur (37); *rituales,* quae actuum (v. c., contractuum, testamentorum, iudiciorum) formam, solemnia, ordinem definiunt. Itaque *personales* sequuntur civem ubique locorum (§ 119, n. 9), etiam ubi quis domicilium transtulit (38); *reales* territorio cohaerent, in quo immobilia posita sunt, ideoque tenent peregrinos (39); de *ritualibus* regula est: *Locus regit actum* (40). At communibus Ecclesiae legibus, ubi vigent, omnes christifideles tenentur ubique locorum, quamvis in patria obsoleverint: et contra, ubi forte obsoleverint, eis non tenentur, quamvis vigeant in patria (41).

205. Quoad statuta cuiusque dioecesis propria, questio haec non ad incolas, nec ad advenas, nec ad vagos pertinet, sed ad *peregrinos.* Et quaestio haec est, quibusnam statutis teneatur peregrinus: utrum suae dioecesis, a qua abest; an alienae, in qua versatur. Et verius videtur neutrius lege teneri: non dioecesis *suae*, quia extra territorium ius dicenti non paretur impune (42); nec *alienae*, quia

carnes eis apponuntur (Laym., 10, 1; Salm., 11, 3, 47, 48; Sanch., n. 9). Immo et ad tempus amentes (Laym., X, 3). Monomaniacos eis teneri putant Sanch. (*D.,* 1, 12, 4), Laym. (X, 3), Croix (III, 2, 1267): et recte; nisi circa eas insaniunt.

(34) Sanch., *D.,* 1, 12, 3.

(35) Salm., 11, 3, 47; Croix, cit. n. 1267; Laym. ,*l. c.* Dices: hi fuerunt olim legibus obnoxii; quis postea eos solvit? Amentia: nam quorsum his leges?

(36) Cf. Voet, I, IV, P. 2, n. 4.

(37) Voet, *l. c.* Dixi in quo *immobilia,* quia recepta regula est: *Mobilia sequuntur personam, immobilia situm.*

(38) Lugo, *De Iustit.,* XXIV, 8.

(39) Voet, *l. c.,* n. 6. *Communissima.*

(40) Quae ad actus privatos non pertinet; quia nulla pro his forma legibus constituta est: ideo si Italus, aut Gallus testamentum olographum fecerit, ubicumque fecerit, valet, ceteris paribus (Laurent, I, 90).

(41) Sanch., n. 39; Suar., *De Festis,* L. II, Cap. 14; Laym., XI, 4; XII, 3; S. Alph., I, 156. Et ea quae diversis locis, diversis temporibus vigent (e. g., vigilia SS. Apost. Petri et Pauli, quae apud Gallos in sabbatum sequens transfertur), sufficit te semel implesse (Less., IV, 2, 52; Sanch., *D.,* 1, 12, 22; Laym., XI, 1); etiam si, ubi serius venis, fixeris domicilium (Bonac., Q. I, P. 6, n. 57).

(42) L. 20, *De Iurisd.;* C. ult., *De Const.* in 6°. *Communissima* (S. Alph., I, 156, v. *Non tenetur.*

nemo potest suis legibus nisi subditos suos obligare (43): ideoque, verius, etsi in utraque dioecesi, immo in utraque parochia eiusdem dioecesis, eadem forte peculiaris lex vigeat (44). Nec prohibetur quis alio discedere ea data opera, ut legi se eximat (§ 182); licet eodem die abeat et redeat (45). Verum quo die discedit, et quo revertitur, quoad discedat, et ex quo reversus fuerit, tenetur eius loci legibus negativis, ut puta, ieiunio: immo et positivis (v. c., missam audire), quas discessurus implere iam debuisset quo tempore discedit (§ 167); vel quae adhuc impleri possunt cum redit (46). Nihilominus statuta alienae dioecesis obligant quasi leges naturales (§ 86, n. 36), si nequeant violari sine scandalo; v. c., quae prohibent servilia diebus festis: et statuta dioecesis propriae obligant extra territorium, si id quod absens extra facit vel omittit, in patria noceat (47).

206. Cumque omnis potestas a Deo sit, leges humanae, sive canonicae sive civiles, obligant, regulariter, in utroque foro (48). Ideoque conscientiam obstringunt etiam civiles leges: 1° quae ius

Idem iuris est, si quis versetur intra Dioecesim in loco exempto (Silv., v. *Excomm.*, II, 12; Laym., XI, 5; S. Alph., *l. c.*; Salm., 10, 1, 114).

(43) C. 21, *De S. E.* Quae S. Alphon. (*l. c.*) *probabilior* sententia est, et mihi verior (V. Laym., XII, 4).

(44) Less., IV, II, 55; Sanch., *Dec.*, 1, 12, 24; Tambur.; Laym., XI, 4; ibiq. Croix, I, 686; ibique Burgh., Tambur. Et si in eo loco aliqua lex communis Ecclesiae obsoleverit, quae domi viget, nec ea tenetur (Laym., *l. c.*; ibiq. Sanch. et Less.); et ex dictis planum est.

(45) Salm., 11, 3, 63; Busem. ap. S. Alph., I, 157, 4. V. c., abeat *gratia emendi aliquid, aut deferendi epistolam, aut nuncium* (Sanch., *D.*, 1, 12, 38). Haec reg. exceptionem patitur in matrimoniis contrahendis, et in casibus reservatis: de utraque suis locis.

(46) Sanch., *M.*, III, 18, 21; Less., IV, II, 55, 56; S. Alph., I, 157, 4.

(47) L. 2, C. *Quae res export.*; CC. 2, 11, *De Cleric. non resid*; Sanch., n. 14; Bonac.; Laym., XI, 3. Veluti si parochus, relicta parochia, peregre abierit (C. 23, Cau. 7, 1; Salm., X, 1, 109; ibique Avila, etc.; Suar., *De Censur.*, V, 4, 8).

(48) SS. D. N. Leo XIII, C. *Diuturnum illud*, 29 Iunii 1881; *Rom.*, XIII, 1; I *Petri*, II, 13; V. *Ios.*, VI, 18; VII, 19; I *Reg.*, XIV, 24, 43; C. 1, § ult., *De Testam.* in 6°; D. Th., 1, 2, 96, 4. Secus, civiles leges ad illaqueandas conscientias deservirent (Lugo, *De Iustit.*, VII, 6). Et vel de fide est, vel fidei proximum (Suar., III, 21,5). Ideo utrumque forum, quantum fieri potest, convenire debet (Sanch., *D.*, I, 10, 13; Salm., 20, 6, 6; S. Alph., III, 654): *Nec potest melior regula, et magis universalis tradi, quam quae ex foro externo desumi potest; quoties enim in foro externo reus condemnatur, idem in foro interno servandum est; quando vero in foro externo absolvitur, idem dicendum est in foro interno* (Lugo, *De Iust.*, XXIII, 110). Haec regula tunc solum cessat, cum forum externum praesumptione facti (§ 208), internum rei veritate nititur (Sanch., *M.*, II, 41, 12; S. Alph., *l. c.*; Suar., *De Censur.*, 40, 5, 16).

aliquod nobis praestant, vel restituunt (49); 2° quae statuunt, quo probationum genere (§ 26, n. 21) in iure uti oporteat (50). Quoad illas dumtaxat leges, quae non praestant actionem in foro externo, animum advertendum est, utrum ius quod respiciunt, ex iure naturali profluat, an ex ipsa lege, seu canonica seu civili. *Illae* in foro conscientiae non prosunt, quippe actionem non praestant, non quia ius adimunt, sed ne forum litibus repleatur, vel ut sit aliquis litium finis (51): nisi manifestissimum sit, obligationem quoque naturalem sustulisse (52). *Hae,* si quis ius suum intra tempus definitum prosequutus non fuerit, ius ipsum, ideoque, ex adverso, alterius obligationem adimunt. Huic igitur prosunt etiam in foro interno; nisi forte is per iniuriam prohibuerit adversarium suo iure uti (53).

(49) V. Salm., 11, 2, 3, etc. *Praestant*; v. c., quae patri concedunt usumfructum in bonis filiorumfamilias, et filiisfam. legitimam in bonis paternis; quae dimidiam thesauri partem inventori tribuunt, dimidiam domino fundi; quae vicino muri communionem praestant; vel actionem damni dati sola culpa civili. *Restituunt* (V. Lugo, VII, 155; Reiff., I, 41, nn. 64, 91; S. Alph., III, 514); ut ecce quae concedunt restitutionem in integrum minoribus (§ 34, n. 9), nuptis (§ 48, n. 11), metum passis, Regularibus (§ 104, n. 22). Porro leges quae, praeter ius naturale, ius aliquod nobis *restituunt,* id praestant officio iudicis (L. 3, C. *De in integr. restit.*); atque ideo ante sententiam iudicis nihil a nobis debitum naturali iure intelligitur (Sanch., *M.,* VI, 38, 32; Lugo, *De Iustit.,* XXII, 296; Reiff., 1, 41, 17; et innuit S. Alphon., III, 827).

(50) Ex CC. 3, 9, *De Probation.* Ut ecce quae uni testi, etsi probatissimo, fidem abnegant, v. c., matri adulterae (§ 50, n. 5); quae solam *scriptam* aut nullam omnino probationem recipiunt. Verum, quia in his casibus *non ius deficit, sed probatio* (L. 5, C. *De Transact.*), si ius appareat manifeste, in foro conscientiae leges huiusmodi nihil mutant; nisi forte probationum genus *formam* actus attingat (V. C. G., 973; It., 779, 1314).

(51) L. ult., *Pro suo*; V. L. 1, pr., *De Constit. pecun* ; LL. 11, 12, *Ad S. C. Macedon.;* Less., II, 7, 21; Lugo, *De Iust.,* XXII, 55. V. c., in laesione rei venditae citra dimidium iusti pretii (L. 2, C. *De Rescin. Vendit.;* CC. 3, 6, *De Empt.*); in exigendis menstruis vel annuis reditibus, pensionibus, etc., post elapsum quinquennium (C. G., 2229; It., 2144).

(52) Verum hoc numquam praesumendum est (Laym., XVI, 9; ibiq. Abb., Silvest., Sa, Navarr., Rodriq.; Lugo, *De Iustit.,* XXII, 55; V. §§ 55, 59; 119, n. 6). Porro in NN. LL. nulla forte est naturalis ex contractibus obligatio per eas sublata, nisi earum rerum, quae contra bonos mores civiles stipulata fuerint: sed de hoc propediem.

(53) C. 7, *De Rest. in integr.*; C. 1, *Eod. tit.* in 6°; Bened. XIV, C. *Si datam,* v. *Quum item*; Laym., *De Pactis,* XI, 6; XVII, 29; Reiff., I, 41, 66. Scilicet *omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur* (LL. 36, 196, *De R. I.*); *et omnia quae iure contrahuntur, contrario iure pereunt* (L. 101, *Eodem*). Nec, eo elapso, proderit, quod experiri non potuit ob inopiam, vel ob probationum defectum, vel quia ius suum ignora-

207. Dixi *regulariter,* idest: 1° nisi lex poenalis fuerit; aut, 2° innixa falsa praesumptione facti. *Lex poenalis* ea dicitur, quae poenam irrogat transgressori: ideo duo semper continet; nempe *rem* aliquam (non faciendam, vel faciendam), et *poenam.* Et si utrumque (res et poena) est in praecepto legis, haec *mixta poenalis;* sin alterutrum tantum, arbitrio nostro, *pure poenalis* dici solet (54). Quae sint leges pure poenales aestimari debet: 1° ex verbis legis (55); 2° ex usu et receptis moribus; 3° ex communi sensu Moralistarum (56). In dubio exsulant, quippe recedunt a natura legis, quae vi sua aut *iubet* aut *vetat.* Itaque lex mixta poenalis obligat et ad rem et ad poenam (57); pure poenalis vel ad rem, vel ad

bat; item, si iudex noluerit sententiam dicere, vel iniustam dixerit, nihil ei proderit (Sanch., *M.,* VI, 38, 32; Laym., *De Pact.,* IX, 10; XVII, 29; Reginald., 25, 150; Lugo, *De Iust.,* XXII, 296; Reiff., 1, 41, 61). Nisi legislator ex iusta causa ei concesserit (novam) *restitutionem in integrum* (C. 1, § 2, *De Restit. Spoliat.* in 6°); quae in foro ecclesiastico interdum, in civili hodie vix datur, aut ne vix quidem. Et qui actione utitur in foro externo, quam lex non praestat vel ademit, licite contraria exceptione submoveri potest, ne reus, se condemnato, sua bona proscribat, aut hypotecae obnoxiam faciat: et ab actore, qui temere litigare maluit, litis expensas repetit, et damni cum eo agere potest; quippe agere contra ius iniuria est. Hactenus de his iuribus quae profluunt ex lege canonica vel civili. Contra, ea quae ex iure naturali prodeunt, regulariter, perpetua sunt. Proinde, v. c., si quis adversus contractum tecum initum restitutionem petat post tempus elapsum, siquidem ob aetatem, in utroque foro nihil agit; sin quia vel a te deceptus, vel metum passus fuit, naturalis iniuriae sarciendae obligatio manet (V. S. Alphon., III, 717).

(54) Laym., XV, 1; Salm., 11, 2, 42. V. c., mixta poenalis est quae iubet sarciri damnum sola culpa civili datum; pure poenalis, quae iubet multam dependi ab his, qui fraudant vectigalia. Leges pure poenales exploserunt veteres quidam TT., sed obtinuit sententia eas admittentium (Suar., V, IV, 2).

(55) Suar., V, 4, 9. Nempe, si lex nihil iubeat aut vetet (quod difficile est), sed poenam dumtaxat minetur (S. Alph., I, 145); aut iubeat quidem, seu vetet, sed utatur verbis disiunctivis; v. c., *nemo in silvis ligna caedet, aut multam dependat* (Laym., XV, 1); vel si legislator edixerit, nolle se conscientiam obstringere (Salm., 11, 2, 42). Leges pure poenales Sotus ab Henrico Gandensi (Sot., I, VI, 15); Suar. (V, IV, 7) ab Institutis Regularibus (V. D. Th., 2, 2, 186, 9 ad 1) repetit. Et ut generaliter dixerim, quoties lex abstinet verbis imperativis, in dubio, pure poenalem esse, ad levandas conscientias, tenendum esse docet cum Castro Suar., V. 4, 9.

(56) Ex LL. 35, 36, *h. t.*; Suar., V, 4, 8; Collet, Cap. V, Sect. 2. a. 1; S. Alph., I, 145. Eiusmodi vero hodie censentur quae civibus in publico caedere, depascere, piscari; quae urbe annonam extrahere, vel aliquid inferre vetant, non depenso vectigali (Laym., n. 2; Salm., n. 54; S. Alph., I, 145); quae laicis aleas, et ludos prohibent (S. Alph., III, 885). Nunquam vero leges pure poenales quaerendae sunt in his quae sunt mala natura, vel publice perniciosa.

(57) Tolet.; Sot., I, VI, 4; Suar., V, 3, 6.

poenam, arbitrio nostro (58). At poena neutrobi regulariter obligat ante sententiam iudicis; de quo dicam serius.

208. Praesumere est opinari (59); praesumptio: *Rei incertae probabilis coniectura* (60). Et vel hominis, vel legis est: illa in aestimatione boni viri tota posita est (61), et huc non pertinet; haec legibus est introducta, et ideo sine lege expressa non est admittenda. Et duplex est, una *periculi*, altera *facti. Periculi,* cum legislator, ex his quae frequenter eveniunt animadvertens aliquid non sine periculo fieri vel omitti, praecavens huiusmodi pericula, illud vetat hoc iubet; *facti,* cum, pro certo habens aliquid factum fuisse, quia sic communius fieri solet, ex eo supposito facto (quasi revera factum fuerit) iura et obligationes constituit. Haec si in iure contrariam probationem recipit, *iuris;* sin minus, *iuris et de iure* dici solet (62). Itaque lex quae nititur praesumptione periculi, obligat semper, etsi periculum cesset in re praesenti (63); contra, quae facti praesumptione nititur, si factum revera non subest, in foro con-

(58) D. Th., *l. c.;* Suar., V, IV, 7. *Communis sententia est, non dari leges Ecclesiae mere poenales* (Cl. Bouquillon, § 144). *In ecclesiastica disciplina leges mere poenales raro inveniuntur* (Lehmkuhl, Vol. I, 208).

(59) Voet, 22, 3, 14.

(60) Reiff., II, 23, 3. *Coniectura*; ideo praesumptio non dicitur earum rerum, quae apparent ex naturali et necessaria connexione inter causam et effectum; v. c., coisse quae peperit.

(61) V. III *Reg.,* II, 24.

(62) Barbo., in C. 30, *De Sponsal.*; Reiff., nn. 19, etc. Praesumptione *periculi,* v. c., nititur lex quae vetat legere improbatae editionis libros, matrimonia cum acatholicis contrahere; *facti,* quae tenet baptizatum fuisse eum qui, natus ex parentibus christianis, inter christianos more christiano adolevit (C. 3, in fin., *De Praesb. non bapt.*); *iuris,* v. c., virum patrem esse (§ 49, n. 20); *iuris et de iure,* e. g., eos qui matrimonium contraxerunt in gradu prohibito spretis denunciationibus, impedimentum non ignorasse (§ 56, n. 63). Adde C. 30, *De Sponsalib.*

(63) S. Alph., I, 199, in fi. Ratio est, quia lex non cessat, quamdiu finis legis non cessaverit adaequate (§ 179); et ne sit in aestimatione cuiusque nostri quando periculum cesset, quod aleae plenum opus foret, propter hallucinationis periculum (V. Lugo, *De Iustit.,* XXII, Sect. 9; V. § 180, n. 20). Et in hoc distat a iure naturali quod occasiones vetat (§ 172); hoc enim cessat, quando periculum cessat. Hinc, v. c., nulli prorsus hominum licet legere improbatae editionis libros, *mixtas* coire nuptias, sine licentia vel dispensatione Ap. Sedis. Quid, si lex huiusmodi forte obsoleverit, vel tu ab ea dispensatus fueris? Et profecto animadvertendum est, ne supersit lex naturalis; itaque si tibi data sit licentia legendi libros vetitos, ab iis abstinendum est, quorum lectio tibi periculosa est; et si acatholicam mulierem ducendo fides tua periclitatur, dispensatio pontificia prodest nihil.

scientiae non obligat (64): at vero, quamdiu non apparet manifeste, praesumptionem facto falso inniti, pro veritate habetur in utroque foro (65).

(64) LL. 24, 29, *De Probat.* Inde axioma: *Praesumptio cedit veritati:* seu iuris tantum illa sit, seu iuris et de iure (Reiff., II. 23, 52). Itaque regularis, e. c., qui, coactus vi, solemnia edidit vota, nec post quinquennium *ea* obligatur (Sanch., *M.*, VII, 37, 9). Sane potissima praesumptionum iuris et de iure ea profecto est quae oritur ex *re iudicata,* et nihilominus debitor absolutus per sententiam iudicis, licet haec in rem iudicatam transierit, debitor permanet (L. 60, *De Cond. indeb.*). Quod si aliquando concurrant duae praesumptiones contrariae, gravior praevalet; e. g., si quis indebitum solvit, praesumitur ignorans solvisse (L. 25, *De Probat.*); at si solverit sciens, donasse praesumitur (L. 54, *De R. I.*).

(65) Ex C. 2, *De Rest. Spol.* in 6°; cit. L. 25. Sed sciendum est, plures *iuris* praesumptiones, quae iure communi statutae fuerant, exsulare a NN. LL. V. c., iure communi, solutio debiti praesumitur, si creditor cautionem consciderit, deleverit, reddiderit; NN. LL. si reddiderit tantum, vel reddi iusserit. Quamobrem quod Nostri docuerunt, si creditor obligationem conscidit, debitor non tenetur heredi solvere, quamdiu non apparet creditorem per errorem conscidisse (Laym., *De Rest.*, IX, 10), hodie non est admittendum.

A praesumptione differt *fictio iuris* (Schmalz., II- 23, 3): v. c., conceptum cum de ipsius commodo quaeritur, pro nato esse (§ 27, n. 5); unam eademque esse personam defuncti et heredis (§ 37, n. 23); filium legitimum, vel adoptivum, haberi quasi natum ex iustis nuptiis (§§ 50, 51); diem sabbati ed dominicae insequentis, continuato ieiunio, pro uno die haberi in ordinationibus faciendis (C. 13, *De Tempor. Ordinat.*). Fictio igitur pro rei veritate habetur; ex qua, perinde quasi in casu vero, lex iura et obligationes constituit, (V. *Genes.*, XXXVIII, 9; XLVIII, 16 *Iosue*, CC. XVI, XVII). At enim, 1° fixio non habet locum nisi in casibus in lege expressis; 2° non debet plus operari fictio in casu ficto, quam veritas in casu vero; nec, 3° valet ultra id quod est expressum in lege (Ex L. 4, C. *De his qui ven. aet.*); atque ideo, 4° strictam interpretationem recipit. Quamobrem ex 1° ea regula: *Ratihabitio mandato aequiparatur,* quae pro negociis civilibus prodita fuit, perperam ad poenalia traheretur; et ea: *Qui per alium facit, per se ipsum facere videtur,* quae etiam ad poenalia pertinet, trahenda non est ad casus non expressos in iure. Ex 2° nasciturus pro nato haud est, si postea vivus et vitalis natus non fuerit (§ 27). Ex 3° defuncti et heredis eadem persona est quoad iura et obligationes, at heres non praesumitur scire quaecumque defunctus gessit (L. 43 *De R. I.*); nec potest revocare, v. c., testamento relicta, prout ille potuisset. Ex 4° promissa in tempus liberorum, aut mortis Caii, non debentur, filio adoptato (L, 53, § *Is cui, De Legat.* II; L. 75. *De condit. et demon.*), aut Caio tantum *civiliter* mortuo (L. 79, § *Hereditatem,* 5, *De Legat.* II; L. 121, § *In insulam,* 2, *De V. O.*); et fictio qua canonicus infirmus pro praesente (in choro) est, cum sit introducta ut lucraretur distributiones quotidianas, ad lucrandas distributiones inter praesentes nihil valet. At quoad ea quae fictio parit, haec in foro quoque conscientiae locum habent. *Communis* (Reiff., I, 2, 185).

APPENDIX.

DE LEGIBUS IRRITANTIBUS.

209. Occurrunt plerumque nonnulli actus, qui, licet solo naturali iure inspecto, rati validique essent, iure tamen seu civili seu canonico irriti ipso iure esse iubentur: quaerimus, an valeant saltem in foro conscientiae. Uti patet, heic non agitur: 1° de his actibus qui ipso naturali iuri irriti sunt, quibus, nempe, deest aliquid substantiale, puta simulata sponsalia; vel qui turpe aliquid continent, v. c., societas coita furandi causa (1): nec, 2° ex diverso de his qui iure nedum naturali sed et civili aut canonico rati sunt, licet detur adversus eos *restitutio in integrum;* v. c., initi a minoribus, nuptis (§§ 34, 48); sed nec de his, 3° quibus, salva naturali obligatione, actio dumtaxat in foro externo non datur, vel adempta fuit (§ 206). Sed de his tantum agitur, quibus nihil deest ex his quae naturali iure desiderantur, sed lege aliqua civili aut canonica irriti, infectique esse iubentur.

210. Age modo, actus huiusmodi ideo irriti infectique fiunt, vel, 1° quia legibus vetantur, vel, 2° quia lex eis agendis, obeundis, ineundis nos inidoneos et inhabiles fecit; vel demum, 3° quia non ex iure, idest neglecta iuris forma, peracti sunt. De actibus qui fieri prohibentur, fere expedita res est; nam si lex eos et fieri vetet, et si facti sint irritos esse iubeat, nullius proculdubio momenti sunt in utroque foro (2): sin tantum fieri vetat, eos valere in utroque foro, iure civili communior (3), canonico communis-

(1) Actus huiusmodi non *irriti* dicendi sunt, sed *infecti*, quia omnino non sunt (Laurent, XVIII, 569).

(2) Suar., V, 22, 6, et toto Cap. 25. Utputa, incesta vel clandestina connubia, renunciatio hereditatis eius qui nondum vita decessit.

(3) Vinn.,, *QQ. SS.*, Lib. I, Cap. I; Toull., VII, 488; Zachar., § 36; Suar., V, 23, 6; 25, 21; Salas, Disp., XVI, Sect. VIII. Nec obstat L. 5, C. *De Legib.*, quae vix aut ne vix quidem recepta fuit; et a NN. LL. penitus exsulat (Laurent, I, 59; V. C. G., 128, 280, 1304; It., 57, 104, 1300; V. Perrin., *Delle nullità di diritto in materia civile;* Solon, *Sulle nullità delle convenzioni*). Haec materia in NN. LL. obscurior est, perdifficilis, et maxime varia: quod belle ex recentioribus animadvertunt Carrière (*De Contr.*, n. 112) et Bouq. (*Instit.*, etc., § 149). Vulgo docent, nullitates vel *absolutas* esse, vel *relativas:* absolutas quae publicae utilitatis causa, relativas quae ob favorem singulorum sunt introductae: illas autem actum nullum infectumque reddere ipso iure; has officio iudicis, si ille, cuius favore sunt introductae, velit eis uti. At quaenam sint illae, quaenam istae, nulla certa regula definiri potest (V. Toull., VII, 499; Zachar., § 37,

sima (4) sententia est. De ceteris res est implexa, varia, difficilis: dicam plane quod sentio.

211. Sed ante omnia admonendi sumus, non heic agere de legibus quae, non in odium patrati alicuius criminis, sed qua alia causa, vel nos faciunt inhabiles, v. c., matrimoniis contrahendis; vel actus irritos faciunt, ut puta, donationes rerum immobilium privatis instrumentis confectas. Actuum huiusmodi duplex genus constituendum est, si quid opinor: unum eorum qui ex iure seu canonico seu civili initium et statum capiunt, velut professiones religiosae, adoptiones; alterum eorum qui naturali iure constant. De illis res mihi expedita videtur; nam si non *eo* (canonico-civili), quo alio, sodes, iure constant (5)? Quamobren de his solum inquirendum est, qui consistunt ex iure naturali. Inter utrosque nutant ultimae voluntatis actus, cum incertum sit utrum constent iure civili, an naturali (§ 118, n. 4): de his postremo loco seorsum.

212. Principio igitur distinguendum est inter leges inhabilitantes et leges irritantes, quas Nostri et Canonistae vulgo permiscent; quod plerumque confusionem, nec mediocrem, parit. Et primo de inhabilitantibus. Et videamus, utrum inhabilitas, seu incapacitas personarum, introducta fuerit ad tuendos bonos mores, an ad pericula praecavenda, an profluat ex statu (civili) personis adempto:

n. 14). Hoc primum; deinde, receptum videtur, nulli earum, ne absolutis quidem, nisi ex sententia iudicis, locum esse, quamvis publicae utilitatis causa sint introductae (Toull., VII, 499; Zachar., § 37, n. 14); et licet in lege contineatur, actum nullius momenti esse *ipso iure*, - *pleno iure* - (V. C. G., 502; It., 335). Et ideo nihil interesse putant, utrum in lege cautum sit, actum *nullius momenti* esse, vel esse *rescissioni obnoxium* (Durant., XII, 525; Laurent, I, 67; XVII, 532). Et in foro exteriori rationem habet, quia nulli privato licet sibi ius dicere; et patet ex C. 3, *De Divort.;* sed in foro conscientiae haec locum non habent in his quae irrita infectaque sunt naturali iure. Quaeri potest, an cum lex actum fieri vetat, nec, si factus fuerit, irritum esse iubet, utrum nihilominus in potestate iudicis sit illum irritum pronunciare? Affirmant quidam (Toull., VII, 57; Zachar., 37, n. 10), ne lex violetur impune: negant alii (Laurent, I, 68); et hoc mihi verius, quia nullitas actus pertinet ad sanctionem legis, et poena quaedam est; atqui sanctio legis est *pars legis*, legem autem condere solius legislatoris est, et *nulla poena sine lege*.

(4) Suar., V, 27, 6; et toto Cap. 29; Bened. XIV, *De Syn.*, XII, 5, 3. Et mihi pene definiti iuris est (C. 6, *De Concess. Praeb.* in 6°). *Certa:* ut ecce matrimonia quae vocant mixta vel inita neglectis publicationibus. Inde reg. iuris Canonici: *Multa fieri prohibentur, quae si facta fuerint obtinent roboris firmitatem* (C. 6, *De Regular.*): nempe si lex prohibens non sit *munita decreto irritanti,* quod vocant (Bened. XIV, *l. c.*). Nec obstat C. 34, *De R. I.* in 6° (V. Reiff., *ibi*, n. 4).

(5) V. Suar., V, 31, nn. 8, 9.

ut ecce cum vetatur quidvis donare filiis adulterinis – coniugi – servo. *Illam* actum irritum facere in utroque foro, palam est (6); item et *istam* (7); *hanc* non item, sed actus valent in foro interno, quia lex huiusmodi non adimit ea quae ad statum naturalem hominis pertinent (§§ 119, n. 6; 120, n. 10).

213. Venio ad leges irritantes. Has accipio quae nonnullis actibus formam vel solemnia constituunt, quibus posthabitis, nihil actum intelligitur. Porro *forma* est, quae ab ipso actu, quasi *species*, separari non potest, et fere ex duobus constat: ut actus coram certa persona publica fiant (v. c., matrimonia coram parocho et testibus); vel ut publicis instrumentis iure factis (v. g., donationes rerum immobilium) conficiantur. *Solemnia*, quae accedunt extrinsecus; puta, ne bona Ecclesiae veneant, sine beneplacito Apostolico; minorum, sine decreto iudicis (8). Porro haec omnia sunt introducta ad fraudes apprime removendas; et leges huiusmodi fraudis praesumptione nituntur (9). Quaestio igitur, ni fallor, haec est: utra sit haec praesumptio, facti, an periculi (§ 208); nam plures (quasi *facti*), si fraus revera defuit, ratum putant quod actum est; plures alii (quasi *periculi*) irritum semper. Sententia utraque gravis; quocirca alii possessori favendum putant, quoad iudex fori exterioris sententiam dixerit (10); et iure prorsus (11).

(6) Suar., V, Cap. 27. Heinc Nostri docent, et nihil agere, et peccare eum qui donat filio adulterino quod per leges donare nefas est: et filium qui has donationes acceptat (Vasq., *De Testam.;* Moli., Tr. II, DD. 137, 139; Less., II, 15, 62; Lugo, *De Iustit.*, XXIV, 92; Salm., 14, 5, 62). Verum admonendi sumus, in NN. LL. incapaces plerumque, lata significatione, et eos appellari quibus datur in integrum restitutio (C. G., 215, 484, 513, 1124, 1304: It., 134, 319, 339, 1106, 1300).

(7) V. § 208, n. 63. Ut ecce quae vetant magistratibus, et his qui in foro versantur, lites redimere (C. G., 1597; It., 1458): tutoribus quidvis capere ex testamento eorum qui sub tutela ipsorum sunt (C. It., 769).

(8) V. Suar., V, 23, 2; 24, 7. Neglecta forma, quia *forma est quae dat esse rei,* actus infecti; solemniis neglectis, *irriti* proprio nomine dici solent: sed his vocabulis plerumque indiscrete utimur. Itaque infectus dicitur actus cui vel aliquid substantiale, vel sua forma deest; puta matrimonium cum amente, vel clandestinum.

(9) Ex § 4, *De Testam. ordin.;* L. ult., § *Lex enim,* C. *De Fideicomm.;* L. 22, § *Praecipimus,* C. *De Admin. tutor.;* C. G., 1350. 1; It., 1350, 1; Lugo, *De Iust.,* XXII, 253; Laym., *De Pact.,* IX, 9; Panormit., ap. Engel, I, 2, 54; Reiff., III, 13, 53; aliique ap. Suar., V, 24, 1. Sed is (*l. c.,* n. 4. et Cap. 31, 8), eumque secutus Laym. (*h. t.,* XVI, 7) rem expediunt per distinctionem inter solemnitates substantiales, et accidentales, nullo iure freti, sed exemplis, hisque minus idoneis, qui tamen (*l. c.,* n. 5) putat eas, non in praesumptione fundari, sed *in solida veritate.*

(10) V. S. Alph., III, 711, 927.

(11) Ex L. 37, § *Veteranus, De milit. testam.*

214. Veniamus ad ultimae voluntatis actus. Hi in iure nullius momenti sunt: 1° si is qui testatus est, testamentum facere, vel is cui aliquid relictum est, testamento capere prohibetur; 2° si testamentum non sit factum iure. In priori casu, quia *factio testamenti* sive activa, sive passiva, ex beneficio iuris civilis consistere (ex perpetuo legum sensu) videtur, tenendum est, testamenta in foro quoque conscientiae pro infectis esse (12). In posteriori, cum nec inter Nostros, nec inter Canonistas, nec inter ipsos I. C. unquam convenerit, utrum, saltem quoad conscientiam, servandae essent supremae decedentium voluntates, aliis mordicus affirmantibus, mordicus negantibus aliis (13), heic quoque pro possessore respondendum erit; sive is sit heres legitimus, sive scriptus, seu legatarius.

215. Sed est et altera quaestio, quam Nostri vulgo praetereunt; nempe, utrum peccet is, qui actum ex alterutro capite vitiosum facit; et quaestio est implexa et obscura. Dicam plane quod sentio. Si quis heic peccat, ideo peccat, quia rem vel malam, vel damnosam facit. Si rem *malam* facit, eum peccare palam est; ut puta, si mulier nubat affini, aut diaconus missam celebret; et hoc expeditum est: tenendum autem est, rem esse malam, si lex poenis in facientes animadvertit. Si *damnosam,* siquidem aliis, procul dubio peccat; seu iustitia, seu caritas vetet damnum huiusmodi (14); eo-

(12) V. Lugo, *De Iustit.,* XXIV, 92. Sane irrita atque infecta semper habita sunt testamenta eorum qui erant sub patria potestate (Ex L. 6, *Qui testam. fac.*), vel impuberum (LL. 4, 5, C. *Eod. tit.*), etiam in iure canonico (Ex. C. 4, *De Sepult.* in 6°): et uti donare filiis spuriis et donationes acceptare, ita et legare et legatum agnoscere grave esse Nostri docuerunt (V. § 212, n. 6).

(13) V. Ferrar., v. *Testamentum,* Art. I, a n. 44; S. Alph., III, 727. Dixi nos heic non agere de his legibus inhabilitantibus, vel irritantibus (de his serius agendum erit) quae in odium alicuius patrati criminis statutae sunt, nempe principaliter: nam si inhabilitas, vel nullitas actus principaliter statuta sit, poena autem accessorie, quia accessorium naturam sequi congruit principalis (C. 42, *De R. I.* in 6°), huc pertinent: velut (quae mihi verior sententia est) impedimentum *criminis,* simoniacae collationes beneficiorum; quippe quae irritae sunt, licet simonia admissa fuerit inscio eo cui beneficium confertur. Verum, quoties delictum aliquod subest, quando inhabilitas vel nullitas actus accessoria, quando principalis dicenda sit, non ausim definire: sed fortasse dici potest, accessoriam esse quando haec non personae coercendae causa constituta sunt, sed ad praeludenda mala quae ex eo actu in rempub. christianam manare possunt (V. S. Alph., III, 112, q. 2); ut ecce quae filios haereticorum arcent a beneficiis ecclesiasticis; quae collationes simoniacas beneficiorum irritas infectasque esse iubent.

(14) Cf. Suar., Lib. V, Cap. 20, a n. 4. *Iustitia;* v. c., si quis vendat penes nos, *sine scriptis,* praedium, iuris ignaro; si notarius, praeter-

que magis, si reipublicae, vel religioni nocere possit (15): sin ipsismet qui id agunt, non item, el planum est; sed rem tantum inutilem faciunt, dummodo, si res inter duos agitur, unus alterum non decipiat (16).

216. Restat ut videamus, in quo leges huiusmodi distent a legibus ceteris. Principio igitur non prodest in his legibus ignorantia, seu facti, quia nihil mutat ignorantia facientis; seu iuris, quod *indubitatum est apud omnes* (17). Deinde, nullam epicheiam recipiunt (18); atque ideo nullum incommodum, ne gravissimum quidem, ab eis servandis excusat (19). Verum, quoad leges canonicas, probabile est, ait S. Alph. (20), eas, ex praesumpta voluntate legislatoris, non antea obligare quam sciri ab omnibus potuerint. Sed V. § 202, n. 22.

missa forma iuris, aliquod publicum instrumentum, vel testamentum exaraverit. *Caritas;* ut puta, si quis, ex testamento suo non rite facto, praevideat lites, rixas orituras, si a nemine coactus testamentum fecit.

(15) Ut ecce in matrimoniis, praetermissis solemniis iuris civilis, contrahendis; in electionibus ad officia ecclesiastica (Trid.. XXV, *De Regular.,* 6); in collatione beneficiorum, etc.

(16) Ut puta, si quis faciat testamentum nondum suae aetatis, vel olographum, non adscripta die; si coniuges alienaverint bona dotalia quae alienari prohibentur, aut nupta paraphernalia sine marito. *Dummodo,* etc.; puta, si emptor ignoret bona esse dotalia, aut eam a qua emit, virum habere.

(17) Salm., 11, 1, 78; Suar., V, 22, 7. Ut ecce, si quis bona fide matrimonium cum infideli contraxerit, vel sine parocho; si ineat professionem religiosam ante an. 16, vel anno tirocinii nondum impleto: sed actus ipso iure irritus infectusque est. Et ideo utrum actus, v. c., matrimonium, initus fuerit bona an mala fide, ad rem non pertinet (Suar., *De Censur.,* 13, 1, 3; Salmant., 10, 3, 97; S. Alph., VI, 1079). Et ex diverso, si falso putet actum irritum, vel se inhabilem esse, nihil oberit (§ 147, n. 26).

(18) Suar., V, 23, 2, etc.; Laym., XIX, 2; Salm., 9, 8, 14; S. Alph., *l. c.* Sed in iure canonico hoc perpetuum non est.

(19) Sanch., *M.,* III, 17, 4. Ut puta, si matrim. inter consanguineos, vel clandestinum, ad mortem vitandam (Suar., V, 22, 9), vel in articulo mortis (*S. C. C.,* 13 Febr. 1661), contrahendum foret. Ratio autem est, quia leges huiusmodi Reip. intersunt plurimum (Laym., cit. n. 2); vel potius, quia *capacitas* personis, *vis* actibus per leges adempta, restitui, nisi per leges, non potest (Suar. et Salm. *ll. cc.;* V. Thesaur., *De Poenis,* Par. I, Cap. 35).

(20) S. Alph., I, 96, v. *Praeterea;* Laym., II, 7; ibiq. Moli., Sot.

SECTIO III.

De his quae recedunt a iure communi.

CAPUT I.

DE IURIBUS SINGULARIBUS.

217. Lex est *commune* praeceptum (§ 161, n. 14): ideo tenet omnes. At vero non omnes *ordines*, vel *coetus* personarum, in eadem conditione sunt; immo interdum non omnes *personae* eiusdem coetus, ordinis, *eadem* conditione utuntur. Porro aequum non est, omnes eodem iure censeri (1): ideo favore *illorum* (ordinum, coetuum), iura quaedam *singularia* constituta sunt; *his* autem (singulis hominibus) interdum *privilegia,* interdum *dispensationes* conceduntur; quae duo per *rescripta* concedi solent. Quare de iuribus singularibus, primum; tum de privilegiis, de dispensationibus, et de rescriptis, sed paucis, hic.

218. Itaque ius singulare est: *Quod contra, vel praeter communem legem, certo personarum generi constitutum est* (2). Ex quo patet, iura singularia lege dumtaxat constitui, vel consuetudine introduci posse (3); et non singulis personis, sed certo dumtaxat personarum generi, idest ordini, vel coetui, posse decerni. Proinde sunt instar legum; atque ideo, prout leges, indigent promulgatione (4); sed non acceptatione, immo nec scientia eorum quibus concessa fuerint, ut hi valide eis uti possint (5). Ceterum, iura singularia non personis tantum, sed et rebus, favore personarum constitui solent.

219. Inde sunt vel personalia, vel realia, vel mixta (6). *Perso-*

(1) D. Th., 2, 2, 88, 10.

(2) Ex L. 16, *De Legib.* Appellatur etiam privilegium (CC. 1, 3, *De Privil.* in 6°); et a canonistis vulgo dicitur *privilegium clausum in corpore iuris.* Est igitur pars iuris, ideoque attingit omnes subditos; ceu sunt omnia privilegia concessa clericis, minoribus, etc. (V. Engel, V, 33, 2; Reif., V, 33, 10). Quae igitur non omnes alicuius generis, ordinis, coetus attingunt, sed personas singulas, licet personae morales sint, extra corpus iuris, privilegia esse tenendum est.

(3) Reiff., V, 33, 10. Plerique ex Nostris permiscent iura singularia cum privilegiis proprie dictis; haec interdum cum dispensationibus confundunt: et vix credibile est, quanta ex hac confusione orta sit sententiarum varietas (V. Suar., Lib. VIII, Cap. 25).

(4) Suar., VIII, 25, 16.

(5) Sanch., *M.,* III, 36, 3. Proinde, v. g., Regulares valide dispensant in quibusdam irregularitatibus occultis ex privilegio concesso eorum Ordini, licet forte ipsos lateat (Suar., VIII, 25, 26).

(6) L. 157, *De R. I.;* Ex C. 6, *De Praesum.;* Reiff., V, 33, 12.

nale dicitur quod personae cohaeret, utputa privilegium *Canonis,* vel *C. Odoardus* (§ 100): *reale* quod rebus, locis, aut dignitati constitutum est; velut exemptio a decimis concessa beneficiis ecclesiasticis, immunitas ecclesiarum, iurisdictio a Trid. Episcopis decreta dispensandi ab irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus. *Mixtum* vero accipimus, quod personis quidem constitutum est, sed rei familiaris causa; velut restitutio in integrum concessa minoribus (7). Omnia vel iuri communi derogant, ut priv. *C. Odoardus;* vel merum legis beneficium continent, ut priv. *Canonis:* illa sunt odiosa, haec favorabilia (8).

220. Iura singularia recipiunt interpretationem declarativam, prout leges ceterae (9); idest, favorabilia latam, odiosa strictam (10); exceptis his quae constituta sunt publicae utilitatis (11), et maxime religionis causa (12). Item et restrictivam (13). At non extensivam; quae longe communior et vera prorsus sententia est (14). Verum nunquam sic interpretanda sunt, ut his, quibus competunt, fiant onerosa (15), vel inutilia (16). Quod si duo contraria privilegia con-

(7) L. 19, § ult., *De Minor.,* L. 6. *De Restit. in int.;* LL. 69, 157, *De R. I.;* Reiff., n. 15; Laym., XXIII, 4; Pirhin., V, 33, 20; V Oddus, *De Restit. in integr.,* Par. I, Quae. 50, n. 10.

(8) Suar., VIII, 27, 2.

(9) Suar., VIII, CC. 27, 28; Voet, 1, 4, 16.

(10) V. CC. 16, 19, 31, *De Priv.;* Suar., cit. Cap. 27. V. c., Episcopi, si quid admiserint, quod sub interdicti, vel suspensionis poena, vetitum est, has censuras non incurrunt, nisi et in ipsos latae sint nominatim (§ 325, n. 10); qui Episcopum laedunt incurrunt excomm. R. P. reservatam (§ 389, n. 5); itaque Episcopos accipimus, in priori casu vel solum confirmatos (Suar., *De Censur.,* 28, 2, 7); in posteriori consecratos tantum (Navarr., 27, 67; Suar., *De Censur.,* 21, 2, 69).

(11) Laym., XXIII, 5; Reiff., I, 3, 139.

(12) Ex C. 30, *De Privil.* Quia *summa ratio est, quae pro Religione facit* (L. 43, *De Religios.;* Suar., VIII, 27, 7); velut privilegia concessa Regularibus dispensandi in votis (Less., II, 42, 60).

(13) Hinc, v. c., exemptione a decimis non continentur praedia emphyteutica (C. 8, *De Decim.*).

(14) LL. 14, 15, *h. t.;* C. 7, *De Privil.;* C. 8, *De Decim.;* Donnell., *Comm.,* XIV, 10; Fagnan., in C. *Olim, De V. S.;* Pirhin., V, 33, 20; Schmalz., V, 33 a n. 130; Suar., VIII, 28, 11. Contra Sanch., *M.,* VIII, 1, 7, et alios. Quocirca nec ad alias res (C. 74, *De R. I.* in 6°), nec ad alias personas (C. 9, *De Priv.*) trahenda sunt; nisi aliud communi virorum prudentum interpretatione sit introductum (Voet, 1, 4, 16); ut in dispensatione a choro, quae ab his qui theologiae student, ad eos qui student iuri canonico producta est (V. Suar., VIII, Cap. 27).

(15) L. 25, ff.; L. 6, C. *h. t. Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum* (C. 61, *De R. I.* in 6°). Hac re non cogitur, e. c., is cui concessum est, a vesperis recitare totum officium diei sequentis, quod postridie praevidet recitare non posse (Lugo, *De Euch.* XXII, 16; Salm. 5, 6, 57).

(16) L. 1, § ult., *Ad Munic.* Puta, si ei qui gaudet privilegio *altaris portatilis,* non liceret eo uti sine licentia Ordinarii (C. 30, *De Privil.*).

currant, idest, si duo *privilegiati* stent ex adverso, is potior erit qui deceptus, vel laesus fuit (17): in pari causa, aetatis (18); in pari aetate (minori), possessoris ratio habetur (19); et si neuter possideat, invicem non agent (20).

221. Ius singulare, seu privilegium clausum in corpore iuris, prout lex, perpetuum est. Nihilominus cessat, prout lex, abrogatione eius expressa, vel tacita (21). Praeterea personalia et mixta cessant in re praesenti, idest in singulis casibus, renunciatione eius cuius favore introducta sunt; *unicuique enim licet iuri pro se introducto renunciare* (22). Nihilominus renunciare non potest privilegiis quae vel aliorum causa (23), vel dignitati ordinis, coetus (24), constituta sunt: et perperam renunciatur his quae tributa sunt imbecillitati personarum, quamdiu haec duraverit; quae mihi verior sententia est (25). Ad haec, personalia, extincta persona; realia, re extincta, extinguuntur; mixta ad heredes transeunt (26).

Ideo, v. c., quinquennium concessum ad rescindendam professionem metu initam, a die, quo metus cessavit, decurrere, verius est (Ex L. 7, C. *De Temp. in int. rest.*)

(17) L. 12, § ult.; L. 35, *De Minor.* Veluti si duo minores rem inaequalem, sine compensatione, inter se permutaverint; v. c., duo horologia, duos libros.

(18) L. 13, *De Minor.;* L. 3, *Proinde, Ad S. C. Maced.;* Voet, 4, 4, 35. Ut puta, si minor crediderit mulieri, quae virum habet, iniussu viri (V. § 48, n. 6).

(19) Ex cit. L. 13, *De Minor.* V. c., si minor minori pecuniam credidit, et is in aleis, comessationibus, etc., illam perdiderit (cit. L. 35).

(20) Ex L. 37, *De Dolo malo;* et L. 40, *Sol. matr.;* Haimb., § 106, 3.

(21) Hoc manifestam rationem continet. Quod igitur vulgo docent Nostri et Canonistae (V. Suar., VIII, 28 a n. 1; et Reiff., V, 33, nn. 123, 124), non revocari nisi dictum sit – *non obstantibus quibuscumque privilegiis, quacumque verborum forma conceptis* – ad eas revocationes pertinere dicendum est, quae per *rescripta* in causa singulorum fiunt.

(22) L. 42, *De Minorib.* Scilicet *est regula iuris antiqui, omnes licentiam habere iis, quae pro se introducta sunt, renunciare* (L. 29), C. *De Pact.;* C. 6, *De Privil.*). Hinc, v. c., et Praelatum regularem ad Episcopum mittere posse Religiosum absolvendum, dispensandum, et Religiosum, illo irrationabiliter invito, hunc adire ut absolvatur, dispensetur (Laym., 23, 7; ibiq. Moli., Henriq., Avila; Engel, V, 33, 18), alterum mihi verum est, alterum probabile, ideoque tutum (§ 80, n. 78); dummodo manifestissimum sit, Praelatum prorsus irrationabiliter dissentire, quia Regularium privilegia ad tuendam quoque disciplinam pertinent.

(23) Ex L. 2, C. *De Legib.* Veluti si Episcopus, sine ulla iusta causa, nollet dispensare a suspensionibus, vel irregularitatibus occultis, nam perinde esset, ac nolle suo officio defungi.

(24) C. 36, *De S. E.* Ut privilegium *Fori* vel *Canonis.*

(25) Wesemb., *Ad Pand.,* 16, 1, 9; Suar., VIII, 6, 3. Velut restitutio in integrum concessa minoribus, et profitentibus Religionem ante aetatem canonicam; si minor nondum maior factus, vel professus ante legitimam aetatem, restitutioni renunciaverit; quippe eadem esset levitas actus et renunciationis.

(26) L. 19, § ult., *De Minor.* C. It. 322, 335, 341 et 1301; Joullier, VII, 566.

CAPUT II.

De privilegiis, dispensationibus, et rescriptis

Praenotanda.

222. Privilegia et dispensationes sunt: *Principis gratiae singulis concessae.* Illa beneficium praestant, hae lege in aliquo casu nos solvunt. Rescripta vero sunt responsa Principis scripta, quibus concessa ab eo privilegia vel dispensationes continentur. Porro solemnis est, apud Nostros et Canonistas, distinctio gratiarum in factas et faciendas. Quae non ex *re ipsa* petenda est, sed ex voluntate concedentis; non enim dicitur gratia facta, cum perfecta fuerit ultro citroque, sed cum is qui illam concedit (sive per se, sive per alium), annuit petitioni (1). Uti igitur sciamus utra ea sit, ante omnia dispiciendum est, utrum Princeps ipsemet eam concedat an alteri concedendam remittat, sive, uti nunc aiunt, utrum eam concedat in forma *gratiosa*, an in forma *commissoria.* Quando ipsemet eam concedit in gratiam eius, cui illam concedit, sive personae singulari, v. c., *Titio,* sive personae morali eam concedat, puta alicui Instituto regulari aut Collegio, regulariter facta intelligitur (2). Quando autem eam alteri concedendam remittit, modo facta, modo facienda intelligitur (3): intelligitur facta, si eum, cui mandat illam concedere, constituit *exequutorem necessarium;* sin *voluntarium*, facienda censetur (4). Utrum vero eum constituerit, aestimari debet ex verbis mandati, seu *rescripti* (5). Hoc autem distat inter gratiam fa-

(1) Reiff., I, 3, 250, etc. Gratiae Pontificiae concedi dicuntur vel *motu proprio,* vel *ad preces supplicantis.* Motu proprio ea concessa intelliguntur, in quibus haec clausula inserta est; ad preces supplicantis ea, in quibus deest; quamvis rescribens illa rogatus concesserit, haec sponte sua (C. 23, *De Praeb.* in 6°; Sanch., *M.* VIII, 1, 6).

(2) Suar., VIII, 31, 7; Reiff., n. 253, etc. Sive eam concedat ob solam eius cui conceditur, sive ad communem (et non certae alicuius singularis personae) utilitatem. Ut puta, privilegium Oratorii privati, dimissoriae ad ordines, vel facultas praedicandi, absolvendi a reservatis, concedendi indulgentias, benedicendi, etc.

(3) Suar., n. 10; Sanch., *M.*, VIII, 28, nn. 64, 80, 90. V. c., ut Titium, vel Seium a reservatis absolvat, dispenset ab irregularitatibus, ab impedimento ad contrahendum matrimonium; ut tollat ab aliqua ecclesia, vel civitate interdictum, etc. Haec recidit in mandatum; ideoque dicitur in forma commissoria.

(4) Cf. De Rosa, *De dispens. Literar. Apost.,* Par. I, Cap. 5.

(5) De Rosa, *l. c.* Itaque si rescripserit (v. c., Ordinario), *dispenses, absolvas,* gratia facta intelligitur, nam iubet; etsi adiecerit conditionem (Reiff., I, 3, 257); puta, si R. P. dispensaverit in impedimento mixtae religionis, *dummodo sponsi promiserint se ministellum non adituros;*

ctam et faciendam, quod per illam quoddam quasi *ius ad* rem (gratiam a delegato impetrandam) acquiritur, per hanc nullum prorsus; ideo illa non expirat resoluto iure dantis (6), haec expirat (7), nempe *re integra* (8). Nunc videamus, quid opus sit ad gratiam obtinendam: res heic altius est repetenda.

223. Quotiescumque alicui gratia conceditur, totum negocium agitur inter dantem et accipientem, proinde perfici, nisi utriusque voluntate, non potest. Itaque opus est et pollicitatione (oblatione) dantis, quod planum est; et acceptatione eius cui datur, quia nihil acquiritur nisi volenti (V. § 158 bis), ne donum quidem (9): *Invito beneficium non datur* (10). Sed acceptatione ipsa perficitur; neque

vel ei mandaverit, Seium, *renunciata pensione,* in beneficio instituere: tametsi addiderit, *pro tuo arbitrio et conscientia* (Ex S. C. C., 6 Dec. 1846); quippe haec clausula inseritur urbanitatis et reverentiae causa (Cl. Trombetta, *Praxeos,* etc., Cap. VI, § 3). Contra, faciendam accipimus, si ei, cui mandavit, nihil iusserit, sed negocium remiserit *arbitrio et voluntati eius* (Ex LL. 8, 9, *De O. Praes.;* S. Alph., I, App. II, n. 13); puta si dixerit, *dispenses, absolvas, si expedire iudicaveris;* aut ei remiserit preces *cum facultatibus necessariis et opportunis* (Bizzarri, *Collectanea,* etc., p. 666).

Sed admonendi sumus, cum excommunicati (seu vitandi seu tolerati) inhabiles sint gratiis Pontificiis obtinendis (V. § 361, n. 17), Rom. Pontificem solere ante absolvere petentes ab omni vinculo excommunicationis, si qua forte innodati existunt, *ad effectum dumtaxat gratiae illius consequendae:* porro haec absolutio non delegato committitur, sed datur ab ipsomet R. P., atque ideo nihil interest, utrum executorem necessarium constituerit, an voluntarium.

(6) Ex C. 36, *De Praeb.* in 6°; C. 9, *De O. D.* in 6° – *Resoluto;* ut puta, morte, mutatione, abdicatione officii, remotione, etc. Eoque minus in pendenti erit, concedente excommunicato, aut suspenso (Sanch., *M.,* VIII, 28, 57). *Decet, concessum a Principe beneficium esse mansurum* (C. 16, *De R. I.* in 6°).

(7) Ex cit. C. 9. Nempe quasi finito mandato. Hinc regula: *Resoluto iure dantis, resolvitur ius accipientis* (Ex L. 31, *De pignorib.*). Verum quae prodeunt a R. P., postridie electionis Successoris eius reviviscunt (Reg. 12, Canc. Apost.).

(8) Ex L. 6, *De Iurisdict.;* V. § 77, n. 62. Porro, utrum gratiae huiusmodi sint donationibus aequiparandae, non satis convenit: nam alii affirmant, alii negant (Reiff., V, 33, 120), et rectius.

(9) L. 19, § 2, *De Donation.;* L. 199, § ult., *De R. I.* – *Invitum autem accipere debemus et eum qui, non consentit* (L. 8, § *Invitus, De Procurat.*). Dices forte: hoc non pertinet ad dispensationes, quippe his a lege solvimur; eum vero qui lege vel obligatione aliqua devinctus est, et inscium et invitum solvi posse, translatitium est (L. 23, *De Solution.;* D. Th., *Suppl.,* 24, 2; Suar., *De Censur.,* VII, 1, 5). Ita porro, verum dispensationes quasi gratiae, non alias, concedi solent.

(10) Arg. ex L. 10, *De Donation.;* Lugo, *De Iustit.,* XXII, 27, etc.; Pothier, *Vendita,* n. 32; Durant., XVI, 54; Douverg., *Vendita,* I, 58; Zachar., 343, n. 3. Et planum videtur; contractus enim consensu perficiuntur; consensum vero constare tunc, cum unius voluntas ad voluntatem

enim opus est eam concedenti renunciare (11), nisi aut res agatur inter praesentes, aut negocium onerosum agatur, aut, si gratuitum, is qui donat velit eam sibi renunciari (12). At vero necesse est, ut et datio tua a te mihi, et acceptatio mea (cum opus est) a me tibi directo renunciata fuerit: *directo,* quia inter nos actum non intelligitur, quod non inter nos actum est. Quamdiu igitur oblatio, seu pollicitatio mea a me tibi, et acceptatio tua a te mihi *directo* non innotuerit, utrique nostrum integrum est voluntatem retractare; eaque retractata, perinde erit, ac si nihil inter nos actum esset (13). Idem iuris est, si medio tempore res ad eum casum devenerit, a quo initium habere non potuisset (14). Nihilominus communis Nostrorum sententia est, gratiam etiam post mortem concedentis acceptari posse, quamdiu a successore eius non fuerit revocata; rati, cum sit donatio quaedam, acceptationem etiam post mortem donantis utilem esse (15).

alterius accedit, palam est. *Dices:* id saltem opus esse, quando gratia conceditur adiecto onere vel obligatione, prout in contractibus onerosis, veluti si Episcopus absenti mittat potestatem excipiendi confessiones sacramentales, ea lege, ut in eo munere se parocho adiungat. Minime, quia non conventio initur, sed gratia conceditur.

(11) Less., II, 18, 43; Lugo, n. 29.

(12) Ex L. 25, *De milit. testam.;* C. 12, § 1, *De Appellat.;* Less., II, 18, 42; Moli., To. 2, D. 264, 3; Sanch., *M.,* I, 6, 3; III, 36, 7; Lugo, *De Iust.,* XXIII, 70; S. Alph., III, 728.

(13) Ex C. 7, *De Procurat.* in 6°; Sanch., *M.,* I, 6, 24; Lugo, *De Iust.,* XXII, 27; S. Alph., *l. c.;* V. Zachar., § 343. Quamobrem, si petieris ab Ordinario facultatem, v. c., absolvendi a reservatis, isque fortuito sermone dixerit Osio, se eam tibi concedere, vel concessisse; idque Osius tibi renunciaverit, nondum valet (Alas.; Sanch., *l. c.;* Schmalz, IV, 3, 205). Nec antea res confecta intelligitur quam epistolae tibi redditae fuerint, easque legeris.

(14) Bald., in L. 3, *Mand.;* Pothier, *Vendita,* n. 32. Ut puta, si sponsalia agantur per literas, et, illis nondum ultro citroque perfectis, vir eunuchus si factus, vel susceperit sacros ordines, aut mulier nupserit alii, vel mortem obierit.

(15) Less., II, 18, 45; Sanch., *M.* I, 6, 5; Lugo, XXIII, 76. Nisi forte, aiunt, alii mandaverit gratiam concedere (Ex L. 19, § *Si quis,* 3, *De Donation.;* Less., n. 46; Lugo, n. 78), quia mandatum morte finitur. Proinde idem dicendum esset, etiam resoluto, quoquo alio modo, iure concedentis. Nituntur, 1° L. 6, C. *De Donation.;* quae ad rem non pertinet; nam id unum cavet, donationes fieri posse etiam inter absentes. 2° Nituntur et ea fictione iuris, qua persona defuncti et heredis una esse dicitur; sed neque hoc bene (V. § 24, n. 8), quia ad iura et obligationes pertinet, nulla autem defuncti obligatio ex donatione nondum perfecta; immo nec ex perfecta, ei qui in dignitate succedit, quia nec heres dici potest (§ 46, n. 25); alias ab eo, qui concedenti succedit in dignitate, revocari non posset. In summa, haec sententia, quod ad donationem, nullo iure nititur. Nihilominus, quia ex una parte privilegia et dispensationes non donationes sunt, sed donationibus accedunt; ex altera quia dignitates, a quibus conceduntur ac-

224. Haec generatim: nunc videamus utrum res agatur inter praesentes, an inter absentes. Si inter praesentes, nihil actum intelligitur quoad pollicitatio tua aures mea, et acceptatio mea tuas aures pulsaverit (16). Ad haec, necesse est ut ego oblatam a te gratiam acceptem *continuo*, idest dum res inter nos agi videtur (17): quamobrem si, me reticente, ad alia divertimus, sera acceptatio non proderit nisi induciae datae fuerint ad deliberandum (18). Sin autem res agitur inter absentes, refert utrum per epistolas an per procuratorem, an per internuncium. Si per epistolas, hae vocis locum tenent (19): sin per procuratorem, quia is mandantis personam gerit, perinde est, ac si actum esset inter praesentes; sin denique per internuncium, quaestio haec esse potest, num sufficiat acceptationem (quando is qui gratiam concedit vult eam sibi renunciari) nuncio significare: Nostri affirmant, rati eum quem quis nuncium mittit, illum et ad recipiendam acceptationem vel repromissionem procuratorem constituere (20).

225. Age nunc; quando gratia alicui conceditur (seu privilegium, seu dispensatio), necesse est, ut qui illam concedit, eam concedat sciens volens, et hoc planum est. Quod ad eum vero cui conceditur, ante omnia, illud non interest quis illam petierit (21), nec utrum pro ignorante petita fuerit (22): sed necesse est, ut illam acceptet is cui datur (23); seu haec sit aliquid praeter ius, quia non potest quidvis acquiri, nisi volenti (24); seu contra ius, quia nemo praesumitur beneficia sua invitis conferre, ne vilescant (25).

cedunt personis moralibus, quae perpetuae sunt, haec sententia tuto sequi poterit, etiamsi iure stricto deficiamur.

(16) Ex § 1, *De V. O.;* Sanch., *M.*, I, 6, 12; Lugo, *De Iustit.*, XXIII, 83; Zachar., § 343. - *Pulsaverit,* ita nempe ut is ea audierit (L. 21 pr., *De Testam.*), et intellexerit (cit. § 1; Lugo, *ib.;* Sanch., n. 13). *Directo,* scilicet; neque enim sufficit *coram* eo loqui, sed *cum* eo loqui opus est (Lugo *De Iust.*, XXIII, 73).

(17) Ex L. 137, *De V. O.;* L. 6, § ult., *De duob. reis;* L. 13, *De Solution.;* Sanch., *M.*, II, 32, 7; Laurent, XIV, 470.

(18) Toullier, III, 2, 30; Laurent, XV, 476; Molina, II, Disp. 263; Laym.; Pirhin.; Schmalz., IV, l. 44.

(19) Ex L. 77, pr. *De Legat.*, II.

(20) Less., II, 18, 43; Sanch., *M.*, I, VI, 29; VII, 34; S. Alph., III, 728.

(21) L, 6, C. *De Preç. Imper. offer.;* C. 23, *De Praeb.* in 6°; De Iust., I, 3, 51.

(22) Sanch.. *M.*, VIII, 26, 4. Immo et pro invito (Bonac., Disp. 1, Quae. 3, P. 3, n. 4). Et nullo iure id negant Salm., et Neoterici quidam, quoad rescripta S. Poenitentiariae.

(23) Cf. Suar., Lib. VIII, Cap. 25. qui sex de hac re sententias recenset.

(24) Ex L. 70, *De R. I.;* Suar., n, 15; S Alph., VI, 1145; De Iust., I, 3, 52.

(25) Suar., VII, 25, 24; De Iust., I, 3 53; Salm., 18, 1. 64; Sanch.,

Haec recepta hodie sententia esse videtur; sed non caret controversia, eaque gravi (26). Quamobrem, si quis nec ipse eam petiit, nec scit, petitam ab alio concessam fuisse, eaque mihilominus forte usus fuerit, standum erit pro valore actus, si quid opinor (27): nempe *actus possidet.*

226. At vero quia privilegia et dispensationes recedunt a iure communi, ab his tantum concedi possunt, quibus hoc ius subest; et his tantum, seu personis seu locis, qui potestate sua continentur (28). Et si duo eiusdem gratiae concedendae potestatem habent, ut puta R. P. et Ordinarius, et maior ex his (v. c., R. P.) eam negaverit, nec ego prohibeor ab inferiore eam petere, quia hoc nullo iure vetitum est; nec inferior prohibetur (ne delegatus quidem) eam dare, quippe unius repulsa alteri iurisdictionem non adimit (§ 77 n. 63). Amplius; si alicui duplex potestas mandata fuerit, v. c. absolvendi a reservatis, et dispensandi in irregularitatibus, una earum, vel maiori, postea adempta, altera adempta non intelligitur (29).

M., III, 36, 2; S. Alph., VI, 1145. Nempe ex L. 4, § 2, *De Manum. Vind.;* L. 88, pr., *De A. P.;* C. 7, *De Procur.* in 6°. Ceterum silentium, inter praesentes, pro acceptatione est (De Rosa, Par. 1, Lib. 1, n. 78; ibiq. Gonz., et Lott.; Sanch., M., I, 6, 26). Et si gratia concessa fuerit ei qui pro se illam petiit, petitio repraesentatae acceptationis loco est (Sanch., *M.*, III, 36, nn. 6, 8; Salm., 18, 1, 64. *Communissima*) Sufficit autem si a Procuratore meo acceptata fuerit. Verum, quoad ego ignoro an concessa fuerit, ea uti licite non possum (Suar., VIII, 25, 25); valide verius possum (Laym., XXIII, 10; Regin., 1, 104; Sanch., cit. n. 8; Engel. V, 33, 12), quia verum est concessam fuisse.

(26) Cf. Engel, IV, 3, 17. Qui iura omnia, quibus contraria sentent a nititur, ad gratias onerosas, non ad gratuitas pertinere demonstrat.

(27) V. c., si parochus, rogante Sempronio, sinat, alienum sacerdotem adesse matrimonio, isque, et concessionis et petitionis ignarus, adstiterit.

(28) Suar., VIII, 8, 2; 26; 7. - *Seu locis:* nempe legislator *extra suum territorium privatus homo est* (Ex L. 3, *De Off. Praes.*).

(29) Ugolin., *De Irregular.*, Cap. 36, § 2, n. 3; Lugo. *De Fide*, XXIII, 130. Quidam contra putant, ex C, 32, v. *Primo*, *De S. E.* quo continetur, eos qui non habent potestatem absolvendi, nec dispensandi potestatem habere, *cum maiora illis prohibita intelligantur, quibus minora vetita sunt.* Sed perperam; heic enim de iis agitur, quibus potestates huiusmodi nunquam datae sunt, non quibus altera adempta. Sane, sublata olim ab Urbano VIII, S. Poenitentiariae facultate absolvendi ab haeresi occulta, qui in eam lapsi fuerant, impetrata a S. U. I. absolutione ab haeresi, pro dispensatione ab irregularitate adibant S. Poenitentiariam (Albit., Cap. 24, n. 44; Lugo. n. 127).

ART. I. *De Privilegiis.*

227. Privilegium est: *Beneficium Principis extra corpus iuris alicui concessum* (1). Dividitur ex subiecto, obiecto et causa. Ex subiecto, aliud personale est, aliud reale (V. § 219). Porro quod alicui conceditur solo nomine eius expresso, *personale* est; et hoc expeditum est; sed utrum sit quod conceditur alicui in dignitate constituto, cum, dignitas personae morali accedat et perpetua sit, non immerito disputatur: et si mens concedentis non appareat, tenendum est, esse personale (2): et ita Romae utimur (3). Ex obiecto, aliud est *contra* ius, aliud *praeter* ius: contra ius dicitur quod legi derogat: praeter ius quo Princeps, salva lege, meram gratiam concedit et velut aliquid suum: illud odiosum, hoc favorabile (4). Demum ex causa, quod ob certa merita nominatim con-

(1) V. Salm., Tract. 18, per totum. Seu singulis concessum fuerit; seu alicui personae morali, e. g., Collegio Salmantino, vel certo personarum Ordini, ut puta Fratribus Mendicantibus. Privilegium ex eo dictum est, quod sit quaedam quasi privata lex; nam veteres *priva dixerunt, quae nos singula dicimus* (Agell., *N. A.*, 10, 20). Et re quidem vera, privilegia proxima sunt *iuribus singularibus*, et fere in omnibus eodem iure censentur. *Fere* inquam, nam. cum extra corpus iuris versentur, sunt aliquid facti, quod tum legislator tum iudex praesumitur ignorare (Reiffenst.; V. 33, 11, 128): ideo si *ille* iuri singulari abroget, deroget, his derogare, abrogare non intelligitur (§ 221, n. 21); et si quis in iure eo uti velit, illud *huic* ostendere necesse habet (C. 7, *De Priv.* in 6°). Nostri et Canonistae de utrisque promiscue, quod non modicam plerumque confusionem, et incertitudinem parit. Nobis heic de iis tantum quae singulis conceduntur, agendum est.

(2) V. Sanch., *M.*, VIII, Disp, 27. Nostri et Canonistae distinguunt. utrum concessum sit solo expresso dignitatis nomine, an hoc et personae nomine expresso. In priori casu, puta, *Episcopo Reatino*, reale esse docent (Ex C. 14, *De O. D.;* Engel, V. 33, 3; Salm., 18, 1, 19); et verum est (nam indiscrete loquuntur), si agatur de priv. *clauso in corpore iuris*. In posteriori dissident: communior sententia est, esse personale, quia nomen *personae* quod speciale est, latiorem *dignitatis* significationem coercet (Sanch., n. 20; Salm., n. 150).

(3) Sane privilegia seu *indulta* dispensandi, v. c., quod ad abstinentiam, in impedimentis matrimonialibus, etc., a S. Officio, a S. Congr. negociis ecclesiast. extraord. praeposita, a S. Congr. Propagandae Fidei concessa, v. c. Episcopo Dioecesis N., hoc sublato, nec ad Vic. Capit., nec ad novum Episcopum transeunt.

(4) Ex CC. 1, 2, *De Fil. Praesb.* in 6°; Laym., XXIII, 5; Reiff., V. 33, 9. Contra ius, velut privilegium Oratorii privati; praeter ius, velut facultas absolvendi a peccatis, immo, et a reservatis; nam concedens, *ius* tribuens quod sibi soli competit, praeter, non contra, legem agit.

ceditur, *remuneratorium;* quod sine his, vel his non expressis, *gratiosum* dici solet (5).

228. Privilegia tantum valent quantum sonant (6); ideo neque extensivam interpretationem recipiunt (7), neque, regulariter, restrictivam (8), sed declarativam tantum (9): scilicet, privilegia *praeter ius* latam, quippe his Princeps dat quod suum est, quin aliquem laedat (10); *contra ius* strictam, quia legem vulne-

(5) Suar., VIII, 4, 1, etc.; Pala.; Salm., 2. Etsi remuneratorium ex debito iustitiae conceditur, *onerosum* proprio nomine dici solet, et quasi *pacti* vim habet (Suar,. VIII, 38, 5). Item si detur cum onere aliquid faciendi. eo impleto (*Ib.*, n. 6).

(6) V. C. 9, *De Priv.* in 6°; Suar., VIII, 27, 1; Laym., XXIII, 7.

(7) L. 1, § ult., *De Const Princip.;* ex C. 9; *De Priv.* in 6°. Ideo ei, v. c., cui datum est absolvere a reservatis non licet dispensare in irregularitatibus, licet occultis (Croix, VII, 461): *A disparatis non fit illatio.* Immo nec a similibus; nam et ei cui concessum est dispensare in gradibus consanguinitatis ad matrimonia contrahenda, in affinitate in pub. honestate dispensare non licet. Sane cum Pius IX Episcopis Siciliae facultatem indulsisset concedendi pauperibus *dispensationes matrimoniales in 3 et 4 consang. vel affinitatis gradu, sive* SIMPLICI *sive* DUPLICI, *ac etiam mixto* (Lit. *Multis gravissimis,* 30 Oct. 1867). S. C. C. consulta, respondit, eos in gradu TRIPLICI dispensare non posse (S. C. C. 26 Apr. 1873). Non bene igitur quidam existimarunt, Regulares ex privilegio olim eis concesso absolvendi a reservatis R. P., a reservatis quoque ab Ordinariis absolvere posse (S. Alph., VII, 98).

(8) Ex C. 16, *De V. S.* Dixi *regulariter,* quia si priv. concessum sit verbis generalibus, *in generali concessione non veniunt ea quae quis non esset verosimiliter concessurus* (C. 81, *De R. I.* in 6°), idest, *extraordinaria prorsus et insolita, de quibus nec in genere cogitatum est* (Laym., in C. *Sedes,* 15, *De Rescript.;* Reiff., in cit. C. 81). Nec ea quae aut consuetudo, aut ius excludit; proinde, concessa, v. c., facultatis absolvendi a peccatis, ea casus reservati non continentur; et concessa a R. P. licentia absolvendi a casibus reservatis, ea non veniunt casus eidem R. P. specialiter reservati.

(9) Ex C. 7, *De Priv.* V. Suar., VIII, 27.

(10) L. 3, *De Const. Princ.;* Suar., VIII, 27, 2. - *Beneficia Principum sunt interpretanda latissime* (C. 16, *De V. S.;* C. 22, *De Privil.;* cit. L. 3), eaque cum primis quae spiritualis salutis intersunt (Suar. *De Cens.*, VII, 5, 12); v. c. privilegium dispensandi (V. Sanch., *M.*, VIII, Disp. 2; Pyrr. Corradus, *Prax.*, etc., Lib. I, Cap. 1). Quamobrem, si tibi concessum fuerit eligere confessarium qui te a reservatis absolvat, conferre beneficia; licebit, quoties libuerit eligere confessarium (Suar., VIII, 29, 8; Regin., I, 96), et beneficia quoque duplicia (Sanch., n. 8) conferre: si dispensare cum filiis adulterinis, vel incestuosis, vel in consanguinitate et in affinitate, poteris dispensare cum quibuscumque incestuosis, cum quibuscumque, etiam ex utroque parente, adulterinis (Sanch. n. 30; De Iust., I, II, 4). Quid si facultatem habeas dispensandi cum incestuosis, vel adulterinis, vel in impedim. consanguinitatis et affinitatis, an id possis quando utrumque vitium in eadem persona concurrit? Affirmant plures, in is Sanch. (n. 28) et de Iustis (n. 71); plures negant ex cit. C. 16, quia est fortius et novae spe-

rant (11). Nihilominus haec quoque latam interpretationem desiderant, si, 1° reipublicae, vel Religionis intersint (12); vel, 2° concessa sint *motu proprio* (13); vel demum, 3° si alias forent inutilia (14). Ea sola privilegia quae laedunt ius tertii, strictam semper interpretationem desiderant (15); quin omne privilegium hanc semper tacitam conditionem habet, *salva iustitia, et iure tertii* (16): ideoque si revera laedunt ius tertii, nisi hic renunciaverit iuri suo, quasi sub hac tacita conditione data, nihil valent (17). At enim, prout iura singularia (§ 220, n. 15), ita et privilegia nunquam ita

ciei vinculum. Et ita obtinet penes Sacras Urbis Congregationes, quae *cumulandi* facultatem non admittunt, nisi concessa fuerit nominatim.

(11) CC. 1, 2, *De Fil. Presb.* in 6°; Suar., VIII, 27, 5. Quamvis neminem laedant (Sanch., *M.*, VIII, 1, 4). Nempe in dubiis; nam si verba perspicua sint, nullam interpretationem (§ 184[2]), ideoque nec restrictivam, admittunt: ideo concessa *tibi*, v. c., exemptione a decimis, agri quoque novales (C. 27, *De Decim.*), et quos postea emeris (C. 22, *De Privil.*) continentur.

(12) L. 43, *De Religios.* Scilicet ei quod publice interest, id quod interest singulorum cedere oportet (Suarez, VIII, 27, 7; V. § 220, n. 12); ceu privilegia Communitatibus vel Piae alicui causae concessa (S. Alphon., Lib. I, App. II, 8).

(13) Ex C. 23, *De Praeb.* in 6°; Suar., VIII, 27, n. 8; Laym., 23, 5, v. *Dixi.*

(14) Ex C. 30, in fi., *De Priv.;* Sanch.; Reiff., I, 3, 137; S. Alph., Lib. I, App. II, n. 7. Hinc, v. c., qui permittitur retinere duo beneficia quae *adsiduitatem* exigunt, ab alterutrius residentia dispensatus tacite intelligitur (Glos. in C. 21, v. *Retinere, De Praeb.* in 6°); et facultatem testandi concessam Regulari, primo testamento condito haud finiri, sed testatorem, illud revocare, et alia facere posse, verius est (Sarmien., *De Redditib.*, P. IV, Cap. IV, n. 3; Sanch., *M.*, VIII, 1, n. 18). Et, ut generaliter dixerim, concesso privilegio ea omnia tacite concessa intelliguntur, sine quibus privilegium explicari non potest (§ 76, n. 45). Cum igitur, v. c., in *cessatione* a divinis concessum sit viaticum deferre morituris, dubitandum non est licere missam celebrare ad Eucharistiam conficiendam, vel octavo quoque die renovandam (Suar., *De Censur.*, 39, 2, 20).

(15) Ex LL. 2, 7, C. *De Precib. Imp. off.;* L. 4, C. *De Eman. liber.;* C. 16, *De Privil.;* Laym., XXIII, 6. Ideo, v. c., communicatio privilegiorum inter Regulares cessat in his privilegiis, quae laedunt iura Episcoporum (Ex Ben. XIV, C. *Impositi nobis,* 27 Febr. 1747; Id., Notif. 23, 4; Pignat., *Cons.*, 1, 38).

(16) Ex C. 12, *De O. O.;* C. 15, *De O. D.;* C. 12, *De Privil.;* De Iust., 1, 2, 60; Suar., VIII, 22, 14. Itaque si R. P., e. g., mandaverit Episcopo, ut in beneficio proxime vacaturo instituat Seium, is nec beneficium patronatus optare poterit, nec quod ad liberam ipsius Episcopi collationem pertinet (Rigant., *Ad Reg. Canc.*, IX, § 3, 98). Ideo his privilegiis eatenus licet uti, quatenus neminem laedunt (V. De Iust., n. 57). Et si postea laedere coeperint, aut statim cessant (Ex C. 9, *De Decim.*), aut revocari debent (Engel, V, 33, 16).

(17) Cf. Laym., Lib. I, Tr. IV, C. 22, 19, VI. Utputa dispensatio ab impedimento sponsalium (De Iust., I, IV, 99).

sunt interpretanda, ut in dispendium privilegiati retorqueantur (18). Sed non valent extra territorium concedentis (19).

229. Privilegia evanescere possunt pluribus modis. I. Ex parte concedentis, revocatione seu contraria lege lata, dummodo nova lex eam saltem clausulam contineat – *non obstantibus privilegiis quibuscumque* (20); seu iussu ipsius concedentis, vel successoris eius: et *illa* tunc valere incipit, cum lex incipit obligare; *haec* ex quo privilegiato directe innotuerit a revocante (21). II. Ex parte privilegiati cessat per renunciationem (22), per non usum, per abusum. Per renunciationem, ex quo haec a concedente fuerit acceptata (23). Per non usum (vel usum contrarium) ea sola privilegia intercidunt, quae laedunt ius tertii, postquam is adversus ea praescripserit modo ac tempore a legibus definito (24); de quo alibi.

(18) Ex C. 61, *De R. I.* in 6°. V. c., ne sacerdos cui divinum officium, aut vovens cui votum commutatum fuit in opus forte gravius, ad divinum officium, aut votum reverti possint. Nec licet nova privilegia *ad diminutionem anteriorum convertere* (L. 2, C. *De Praeposit. Agent.*, Lib. XII).

(19) V. Suar., Lib. VIII, Cap. 26.

(20) V. Suar., VIII, 38, 1; Reiff., V, 33, 125. Etsi non addiderit: *sub quacumque verborum forma concessis* (§ 221, n. 21); scilicet, aiunt, iuri difficilius derogatur (Suar. et Reiff, *ll. cc.;* Laym., XXIII, 26). Sed remuneratoria non censentur revocata, nisi hoc quoque fuerit expressum (V. Sanch., *M.*, VIII, 33, 3; Pirhin., V, 33, 189). Porro *gratiosa* possunt ad nutum revocari, remuneratoria nonnisi ex causa gravi (Laym., n. 25; V. Suar., VIII, 37); onerosa ex causa publica, et refuso pretio (V. Suar., VIII, 37; S. Alph., Lib. I App. II, 16). Dices: quomodo invito extorqueri potest ius donatione quaesitum? Nempe, et quia privilegium veri nominis donatio non est (§ 223, n. 8); et quia semper eam tacitam conditionem continet, ut revocari possit: et est *communis sententia* (Engel, V, 33, 21).

(21) Suar., VIII, 40, nn. 1, 6; Laym., XXIII, 28; Salm., 18, 2, nn. 45, 47. - *Directe* (V. 224, n. 16).

(22) C. 6, *De Privileg.;* V. Suar., VIII, 33; V. § 221, n. 22.

(23) Zoesius, V, 33, 34 Pirhin., V, 33, 173; Reiff., V, 33, 189; Collet, Cap. VIII, Qu. V; Suar., VIII, 33, 21; S. Alph., I, App. II, n. 14. Seu privilegium sit contra legem, quia haec non potest sine voluntate legislatoris reviviscere; seu praeter legem, quia, quoad fuerit acceptata, in potestate sua est eam revocare (§ 74, n. 34; Suar., n. 19). Et si renunciatio agitur inter absentes, non poterit ab eo qui concessit acceptari, nisi ei a renunciante directe innotuerit (§ 77, n. 60).

(24) V. Suar., VIII, 34; Alas., V, IV, II, 3; Salm., 18, 2, a n. 13. Nisi aliud in iure cautum sit nominatim, ut in L. 1, *De Nund.* (Bonac., 1, 3, P. 8, § 5, n. 5). Scilicet, non uti privilegio est aliquid facultativum, et *in facultativis non datur praescriptio:* ut in priv. Oratorii privati, celebrandi ante auroram, absolvendi, dispensandi etc. (Pirhin., V, 33, 176; Reiff., V, 33, 209). Heinc v. c., *ius optionis* in beneficiis ecclesiasticis amittitur per non usum (S. C. Epp., 26 Mart. 1860); vacatio a muneribus publicis, haec suscipiendo, non amittitur (L. 12, C. *De Excus. Tutor.*). Ceterum haec materia, propter iura invicem dissidentia, *difficillima est* (V. Engel, V, 33, 19, etc.).

Per abusum; sed haec poena est, quae, regulariter, ante sententiam, saltem declaratoriam, iudicis non incurritur (25). Demum, III. natura sua cessat privilegium concessum sub conditione (vel tacita), aut in diem, his expletis (26); personale morte personae, reale interitu rei, vel loci, aut amissa dignitate (27). Quaesitum est, an cesset, cessante in perpetuum causa eius finali. Et privil. praeter ius non cessat, quia pene recidit in donationem, quae suapte natura perpetua est (28). Privil. contra ius cessat, si causa cessaverit, uti nostri aiunt, *contrarie*, idest si evaserit iniustum, vel illicitum (29); sin *negative*, quidam putant cessare, prout cessat lex (§179), quia veluti privata lex est; alii contra putant (30), quia *decet concessum a Principe beneficium esse mansurum* (§ 222, n. 6). Et rectius: utcumque privilegium possidet.

(25) Suar., VIII, 36, 8. Dixi *regulariter,* idest, nisi sub ea expressa conditione datum sit, ut, si eo abutatur, ipso iure priv. amittat (Salm., 18, 2, 17, ex C. 2, *De postul. Praelat.;* C. 7, § 3, *De Elect*).

(26) Ex LL. 2, 5, C. *De Donat. quae sub modo.* - *Sub conditione;* ut ecce, privilegia clericalia (V. § 100, nn. 82, 83). Ideo, v. c., non proderit canonico vacatio a choro studiorum causa, si studiis non vacet (Ex L. 1, C. *De his quae sub modo*). *In diem,* v. c., *ad annum,* vel *quamdiu vixero:* illud enim anno, hoc vita concedentis, non antea, finitur; etsi antea ille moriatur (V. Sanch., *M.*, VIII, 28, 51), aut loco motus fuerit. Concessum *ad beneplacitum* NOSTRUM (non SEDIS *Apostolicae,* vel *Episcopalis,* quia sedes non moritur § 46, n. 23), vel *quamdiu voluero,* expirat morte concedentis (C. 5, *De Rescr.* in 6°; Suar., *De Censur.*, 26, 1, 17; S. Alph., Lib. I, App. II, 13, contrariam sententiam probabilem putat; sed V. § 133, n. 8), vel eo remoto (Sanch., n. 56). Concessum *quoad Romam iero,* non cessat, si antequam iret fato suo functus est (Ex L. 12, § 1, C. *De Usufr.;* Sanch., n. 53): ac proinde nec concessum *quamdiu non revocavero,* si eo non revocato decesserit, aut loco cesserit; quia revocatio actum contrarium desiderat (Suar., *l. c.;* Sanch., n. 52; Laym., 23, 17; Reiff. V, 33, 170).

(27) LL. 69, 157, *De R. I.;* C. 7, *Eod. tit.* in 6°. Quamobrem privilegia concessa dignitati transeunt ad successorem, concessa personae cum ea finiuntur. At priv. localia si locus restitui speratur, eo restituto reviviscunt (Ex L. 36, *De Religios.*).

(28) Suar., VIII, 30, 2; Engel, V, 33, 20; Reiff., V, 33, 187; ibiq. Zoes., Pirhin. - *Sicut,* ait belle Suar. (*l. c.*), *eleemosyna facta pauperi rata manet, etiamsi desinat esse pauper, et donatio facta amico semper durat, etiamsi amicitia cesset.* Est, et alia ratio, quia nempe concedi valide poterat vel sine causa (Reiff., n. 185).

(29) Ex L. 43, *De Vulg. et Pupill. Subst.;* Suar., n. 6. Ut ecce, decimis ecclesiae A. ecclesiae B. pauperi concessis, cum haec dives evaserit (Suar., cit. n. 6). Salmantic. (18, 2, 3) et Bonacina (*De Legib.,* Quae. III, Pu. VIII, § 2, n. 5) negant priv. cessare; et illi quidem generaliter, is licet iniustum et alteri damnosum esse coeperit; nempe, aiunt, prout non cessat dispensatio. Quod prorsus incivile est: *a disparatis non fit illatio.*

(30) Suar., VIII, 30, 17; et quotquot indistincte docent, privilegium non cessare cessante causa; velut, e. g., Strein (in C. 1, *De R. I.* in

ART. II. *De Dispensationibus.*

230. Dispensatio in iure Canonico, stricta ac propria significatione, est: *In casu speciali legis relaxatio* (1). Proxima est privilegio contra ius, ab eoque differt, quia datur in casu, vel casibus specialibus tantum (2). Verum hoc explicatione indiget. Dispensatio solvit vinculum legis: porro hoc vinculum aut unicum est, aut multiplex: unicum quod una dispensatione finitur; ut puta dispensatio ab irregularitate, a voto castitatis, etc. Multiplex quod renascitur; ut ecce ieiunii, horarum canonicarum, etc.: hoc autem solvitur dispensatione, vel pro *unico actu*, puta si dispensatus fueris ab horis canonicis hodie recitandis; vel *in diem*, veluti si fueris dispensatus quamdiu in peregrinatione eris; vel *in perpetuum*, e. g., si dispensatus fueris a recitatione divini Officii sic et simpliciter; prior dispensatio unica est, altera virtualiter multiplex, tertia est magis privilegium contra ius, quam dispensatio.

231. Cum dispensatio solvat legem, palam est esse actum iurisdictionis (3). Ex hoc sequitur: I. dispensationem ab eo tantum

6°); Pikler (*ib.*, n. 4); Reiff. (*ib.*, n. 2); S. Alph. (Lib. I, App. II, n. 74). Itaque privilegium Oratorii privati concessum infirmo, aut viro in dignitate constituto, *illic*, recuperata valetudine; *hic*, amissa dignitate, non cessat. Utique lex cessat, cessante causa, eo quod alias foret onus inutile; at privilegium non fit inutilis favor.

(1) Suar., VI, 10, 7; Cf. Corrad., *Prax. Disp. Apostolic.;* De Iustis, *De Dispensat. Matrimonialib.;* Corrad., *Praxis Dispensat.*, etc. - Vi verbi est - rerum distributio -: et latine *procurationem, administrationem* significat. Ius civile hoc verbum ignorat: cur heic sic dicta, V. D. Th. (2, 2, 88, 10). Dixi *stricta*, etc., quia, lata et minus propria, Nostris et Canonistis est - *iuris declaratio* (Fagnan., in C. *Ex parte*, n. 51, *De Cleric. non resident.*); qua nempe edicitur, hunc vel illum casum non comprehendi in lege (Lauraea, T. III, Tr. VIII, Disp. 28); quo sensu dicitur interdum, R. P. dispensare in iure divino (Fagnan., *l. c.*). Sed declaratio a dispensatione distat toto coelo (V. Pont., *M.*, VIII, 1, 4). Alii eam permiscent cum absolutione, et neque hoc recte (Suar., VI, 10, 9). Porro dispensatio necessaria est, quando lex est in possessione; seu certa sit eius obligatio, seu dubia; idest cum dubitatur an obsoleverit, vel an eiusmodi incommodum versetur, in quo cessat obligatio legis; nam si lex ipsa dubia est, quia *lex dubia non obligat*, nulla dispensatione opus est: item si in casu incommodum grave appareat manifeste.

(2) Laym., 22, 4; Suar., VIII, 2, 10.

(3) Suar., VI, 12, 6; Laym., n. 1; De Iust., I, 1, 39. Differt a *licentia*, quae datur cum lex aliquid prohibet (v. c., legere improbatae editionis libros), non absolute, sed donec quaedam conditiones impletae fuerint. Differt ab *epicheia*, quia dispensatio *tollit*, epicheia *interpretatur* legem (V. De Iust., a n. 28). Quamobrem, si, v. c., Episcopus, in pari dubiae valetudinis causa, dispensaverit Osium a ieiunio, Caium vero

dari posse qui legem condidit, vel superiore eius: inferior dispensando nihil agit (4), praeterquam si in lege ipsa dicatur, posse ab ea dispensari; nam si verba *aliquid operari debent* (5), cui, nisi inferiori, *permittitur* (6)? vel si ita consuetudine sit introductum (7). Ex qua, et quia omnis potestas, et maxime spiritualis, non in destructionem, sed in aedificationem data est, et ex ipsa natura legum ecclesiasticarum, ac demum ex praesumpta R. P. intentione, Episcopi dispensant: 1° quoties non est facilis recursus ad R. P., et periculum (grave) est in mora (8); 2° in dubiis (9), maxime in dubio an res egeat dispensatione, vel an adsit causa sufficiens ad dispensandum (10); 3° demum in casibus *qui* vel *frequenter*

non egere dispensatione declaraverit; et postea iudicio medici apparuerit, neutrum affici incommodo gravi, Osius nihilominus impune praetermittit ieiunium, Caius non item (V. Sanch., *D.*, IV, 37, 2).

(4) Ex C. 15 § 1, *De temp. Ord.;* Clem., 2, pr., *De Elect.* Nec audiendi sunt qui, ex C. 29, *De S. E.,* contra putant (S. Alph., I, 191).

(5) C. 10, § 1, *De Privil.* in 6°.

(6) Suar, VI, 14, 8; Salas., Disp. 20, Sect. 3, n. 31; Salm., 11, 5, 37; Reiff., 1, 2, 467. Utputa si in lege dicatur, *poterit dispensari,* vel, *nisi fuerit dispensatum,* ut in C. 7, *De Cler. excomm.;* C. 12, in fin., *De Poenis;* vel *donec dispensetur* (S. Alph., I, 190). Et est *sententia communiter recepta* (V. Sanch., *M.,* VIII, 5, 1); licet agatur de Conciliis Oecumenicis (Thesaur., *De Poenis,* Par. I, Cap. 23, Dic. 3°; Reiff., n. 469). Et planum est (§ 199 n. 2). Exceptis dispensationibus matrimonialibus (V. Trid., XXIV, *R. M.,* 5); ex Curiae stylo; vel si dispensandi sint ipsimet Ordinarii, ut in C. 2, *De Bigam.,* qua tales sunt (Pont., *M.,* VIII, 6, 6).

(7) Ex C. 13, in fin., *De Foro Comp.* Ex hoc capite Episcopi dispensant in legibus latis in synodis provincialibus; nempe in dioecesi quisque sua (Suar., VIII, 15, 7; S. Alphon., I, 190, pr.)

(8) Barbo., *I. E. U.*, I, XI, 94; Pont., *M.,* VIII, 6, 7; Suar., VI, 14, 10; Pirhin., I, 31, 87; Reiff., I, II, 470; S. Alph., I, 190, v. *Item potest.* Seu publice intersit dispensari, velut a lege abstinentiae, saeviente cholera, quod nemo dubitat; seu privatim, quae plurium (V. Garziam, Par XI, Cap. V, a n. 342) et verior sententia est; *utputa in impedimentis matrimonii, in irregularitatibus, in votis reservatis, et similibus* (S. Alph., *l. c;* V. Sanch., *M.,* II, 40, 3). Scilicet salus animarum suprema lex est.

(9) De Iust., II, 2, 71; S. Alph., Lib, I, 192. Nempe *in omnibus casibus, sive impedimentis R. P. reservatis* (S. Alph., VI, 902, v. *Ceterum);* etiam matrimonium dirimentibus; quae *communissima sententia* est (S. Alph., Lib. I, App. II, n. 55). Haec dispensatio, quando possidet libertas, non est profecto necessaria, ut ecce cum dubitatur, an religionem voverit qui matrimonium contrahere vult (V. Sanch., VIII, 6, 18); sed prodest, ut si postea vovisse apparuerit, possit debitum petere nam in eo casu, etsi dispensatio R. P. revera fuisset necessaria, sufficit ea nihilominus quae ab Ordinario data fuit (De Iustis, II, 2, 71, ibique Suar., Lugo; Lezana, *Votum pro Rege,* n. 4).

(10) Ex C. 15, § *Secundae, De S. E.;* Reiff., I, 2, 474, ibiq. Barbo., Sa, Sanch.; Salm., 11, 5, 38; S. Alphon., I, 192.

occurrunt, et saepe dispensatione egent (11), vel levioribus, aut fere quotidianis (12). Et in his omnibus dispensant velut ordinario iure suo (13). Sed et parochi, quamvis nullam iurisdictionem habeant in foro externo, ex receptis moribus, ideoque iure suo (ac proinde etsi Episcopus facile adiri possit) dispensant in ieiuniis et observantia festorum; sed singulariter tantum (14); immo et in gravioribus, in quibus licet Episcopo dispensare; sed in his ex praesumpta voluntate legislatoris, atque ideo si vere gravissima necessitas urgeat, et Episcopus adiri nequit, et sit in mora periculum (15).

232. Sequitur, II. cum his tantum dispensari posse, qui dispensatoris iurisdictione continentur (16); idest cum incolis, sive in proprio territorio, sive extra versentur (17); cum advenis (18), quamdiu in eo territorio quasi domicilium fovent (19); et cum vagis quamdiu eo versantur (V. § 86). An et cum peregrinis, eos inquam *qui quasi in termino versantur*, dispensare possit a legibus, non quidem propriae diocesis, a qua absunt, nam palam est hoc non posse; nec suae in qua morantur, quia his, verius, hi non tenentur (§ 205, n. 45), sed ecclesiae; et a votis, et iuramentis? *Affirmant* qui rentur peregrinum quoque fieri subditum, dum in territorio alieno est: et S. Alphonso videtur *satis* probabile (20), et hoc sufficit (§ 80, n. 78); maxime si id exigat necessitas, vel utilitas dispensationem impetrantis. Verum si dispensatio

(11) S. Alph., I, 190, in fin.; Pont., *M.*. VIII, VI, 7; ibiq. Sa, Caiet., Salas.

(12) Salm., 11, 5, 38. *Levia* accipimus quae sub levi obligant (Salm., *l. c.*, et S. Alph., I, 194). *Fere quotidiana*, ut in vigiliis, festis, horis canonicis (S. Alph., I, 190).

(13) De Iust., II, 2, 156; S. Alphon., VI, 613. Nam potestas cohaeret officio (Pont *M.*, VIII, 6, 9. *Communissima*). Ideoque (V. § 72, n. 16) etiam per alios, et licet facile adiri possit is qui habet facultatem dispensandi ex privilegio R. P. (S. Alph., I, 190). Et quod heic de legibus dicitur, ad eas quoque obligationes pertinet, quae ex facto nostro statum capiunt, quoties factum huiusmodi dubium est; prout vota reservata (S. Alph., *l. c.*, v. *Item potest*). Praeterea Episcopi *iure suo dispensant in legibus Pontificiis* latis pro sua dioecesi, quippe habentur instar legum dioecesanarum (Sot., I, VII, 3; Salm., 11, 5, 39; ibiq. Caiet., Azor; S. Alph., I, § 190).

(14) S. Alph., I, 190; III, 288. *Singulariter*, idest singulos, et toties quoties.

(15) S. Alph.. VI, 613).

(16) Suar., VI, 12, 7. Sive in legibus, sive in votis, sive in iuramentis, et id genus ceteris (S. Alph., I, 158).

(17) S. Alph., VII, 81; V. § 86.

(18) S. Alph., I, 158; III, 262.

(19) Ex Declarat. S. U. I., 22 Nov. 1865, resp. ad 4. V. *Acta*, II, 671. Qui impetrata dispensatione uti possunt etiam cum peregre abeunt (Suar., VIII, 26, 12, Sanch., *M.* VIII, 31, 17).

(20) S. Alph., 158; III, 262.

habet tractum successivum, cum sit multiplex, cessat statim ac dispensatus subditus esse desiit, quod adeo est manifestum, ut probatione non egeat. Demum is qui dispensandi potestatem, vel tantum mandatam habet, secum ipso dispensare posse translatitium est (21).

233. Praeterea necesse est, ut is qui dat dispensationem, eam det sciens volens, utque illam acceptet is cui datur (§ 223, n. 10); nec antea data intelligitur, quam is eam acceptaverit (22). Potest autem dari, et acceptari vel tacite, idest facto, et reipsa (23). Et dari intelligitur quoties id quod sine tua dispensatione fieri non potest, *sciens volens* aut ipse facis; aut ab alio, quem prohibere debuisses et facile potuisses, fieri sinis (24): acceptari intelligitur ab eo qui illa utitur sciens prudens. Demum utrique necessaria est *iusta* dispensandi causa: alias dispensatio, siquidem ab ipsomet le-

(21) S. Alph., I, 183; V. § 72, n. 10.

(22) Ex L. 38, pr., *De A. P.;* Sanch., *M.*, III, 36, 2; Laym., 23, 9; Salm., 18, 1, 64. Itaque si, v. c., dispensatio matrimonialis a tertio fuerit impetrata, et sponsi id ignorantes contraxerint, nihil agunt (V. De Iust., I, III, 62; Sanch., *M.*, VIII, 26, 5. Sed V. § 226, n. 27). Ceterum quae duobus conceditur, ad matrimonium contrahendum, necessario afficit utrumque, ideo sufficit unius acceptatio (Sanch., n. 6; Bonac., I, 3, P. 3, n. 2).

(23) Suar., VI, 13, 11; S. Alph., I, 187. Dari etiam a delegato, quippe eodem iure utitur (De Iust., I, VI, 481); quae hodie merito recepta sententia est (Suar., n. 13; Sanch., *M.*, VIII, 4, 17; Laym., 22, 7. Quidam putant, dispensationes Pontificias irritas esse, nisi datae fuerint expressis verbis (Ex Reg. 51, *Canc. Apost.*): sed hoc perpetuum non est; et in primis non obtinet, quoties id quod fit, *alias nihil conferret aut operaretur* (Cit. Reg. 51); ut ecce si, v. c., R. P. reservet pensionem favore Episcopi (quem constat esse incapacem pensionum), *tacite* dispensat (Rigan., ad cit. Reg., n 21).

(24) Sanch., cit. n. 17; Reginal.; Spor., *De Poenit.*, 710 – *Facis;* puta si Episcopus spurio beneficium, vel ordines conferat (Suar., VI, 13, 23; S. Alph., I, 187; VII, 353); vel eum alio miserit ordinandum. Et valet in utroque foro (Suar., *De Censur.*, 41, 3, 5). Aut *fieri sinis* (Ex LL. 3, 4, *De nox. act.;* S. Alph., *l. c.;* Salm., 11, 5, 15); e. g., si Episcopus videat simplicem confessarium audientem confessiones (Sanch., *M.*, VII, 35, 20), vel irregularem occultum celebrare, vel obstrictum simplici castitatis voto contrahere matrimonium, et taceat (Sanch., *M.*, VIII, 4, n. ult., Salm., *l. c.*). Dixi sciens volens, quia heic magna cautione opus est (V. Suar., n. 21); et nulla dispensatio intelligitur ab eo qui ignorat dispensatione opus esse, quamvis, si sciret, certissime dispensaturus fuisset (Suar., *l. c.*, n. 20; Salm., n. 12); vel cum subest aliqua dissimulandi causa, e. g., ne scandalum, vel deterius aliquid contingat (Ex C. 18, *De Praeb.;* Sanch., *l. c.*). At vero facultas dispensandi tacite nunquam, si quid opinor, data intelligitur delegato, quippe extraordinarium aliquid est (Ex C. 81, *De R. I.* in 6°).

gislatore data fuit, valet *absque dubio*, quasi datio rei suae (25); sin ab inferiore, vel a delegato, non valet, quippe excedit fines mandati (26). Et, quia *plus valet quod est in rei veritate, quam quod in opinione est* non proderit si hi eam subesse (27); et, contra, non oberit si deesse (28) falso putaverint. Ceterum sufficit causa probabiliter iusta, ut dispensatio, nedum licite peti (29), sed (quia publice expedit haec eximi scrupulis) licite ac valide dari possit (30). Et in dubio, an concessa fuerit ex iusta causa, stat nec revocatur si postea haec minus iusta apparuerit (31). Demum expedit gratiam concedere gratis omnino; sed non est illicitum delegato, aliquod pium opus imponere dispensato, quippe est ei utilius (32).

234. Potestas dispensandi, si generaliter data fuerit, recidit in *privilegium* praeter ius; ideo latam non tamen extensivam, interpretationem admittit (33). Ipsa vero dispensatio strictam, quia

(25) Suar., VIII, 17, 24; Pont., *M.*, VIII, 14, 6; S. Alph., VII, 353, 1, Verum dans peccat, quia iustitiam laedit; ac proinde et is peccat qui eam petit; sed uterque leviter quia nemini faciunt iniuriam (S. Alph., I, 178): et is deinceps ea utendo, v. c., non ieiunando, non recitando horas canonicas, *lege* per dispensationem *sublata*, ne leviter quidem (Suar., VI, 19, 14; S. Alph., I, 178).

(26) Sanch., *M.*, VIII, 17, 4; Pont., *M.*, VIII, 14, 7. *Quae est omnium DD. Sententia* (Laym., 22, 11); ut puta si Episc. dispensat in recitatione officii, in ieiunio; in voto R. P. r. (Suar., *De vot.*, Lib. VI, 17, 2). Et est grave in re gravi (Laym., n. 12). Nec excusatur, quod imposuerit dispensato aliquod pium opus, v. c., ieiunium; vel in pium opus aliquid, v. g., stipem sacris aedibus reparandis; quia non est in potestate inferioris mutare opus praeceptum.

(27) S. Alph., I, 181; III, 251. Nihilominus Sanch. (*M.*, VIII, 17, 8), Less. (*De Iust.*, II. 40, 119), Salm. (11, 5, 71), ibiq. Sot., Azor., Dia.; Laym. (22, 12), Schmalz. (IV, 16, 167), ibiq. Perez. et Wiest., putant valere dispensationem ab inferiore datam ex praesumpta voluntate Superioris. Haec sententia extrinseca probabilitate non caret; ideo existimo sequi posse ab eo qui iam dispensationem obtinuit, nisi dispensatorem ipse deceperit (Salm., *l. c.*).

(28) S. Alph., I, 181, III, 251, Collet, Cap. VI, Art. IV. Quae. 2.

(29) V. D. Th., 2, 2, 88, 12 ad 2.

(30) Laym., 22, 12; Salm., 11, 5, 46; S. Alph., I, 178 195; III, 251. Scilicet *hoc exigit recta Ecclesiae gubernatio* (Ex Lugo, *De Poenit.*, XX, 22).

(31) S. Alph., III, 251. Hinc valide quis dispensatur (ab eo penes quem ea est iurisdictio (a votis dubiis, valide absolvitur a censuris dubiis; tametsi postea votum certum apparuerit (Sanch., *D.*, IV, 44, 10; Lugo, cit. n. 22), certa prorsus censura.

(32) S. Anton.; Caiet., 1, 2, 97, 4; Navarr., 21, 22. *Delegato:* nam ei qui ordinaria iurisdictione pollet licitum esse non incerti iuris est.

(33) Ex C. ult. *De Simon.*; Sanch., *M.*, VIII, 2, 1; De Iust., 2, 1, etc.; S. Alph., I, 194. *Communissima* (Croix, VI, III, 973). Dixi *generaliter*, nam data pro singulis recidit in dispensationem (Ex C. 36, *De Praeb.* in 6°; et prout haec interpretatur Suar., VI, 17, 5; Sanch., *M.*, VIII, 2, 6; Corrad., I, V, 27).

legi derogat (34); nisi concessa fuerit ex motu proprio, vel Communitati, vel ad bonum commune (35); sed non restrictivam nisi forte cum laedit ius tertii (36). At vero nunquam sic interpretanda est, ut fiat ei cui concessa fuit onerosa, vel inutilis; et si absque alia dispensatione inutilis foret, haec quoque tacite concessa intelligitur (37).

235. Dispensatio cessat: 1° *revocatione,* qua legis vinculum restituitur a quo quis solutus fuerat. Sed hoc non una distinctione indiget: nam a legislatore facta revocatio etiam sine causa valet (§ 229, n. 20); a delegato etiam ex iusta causa non valet (§ 77, n. 55); ab inferiore quando illam concessit ordinario iure, siquidem ex iusta causa, ratam; secus irritam, quia non potest Superioris legem restituere, pene concors Nostrorum sententia est (38). 2° *renunciatione*: et in his vinculis quae ex sola voluntate renunciantis statum capiunt (ut in votis, iuramentis etc.), renunciatio statim valet; in his quae ex lege (utputa, in impedimentis matrimonii, in horis canonicis), tunc demum valet, cum dispensatori directe renunciata, atque *ab ipso* acceptata fuerit (39). Scilicet, vin-

(34) CC. l. 2. *De Fil. Presb.* in 6°; Sanch., *M.* VIII, 1, 3; De Iust., Cap. II, 2; S. Alph., *ll. cc.* Ideo, v. c., dispensatus a choro non lucratur distributiones quotidianas (Sanchez, *M.* VIII, I, 20). Eoque minus extensivam interpretationem admittit: proinde, irregularis, v. c., dispensatus ad ordines, non censetur dispensatus ad beneficia (Corrad., n. 15): ne a maiori quidem ad minus; ideo monachus dispensatus ad beneficium parochiale, simplex beneficium obtinere non valet (Barb., *De O. E.,* 38, 15; Corrad., n. 4).

(35) Salm., 11, 5, 54; S. Alph., I, 195.

(36) Ex C. 20, *De V. S.* Sed in eo casu, salva proprietate verborum (Corrad., n. 28). Quamobrem si in verbis nulla sit ambiguitas (V. § 184[2]), haec accipienda erunt in propria significatione, seu stricta, seu lata. Quocirca irregularis, v. c., dispensatus ad ordines, ad omnes ordines (Suar., *De Censur.,* 41, 3, 3), dispensatus ad beneficia, ad omnia beneficia dispensatus intelligitur (Sanchez, *M.,* VIII, I, 28).

(37) Ex L. 3, § 2, *De Servit. Rustic.;* C. 5, *De O. D.;* Sanch., n. 19; Corrad., n. 29. Hac re, v. c., dispensatus ad contrahendum matrimonium, ab horis quoque canonicis recitandis dispensatus videbitur (Sanchez, *M.,* VIII, 8, 11; De Iust. n. 87). Et minor ann. 24 dispensatus ad beneficium parochiale, ad sacerdotium ante aetatem legitimam, et ad ceteros quoque ordines, quos non habet, suscipiendos (De Iust., I, 2, 88, etc.) dispensatus intelligitur.

(38) Suar., VIII, 37, nn. 10, 16; Sanch., *M.,* VIII, 33, 12; Salmant., 11, 5, 99; ibiq. Salas., Bonac., etc.; S. Alph. I, 197. Nihilominus Suar., n. 16, tenet ratam esse revocationem factam ab inferiore sine iusta causa, si dispensatio habeat tractum successivum, et is eam concesserit, non ad certum tempus, puta ad mensem, sed indefinite; quia intelligitur eam concessisse *ad beneplacitum:* sed quidni potius intelligatur concessisse quoad causa duraverit?

(39) Suar., VI, 20, 8; Salm., 11 5, 101; S. Alph., I, 197, v. *Potest* Quamobrem si renunciationem me

cula dispensatione sublata, *illa* quidem sola voluntate nostra, at *haec* nonnisi ex nova legislatoris voluntate restitui possunt (40). Demum, 3° si dispensatio fuerit virtualiter multiplex, *cessat cessante causa* eius motiva; secus, sin unica fuerit (41). At nunquam cessat non usu, nec usu contrario (42); quippe haec non restituunt legem: ideoque nec alia dispensatione impetrata, quae cum priori consistere nequit (43). Demum ea quae perpetua est, non cessat dispensatoris territorio relicto: sive incola, aut civis e sua dioecesi migraverint, sive advena domum redierit; cuius est et alia ratio, quia *factum legitime retractari non debet, etsi postea is casus inciderit, a quo initium habere non potuisset* (44).

Art. III. *De Rescriptis.*

236. Privilegia et dispensationes per rescripta plerumque concedi solent. Rescriptum est: *Responsum Principis scriptum* (1). Rescripta alia iustitiae, alia gratiae. Illa ad lites finiendas pertinent,

dio tempore revocaveris, perinde est ac si nunquam intercesserit (Suarez, *l. c.;* V. § 77, n. 60): idem iuris est, si dispensatione usus fuerit. Nec sufficit acceptatio delegati qui eam impertiit (Sanch., VIII, 32, 4; De Iust., I, VI, 527), quippe, ea impertita, delegatus esse desiit (§ 77, n. 55).

(40) V. Suar., VIII, 33, 12; Pont., *M.*, VIII, 18. Hac re vel ipse legislator frustra revocat dispensationem, qua aliquem solvit ab ea obligatione quae, non a lege, sed a voluntate nostra initium et statum capit, velut a votis (Suar., VIII, 37, 10), quippe quae restitui nisi voluntate nostra non potest.

(41) V. Suar., VI, 20, 18. Itaque dispensatus ab usu carnium ob infirmam valetudinem, si postea insperato convaluerit, cessat dispensatio (S. Alph., I, 196). At cum vinculum legis est unicum, eo sublato, dispensatio perpetua est: hinc dispensata a voto castitatis ad matrimonium contrahendum, coniuge mortuo non prohibetur alii nubere (V. Salm., 11, 5, 94; S. Alph., *l. c.*); et dispensatus, ob paupertatem, ad ordines a defectu natalium, si eis nondum susceptis ditescat, dispensatio permanet (Suar., n. 15).

(42) V. Suar., VI, 20, 8. Quamobrem si impetrata dispensatione super grado prohibito ut Seiam ducere, ea relicta, duxeris Osiam, vel castitatem voveris, posteris, Osia mortua (Salm., 11, 5, 103), vel obtenta voti dispensatione (S. Alph., I, 198), Seiam ducere.

(43) Suar., VI, 23, 4. Proinde si impetrata dispensatione ad nubendum Caio, eo relicto, aliam *validam* impetres ad nubendum Seio eique nupseris, poteris, eo mortuo, nubere Caio (S. Alph., I, 198; Salmant., n. 102, contra Sanch., *M.*, VIII, 22, 19). Dixi *validam*, nam, si posterior dispensatio nullius momenti esset, nec tacita prioris renunciatio praesumenda foret (Ex L. 18, *De Legat,* III), nec posterior dispens. aliquid operaretur: *non praestat impedimentum quod de iure non sortitur effectum* (C. 52, *De R. I.* in 6°).

(44) L. 86, *De R. I.;* C. 73, *Eod. tit.* in 6.° Ut puta, si Episcopus spurium ad minores ordines, vel ad simplex beneficium suscipiendum dispensaverit.

(1) V. § 222, pr. Principem accipimus concedentem, seu is R. Pontifex sit, seu Legatus, seu Episcopus.

de quibus viderint Canonistae; ista Principis beneficium continent, de quibus hic. Ut rescriptum valide impetrari possit, necesse est, praeter ea quae superius recensui, ut petitio neque subreptione, neque obreptione laboret (2). *Subreptio* dicitur communius reticentia veri, *obreptio* expositio falsi: dixi communius, nam alii contra, alii promiscue.

237. Ne petitio laboret subreptione, necesse est proponere ea omnia, et ea sola, quae seu ius, seu stylus Curiae (Romanae) exponere iubent (3). *Omnia:* ideo si quid ex his reticueris, rescriptum nullius momenti est: quamvis et tu reticueris ignorans, vel bona fide (4); et rescribens, eo quoque expresso, gratiam certissime concessurus fuisset (5). *Sola:* quae communior, et verior sententia est (6); quamvis, ex diverso, rescribens cognito eo quod omisisti, gratiam nullatenus fuisset concessurus, tuque consulto illud reticueris (7). Quamobrem non erit petitio subreptitia, sive obstrictus

(2) CC. 27, 42, *De Rescript.* Quod aestimari debet, non ex libello misso ab oratoribus, si forte illud reformatum fuerit in Curia, sed ex libello Principi oblato (Sanch., *M.*, VIII, 21, 57); quippe huic ille rescribit.

(3) Ex CC. 27, 42, *De Rescr.;* De Iust., I, IV, 4, ibiq, DD. innumeri; Laym., 22, 18: Reiff., IV, 21, Appen. n. 148; Collet, Cap. IV, Art. 3; S. Alph., I, 185; *H. A.*, II, 47; V. Sanch., *M.*, VIII, 21, a n. 10. *Ius,* v. c., si spurius (V. § 412) dispensatus ad beneficium parochiale obtinendum, postea, hoc defectu haud expresso, ad alterum parochiale beneficium dispensationem obtinuerit (C. 2, *De Fil. Presbyt.* in 6°): cum enim irregularitas ad unum tantum beneficium sublata fuisset, nova pro novo beneficio dispensatione opus erat (Suar., VI, 23, 4). *Stylus Curiae;* v. c., sponsam raptam fuisse ab eo, qui petit dispensationem ad matrimonium cum ea contrahendum. Dixi Curiae *Romanae,* quia huius Curiae stylus dumtaxat facit ius (C. 6, *De Crim. fals.*): et solum in Curia Romana; nisi forte a R. P. confirmatus fuerit (Grat., *Disc. Forens.*, Tom. II, C. 236; Bald., Rebuff., contra Sanch., *M.* VIII, 21, 16). Et quia stylus res facti est, de eo palam constare debet (Mantica, *Dec.,* 8, n. 4; De Iust., n. 347), Quae vero, seu ex iure, seu stylo curiae, proponenda sint, suis locis (V. Sanch., *M.,* VIII, 21, 10 etc.).

(4) Parisius, *De Resign.;* Mascardus, *De Probat.,* 846; De Iust., I, IV, 9; Sanch., *M.*, VIII, 21, n. 59, 60,

(5) C. 20, *De Rescript.;* Sanch., *M,* VIII, 21, 13; Laym., 22, 18; De Iust., I, IV, 14, 19. Veluti si beneficium petat sacerdos quam dignissimus, qui aliud unius teruncii beneficium possidet, quod reticuit (Ex C. 33, *De Praeb.* in 6°).

(6) Felin., Henriq., Sa, Grat., Disc. 535, 26; Molin., etc. Et tenent DD. prope innumeri apud Sanch. (*M.*, VIII, 21, 12) et ap. De Iust. (I. IV, 6). Alias nulla fere gratia esset tuta, et certa; quod scite Pignatelli (*Controv. For*, Cap. 87, n. 13, Cent. 2), Garz. *De Benef.*, VIII, 3, 25), De Iust. *l. c.,* n. 12) et Collet (Cap. VI, Art. 2 in fi.) observant. Itaque si duo, alter haeretico, alter iudaeo patre natus, beneficium petierint, reticita origine, illius petitio subreptitia erit (Ex C. 2, § 2 *De Haeret.* in 6°), huius non item (Pont., *M.*, VIII, 17, 2).

(7) Sanch., *M.*, VIII, 21, 18; Pont., *M.*, VIII, 17, 2; Salas, Disp. 20, Sect. 15; De Iust., I, IV, 31. Scilicet nul-

pluribus vinculis, dispensationem a singulis seorsim petas (8); sive gratiam, quam nunc petis, iam impetraveris alia vice, idque silentio praetereas (9); nisi forte aut unum vinculum augeatur ex altero, aut posterior gratia sit velut ampliatio et extensio prioris (10).

238. Deinde opus est, ne petitio obreptione laboret; scilicet, quovis rescripto semper ea clausula tacite inest, *si vera sint exposita* (11): oportet igitur, ut causa proposita in supplici libello sit vera: sed hoc distinctionem recipit. Etenim si *una* tantum causa proposita fuerit, eaque sit falsa, seu motiva seu impulsiva illa sit, vitiat rescriptum (12). Sin plures, et aliquae earum sint falsae, siquidem sunt omnes motivae, valet rescriptum, etsi una dumtaxat

litas huius rescripti poena esset, quae, nisi in iure sit expressa, non incurritur. Et in primis censeo, non esse petitionem subreptitiam, 1° quia is qui aliquid petit est eo indignus, puta, si clericus criminosus (non tamen irregularis) beneficium petit (Sanch., Pont., Salas, *ll. cc.*): numquid enim debet infamare seipsum? Nec, 2° quia id quod petitur laedit ius tertii, quippe rescriptum eam tacitam conditionem continet, *si tertius renunciaverit iuri suo;* v. c., si is, qui inierat sponsalia cum Seia, petit dispensationem, ut Caiam duceret: sed rescriptum nullius momenti erit, si tertius postea non renunciaverit iuri suo (Sanch., *M.*, VIII, 23, 6, De Iust., n. 99; ibiq. Laym., Bonac., etc.; V. § 228, n. 17). Nec, 3°, quia petitio alias repulsam passa fuit (Suar., VI, 22, 1; Sanch., *M.*, VIII, 22, 14; Pont. *M.*, VIII, 17, 4; Reiff., IV, 21, Append. n. 154). *Et est certum apud omnes* (Salm., 9, 14, 48); aut ab inferiore, vel a delegato scienter concessa fuerit (Suar., nn. 6, 9; Pont., cit. n. 4; contra Sanchez., *M.*, VIII, 14, 15): et iure prorsus (§ 226, n. 26).

(8) V. Salm., 9, 14, 54; S. Alphon., VI, 1139. Et contraria Sanchezii (*M.*, VIII, 23, 2) sententia nullo iure nititur (Suar., VI, 24, 12).

(9) Pal., Salm., n. 47; Pont., *M.*, VIII, 17, 9; Suar., VI, 23, 13, etc., qui contrariam sententiam *frivolam* vocat. Vel gratia fuerit invalida (Sanch., *M.*, VIII, 22, 21), vel non fuerit acceptata (Suar., n. 17), quippe utrobique pro non data est.

(10) Navarr.; Suar., VI, 23, nn. 9, 15; Pont., *M.*, VIII, 17, a n. 6; Salm., 9, 14, 15; S. Alph., VI, 1139. Ut ecce duo, alterum consaguinitatis, alterum affinitatis, impedimenta; vel si dispensatus a choro ad triennium, hoc elapso, illico novam dispensationem petat.

(11) C. 2, *De Rescript.*

(12) Sanch., *M.*, VIII, 21, 41; De Iust., III, 1, 55. Veluti si duo consanguinei petant dispensationem connubialem, falso allegata sola copula, pro causa (Sanch., n. 45; Laym., 22, 23). Motiva (*finalis*, *principalis*) causa dicitur quae *movet;* impulsiva quae *iuvat* ad dispensandum (Ex C. 20, *De Rescript.;* De Iust., III, 1, 46; Salm., 9, 14, 32). Utputa, eleemosynae faciendae causa motiva est egestas, impulsiva, v. c., pietas petentis. Illa recidit in conditionem sine qua non (Laym., 22, 22); haec vix causae nomen meretur, aut ne vix quidem (De Iust., n. 54). Ideo ea clausula, *si vera sint exposita*, ad causam motivam, non ad impulsivam, refertur (Sanch., n. 44; De Iust., n. 58). Verum quae motiva, quae tantum impulsiva dicenda sit, hoc aestimari debet, non ex ingenio vel praesumpta intentione rescribentis, sed ex iure, et re ipsa; alias omnia erunt incerta, et obnoxia perpetuis scrupulis.

sit vera (13); contra, si omnes impulsivae, corruit si una dumtaxat sit falsa, quia *omnes simul* pro una motiva computantur (14). Sin demum mixtae, si ne una quidem motiva sit vera, rescriptum nullius momenti est. Quod si uno rescripto duo impetraveris, et petitio quoad unum fuerit subreptitia vel obreptitia, rescriptum, quoad alterum, si feceris bona fide, ratum est; sin mala, irritum, *in perversitatis poenam* (15); ideoque aiunt post sententiam iudicis tantum (16).

239. At vero utrum petitio subreptitia dicenda sit, et maxime utrum obreptitia, hoc aestimari oportet ex eo tempore quo gratia conceditur; scilicet ea clausula, *si vera sint exposita*, eo spectat, ne gratia concedatur sine causa: quamobrem causa tunc adesse debet cum rescribitur (17). Itaque si tunc desit, nihil prodest si forte suberat petitionis tempore, aut si post gratiam expeditam supervenerit (18); vel si id, quod reticendum non fuit, supervenerit post eam petitam (19). Et, ex diverso, si tunc subsit, nihil oberit

(13) Ex CC. 4, 20, *De Rescript.;* Sanch., *M.,* VIII, 21, 42; Pont., *M.,* VIII, 17, 41; Salm., 9, 14, 36; S. Alphon., I, 185. V. c., si mulier petat dispensationem matrimonialem ob aetatem, et dotis defectum; et dote non careat. Nisi forte plura petierit, et singulis causis singulae dispensationes cohaereant (Laym., 22, 25), Veluti si obstricta voto castitatis, propter incontinentiae periculum velit nubere; et affini, propter locorum angustias, nubere velit: itaque si nullae sint angustiae loci, nubere quidem poterit, sed non affini (V. De Iust., I, IV, 93).

(14) Pont., *M.,* VIII, 17, 41; De Iust., III, 1, 64; Salm., cit. n. 36. Veluti si mulier petat affini nubere, eo quod iam cum eo iniit sponsalia, et aegra valetudine sit, et sola; nec verum sit solam esse.

(15) C. 20, *De Rescript.*

(16) Rebuff., *De Nominat.,* P. IX, n. 49; Sanch, *M.,* VIII, 21, 78; De Iust., I, IV, 36. Ad haec, plures tenent, petitionem esse obreptitiam, si vinculum, a quo solvi postulas, sit certum, tuque illud proposueris quasi dubium; quippe, aiunt, *error est in substantia rei.* Opinionem hanc omnium primus, uti videtur, pretulit Sanch. (*M.,* VIII, 21, 40); et in eam pedibus iverunt Bonac. (Q. 2, P. 4, n. 7), Collet, aliique; *cum votum dubium* (ait. Bonac.) *non sit vere votum.* Ita porro, si aut nulla causa proponitur, aut solum impulsiva: at, si causa motiva non deest, quid amplius desideratur? Et certe aut dispensator verba dat, aut vere dispensat quasi sub hoc tacito modo, *si voti obligatio subest.*

(17) Ex C. 6, *De Consanguin.;* et C. 9, *De Rescript.* in 6°; Pont., *M.,* VIII, 20, 1.

(18) CC. 6, 9, *l. c.;* Sanch., *M.,* VIII, 30, nn. 2, 4; Pont. VIII, 20, 1. Veluti si duo consanguinei petant dispensationem connubialem ad filium legitimandum, qui vel ante eam impetratam obierat (cit. C. 6); vel postea conceptus, et editus fuit.

(19) C. 6, *De Consang.;* Pont., *l. c.* - V. c., si quis a R. P., cum nullum haberet beneficium, unum petiit, et interim a suo Episcopo beneficium, obtinuerit; et olim, quando necesse fuit explicare copulam incestuosam, si sponsi commiscuissent post petitam dispensationem (S. C. C., apud. Pitton., n. 878; Pont., *l. c.,* n. 2).

si forte ante defuerat (20), vel postea cessaverit (21). Et haec expedita sunt, si rescriptum fuerit in forma *gratiosa;* sed si rescriptum est in forma *commissoria,* quaestionis est, quo tempore causa subesse debeat: utrum eo, quo Superior mandat eam concedi (22); an eo, quo conceditur a delegato (23); an utroque tempore subesse debeat (24). Quaestio mihi haec est, quo tempore gratia concedi videatur: et profecto, tunc concedi videtur, cum delegatus eam concedit nomine delegantis; seu is hunc *voluntarium* exequutorem fecerit, quod planum est; seu necessarium, quod est verius, quia non concedit sed concedi iubet, et tunc cum conceditur ipse *revera* eam concedit, non delegatus. Ergo, explosa in utroque casu tum priori sententia, quae et a iure et a ratione aliena est (25), tum posteriori, quae magis verborum subtilitate nititur, et nunc obsoleta esse videtur; secunda et aequior, et iuri convenientior est; cui proinde adhaerere tutum, et si exequutor iam dispensaverit, quia possidet dispensatio, tutissimum est (26). At procul dubio, si delegatus posteriorem sententiam sequi malit, in hac sententia, media (inter haec) tempora non nocent (27).

(20) Sanch., cit. n. 2; Pont., *M.*, VIII, 20, 1. Itaque si mulier, quae nondum excesserat 23 aetatis annum, petierit dispensationem connubialem *ob defectum aetatis;* vel, cum dives esset, propter dotis defectum, si dispensatio concessa fuerit post an. 24 expletum, vel quando inops evaserat, valet.

(21) Suar., VIII, 30, 7; Pont., n. 4; De Iust., III, 1, 82; Schmalz., IV, 16, 164; S. Alph., I, 196; VI, 1132; Nam vel rescriptum est contra legem, et haec semel sublata non reviviscit; vel est praeter legem, *et factum legitimum retractari non debet, etiam si postea is casus inciderit a quo initium habere non potuisset* (L. 76, *De R. I.;* C. 73, *Eod. tit.* in 6°). Utputa si puellae dispensatae ob defectum dotis, vel ad filium legitimandum, post expeditam dispensationem, pinguis hereditas obtigerit, vel filius mortem obierit, nondum initis nuptiis (Collet, Cap. VI, Art. IV, Resp. 2). Aliud visum est Sancio, Bonac., aliisque: 1° ex praesumpta voluntate rescribentis; 2° quia cessante causa cessat effectus; 3° exemplo legis, quae cessat, si finis eius cessaverit. Sed primum divinatorium est; alterum hîc falsum, nam factum infectum fieri nequit; tertium incivile, quia cessatio legis ad solvendum, dispensationis ad iterum ligandum pertinet.

(22) Masc., *De Prob.*, Concl. 1123, 22. Nempe quia in rescripto dicitur: *si vera* SUNT *exposita.*

(23) Garzi., *De Benef.*, VI, 11, 283; Corrad., *Prax.* etc., VII, 11, 25; Reiff.; Schmalz, IV, 1, 162; Giovine, *De Dispensat. matrim.*, Cons. IV, § 27, n. 5.

(24) Sanch., *M.*, VIII, 30, 15; Pont., *M.*, VIII, 20, 3; De Iust., I, VI, 299; Suar., VI, 20, 13; Collet, *l. c.* Nempe *illo,* requiri ex verbis - *si vera* SUNT *exposita* - manifestum est; *hoc,* eo quod alias dispensatio esset iniusta.

(25) Ex C. 36, *De Praeb.* in 6°.

(26) Reiff., Lib. IV., Append. *De Dispens. matrim.*, n. 223; ibiq. Garz. et Corrad.; Maschat, Lib. IV Decret., in fi., Tr. *De Dispensat.*, n 30.

(27) Ex § 4, *De Hered. qual.;* Suar., VI, 20, 13; De Iust., I, VI,

240. Quoties autem subreptio vel obreptio vitiat rescriptum, non proderit petenti bona fides, quia nihil mutat (28); atque ideo nihil interest num ipse ignorans petierit, an forte alius inscio se (29). Nihilominus *motus proprius* purgat subreptionem (30), dummodo is qui rescribit rescripserit iure suo (31); nam perinde est, quasi non rogatus rescripserit: obreptionem non item, quia potuit falsa causa proposita eum decipere (32). Verum subreptio non sanat vitium inhabilitatis, quia haec non pertinet ad ea quae sunt exprimenda (33). Ceterum rescriptum, in dubio utrum laboret subreptione, an obreptione, stat (34); prout actus ceteri.

241. Nunc videamus, quae delegatum praestare oporteat, ut mandato suo fungi queat. Principio igitur mandatum, atque ideo iurisdictio, non intelligitur, nisi postquam autographae mandati literae ad ipsum pervenerint (35): ideo, etsi certissime sciat literas iam sibi missas fuisse, vel earum exemplum acceperit, si quid exequi coeperit nihil agit (36). Deinde explorare debet, an vera sint exposita. Et si id omiserit (forte quia sibi constat vera esse, et vera sunt), siquidem in mandato dictum sit: *si preces veritate niti repereris*, irrita erit dispensatio; sin autem, *si preces ve-*

302; ibiq. Bonac., Filiucc., etc. Veluti si puella, acceptis a R. P. ad Ordinarium literis dispensationis ob dotis defectum, thesaurum repererit, et, ante expeditam ab Ordinario dispensationem, illud amiserit, (Sanchez., n. 16).

(28) Sanch., *M.*, VIII, 21, 56; De Iust., III, I, 51; Ex C. 20, *De Rescript.* in 6°. Nec fas est coram delegato docere, forte alias iustissimas subesse causas, quas orator reticuit (Corrad., *Prax.* VII, V, 55; De Iust., III, I, 90); scilicet rescripta *tantum valent, quantum sonant.* Secus, ut puto, si in rescripto dicatur, *dummodo iusta causa subsit.*

(29) C. 20, *De Rescr.;* Ex C. 23, *De Praeb.* in 6°; Sanch., n. 57. V. c., is qui preces reformavit.

(30) Cit. C. 23; Clem., 4, *Eod. Tit;* Sanch., *M.*, VIII, 21, 47.

(31) Laym., 22, 11; S. Alph., VII, 353. *Iure suo*, velut R. P., Legatus (Sanch., n. 48), Episcopus; nam delegatus excederet fines mandati.

(32) Sanch., *M.*, VIII, 21, 52; De Iust., I, IV. 40; Reiff., I, III,79, 207.

(33) Sanch., *l. c.*, n. 49; Reiff., n. 108.

(34) S. Alph., I, 185; III, 251; VI, 1133.

(35) Ex C. 12, in fin., *De Appellat.;* De Iust., I, VI, 2; Sanch., *M.* VIII, 29, 10.

(36) Sanch., *l. c.;* Reiff., III, 21, App. n. 299; De Iust., I, VI, 2, etc.; Schmalz., IV, 16, 222. Ceterum sufficit, si quid opinor, si missas ad Vicar. Gener. Curiae officiales acceperint, et legerint, idque ei renunciaverint; quippe hi ad idem *officium* pertinent. Quae si deperditae fuerint antequam ad delegatum pervenerint, novae erunt impetrandae in forma *Vidimus.* Verum hodie tanto rigore non utimur, quando negocium in longinquis regionibus expediendum est, et est in mora periculum: ideo si per telegraphum renunciatum fuerit, rescriptum expeditum fuisse, puto in his casibus non inquietari eos qui, exemplo non expectato, negocium expediunt.

ritate nitantur, valet: scilicet prior clausula *novam formam inducit;* non item posterior (§ 76, n. 59), quippe tacite inest (37). Ceterum inquirere debes, non quidem iuris ordine; sed in foro exteriori summarie tantum et extraiudicialiter (38), in interno vero oratori fides habenda est (39). At si is, cui mandatur, certo sciat, exposita non esse vera, quidquid in *illo* testes deponant, vel in *hoc* orator affirmet, si dispensaverit, nihil agit (40). Demum mandato ipse *per se* defungi debet (41); et pro eo tantum casu qui in mandato continetur, non, eo omisso, pro alio licet simillimo (42). At vero post rescriptum expeditum, si dubium sit, ne forte rescribens, supra vel praeter iurisdictionem suam (seu delegatam, seu ordinariam) rescripserit, pro rescripto respondendum est (43).

(37) Ex L. 8, § *Si praeter, De Transact.;* Sanch., *M.*, III, 33, 4; VIII, 34, 26. Licet notorium sit, in priori casu, causam subesse (De Iust., I, VI, 249). Haec sententia communior est, a qua recedere non licet: verum Glo. in Clem. un., *De O. D.*, quam Navarr. (27, 37) sequitur, et receptissimam vocat, negat illis verbis - *si... niti repereris* - novam formam induci, quippe conditio revera tacite inest. Haec sententia magnam habet aequitatem; quae si in iure civili *maxime*, in iure canonico quam maxime spectanda est. Hac re si delegatus, cum sibi notum esset exposita vera esse, posthabita inquisitione rescripserit, puto nihil pronunciandum esse inconsulta Sede Apostolica in his quae magnum detrimentum spirituale inferre possunt; praeterquam si dispensaverit in impedimento matrimonium dirimente.

Ceterum in priori casu satis erit inquirere de causis motivis, immo de una earum tantum (Sanch., n. 25; De Iust., n. 268, et III, I, 58). In posteriori non est inquisitio necessaria, quando *notorium est* causam subesse (Sanch., *M.*, VIII, 17, 12), quia *notoria inquisitione non egent.*

(38) Ex Trident., XXII, *R.*, 5; Schmalz. a n. 244. Ideoque nec depositio testium est necessaria; nec subdelegatio eorum, quae ad causae cognitionem pertinent, vetita est (Garc., VI, II, 106; Corrad., VII, VI, 51; De Iust., I, VI, 79). Nec ultra id, quod mandatum est, inquirere oportet (Croix, VI, III, 983).

(39) Sanch., *M.*, VIII, 34, 21; De Iust., 263; S. Alph., VI, 1143; V. § 25, n. 17. Nec iuramentum ab ipso exigendum est (Sanch., n. 27; Bened. XIV, Not. 87, 34).

(40) Sanch., *M.*, VIII, 34, 21; Garc., *De Benef.*, VI, II, 251; Corr., *Prax.*, VII, V, 59; De Iust., I, VI, 271.

(41) V. § 70, n. 19. Nihilominus Vicar. Gen., si Episcopus ei ab initio permiserit, vel permittat in re praesenti, alium sibi Vicar. Gen. substituere, non prohibetur per alium, quasi Vicarium, defungi mandato, etiam quoad dispensationes matrimoniales (Sbroz., 11, 67, 2; Sanch., VIII, 27, 41; De Iust., I, V, 84).

(42) Ex C. 6, § 1, *De Rescript.* in 6°; C. 27, *De Praeb.* in 6°. Itaque si iussus, v. c., conferre Seio beneficium A., contuleris benef. E., etsi minus amplum, nihil agis (Ex cit. C. 27). et si cum Ecclesia N. duos census haberet, alterum aureorum 1000 contra Seium, alterum contra Sempronium aureor. 100, si licentia data ad illum, tu ad hunc distrahendum uteris, nihil agis (Lugo, *Resp. Mor.*, Lib. III, Dub. 13, n. 2).

(43) Sanch., *Dec.*, IV, 44.

242. Hucusque de rescriptis generaliter: iuverit nunc quae specialia sunt in rescriptis S. Poenitentiariae, quae ad forum internum pertinent, paucis attingere (44). Principio igitur, si missa fuerint discreto viro *Confessario,* oratoris quidem erit electio, sed eum eligere debet cui *ipse* alias confiteri posset (45). Haec rescripta sequuntur naturam fori interni; ideo et sibi integrum est variare, si postea electus displicet: et confessario de re cognoscere poterit etiam postquam forte edixerit (V. § 77, n. 55), rescriptum obreptitium esse vel subreptitium (46). Si in rescripto dictum sit – *dummodo res non fuerit ad forum contentiosum deducta* – vel – *dummodo res sit occulta* – primum eo spectat, ne ordo iudiciorum et iurisdictiones perturbentur, alterum pertinet ad vitanda scandala (47). Quamobrem deductum ad forum contentiosum accipimus, *cum iudex per narrationem negocii causam audire coeperit* (48); occultum vero *quod non est notorium, et potest aliqua tergiversatione celari, etiamsi per aliquot testes probari possit* (49); dummodo ad-

(44) Litterae quae mittuntur ad S. Poenit. inscribi possunt, vel *Emo Card. Poenitentiario Maiori;* vel *Sacro Tribunali Poenitentiariae Apostolicae.* Scribi quidem illae possunt seu latino, seu vulgari cuiusque idiomate, verum locorum nomina vulgari, idest proprio oratoris idiomate, distinctis ac perspicuis characteribus scribenda sunt; additis praeterea nominibus regni, provinciae et municipii, si oppida sint municipiis adlecta. Quae autem occultos conscientiae casus continent, fictis nominibus proponere, et obsignatas mittere omnino necesse est; nec per procuratores; quibus propterea nefas est factum enarrare, ut ipsi supplicem libellum conficiant Sacrae Poenitentiariae exhibendum (Monitum S. Poenit. *Quamvis praxis. Acta,* VII, 208).

(45) Ben. XIV, Not. 87, 31. Ideoque mulier, v. c., uti debet approbato (eo loci ubi eum adit) ad confessiones mulierum audiendas; vel tali habito ex errore communi (Sanchez., *M.,* VIII, 34, 14).

(46) Sanch., *M.,* VIII, 27, 40; De Iust., I, VI, 940; VIII, 122; Corrad., VII, 4, 73; qui refert, S. Poenitent. ita saepius respondisse (V. Ferrar., v. *Exequ. Lit. Ap.*).

(47) Sanch., *M.,* VIII, 34, 55.

(48) L. 1, C. *De lit. contest.;* Schmalz., V, 37, 113. Quidam docent, tunc dici deductum ad forum contentiosum, cum probatum fuerit, saltem per unum testem; sed hoc est alienum a iure (Ex L. 37, *De Noxal. Action.;* L. 17, *De A. et O.*). Alii cum fuerit intimatum parti (Sayr., IV, 17, 22): et hoc quoque gratuitum est.

(49) S. Alph. (VI, 593, v. *Hic autem notandum* 1°) cum Suar., Sanch., Azor., Bonac. et (ut ipse testatur) *aliis innumeris.* Quod igitur alibi docet – *Ut crimen dicatur non occultum, requiritur ut sit notum fere omnibus, vel saltem maiori parti oppidi, viciniae, collegii,* etc., (Lib. VII, 76), accipiendum est cum grano salis; et hoc loco non videtur admittendum (V. Bened. XIV, Not. 87, 40). In summa, occultum accipere debemus, quod adeo pauci et prudentes sciunt, ut reputari possit quasi nemo sciret; et quia res facti est, in aestimatione boni viri esse debet (Ben, XIV, *l. c.*). Nec indiscrete accipiendum est quod ex M. Paul.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

huc latere queat (50), ideoque non deductum ad forum contentiosum (51). Et duobus modis occultum dicitur: *materialiter*, quando factum latet; et *formaliter*, quando factum quidem scitur, sed aut culpa quae facto, aut poena quae culpae forte cohaeret, ignoratur (52). Quoties igitur requiritur ut *res sit occulta*, sufficit eam occultam esse vel *formaliter tantum:* seu ex errore facti, quod nemo dubitat (53), seu ex errore iuris, quod est communius (54); et sufficit

Leon.. et Bened. XIV (Not. 87, 45), idem S. D^{r}. alibi ait, occultum dici etsi quinque vel sex in aliquo oppido id sciant; aut septem, vel octo in aliqua civitate (S. Alph., I, App. II, 33; VI, 593, 1111).

(50) V. Salm., 13, 4, 53. Proinde, occultum dici nequit, quod sciunt paucissimi quidem, sed rimosis auribus; vel quod alio publicum est, si exinde facile notitia pervenire possit ad eum locum, ubi danda est absolutio, dispensatio, etc. (S. Alph., VII, 78). At vero si dictum fuerit, *dummodo res sit omnino occulta*, talis non habetur si duo sciverint (S. Alph., VI, 1111). Verum occultum latius accipere debemus, idest quamdiu non est publicum neque facto, neque fama, neque iure (Croix, III, II, 1219). *Occulto* opponitur *notorium* (C. 7, *De Cohabit. Cleric.;* S. Alph., VI, 593, v. *Hic autem*), sed latius accipitur, de quo serius. Porro facto notorium, seu publicum, aliquid dicitur, ubi palam admissum (Thesaur., *De Poenis,* Par. I, n. 121); *fama,* ubi divulgatum est - fama est, si penes maiorem; rumor, si penes minorem viciniae partem aliquid percrebuerit - Ex C. 5, *De eo qui cognov.;* Sanch., *M.*, I, 71, 18). Demum *iure* de quo reus in iudicio aut condemnatus fuit, aut convictus, aut confessus (C. 24, *De V. S.;* S. Alph , VII, 141; V. Thesaur., P. I, Cap. 21), postquam id innotuerit (Laym., Lib. III, *De Iustit.*, Tr. III, Par. 2, n. 7) quod, regulariter, facile metuendum est. Verum quoties *notorium* simpliciter dicimus, sufficit *facto* notorium esse, quia aliquid notorium esse res est facti, non iuris.

(51) Bened. XIV, Not. 87, 49; Suar., *De Censur.*, 41, 2, 6. Sed non obest, quod forte in iudicium deductum sit crimen complicis (Croix, VII, 145; S. Alph., VII. 76).

(52) Navarr., 27, 250, in fin.; Duard., in B. C. Lib. III, § 2, Quae. XI, nn. 6, 9; V. Bened. XIV, Not. 87, nn. 42; 48; ibiq. Navarr. et Paul. Leo (S. Poenit. olim officialis), aliique. - Puta, Osius clericum occidit: si is creditur fato suo obiisse, factum erit materialiter occultum. Si scitur fuisse occisum ab Osio, sed vel is occidisse fertur iustae defensionis causa, vel ignoratur homicidam fieri irregularem, erit occultum formaliter; nempe illinc errore facti, hinc iuris errore (V. Laym., *De Irregular.*, IX, 4).

(53) Thesaur., *De Poenis.*, Par. I, Cap. 21; Bened. XIV, cit. n. 48.

(54) P. Leo et Navarr., S. Poenit. peritissimi, ap. Bened. XIV. *l. c.;* Reginal., 31, 219; De Iust., I, 8, 169. Contra putant Thesaur. et Bened. XIV (*ll. cc.*), qui testantur hanc esse mentem S. Poenit.; et Bened. XIV addit, se numquam persuadere sibi potuisse, posse delegatum dispensare in impedimento criminis, vel affinitatis ex illicita, ubi ignoratur haec obstare quominus matrimonium contrahi valide possit. Sed et Sanc. (*M.*, VIII, 34, 56), qui hanc quaestionem obiter tangit, contrariam sententiam difficilem putat.

Tantam litem componere meum profecto non est; at non ausim neque *absolventem* reprehendere; neque laudare *dispensantem* (V. § 313, n. 5).

occultum esse eo loci ubi quis moratur, dummodo eius notitia non facile ibi sit perventura (55). Amplius; quod olim fuit publicum, si postea obliteratum fuerit, pro occulto est, dummodo longum tempus effluxerit (56). Denique, si reus fuerit absolutus, delictum quasi occultum reputabitur; tametsi iniuste, vel ex falsis testibus, vel malis suis artibus (57), et tantum *ab instantia* (58) absolutus fuerit. Ad extremum, si in rescripto continetur, uti nunc assolet, *audita confessione sacramentali*, hac omissa nihil erit actum; sed si nulla vel sacrilega fuerit, nihil oberit (59).

243. Rescripta desiderantur in gratiis Pontificis (nam ab Ordinariis etiam oretenus concessa valent). Quaesitum est, utrum (seu gratiae factae sint, seu faciendae) gratiae huiusmodi *suffragentur* ante expeditas literas Apostolicas. Et in foro externo non suffragari, definiti iuris est (60). Sed utrum eis nihilominus liceat uti in foro interno, non satis convenit: negant quidam, quippe aiunt, literae

(55) Sanch., *D.*, II, XI, 20; Salm., 10, 2, 62; Croix, VII, 144; S. Alph., VII, 78.

(56) P. Leo, ap. Bened. XIV, n. 47, qui hanc sententiam tacite probat (V. Lugo, *De Iust.*, XIV, 85; Salm., 13, 4, 62; Leo, *l. c.*). *Longum* vero *tempus* esse aiunt, si res est de dispensando impedimento matrimoniali, decem; si de irregularitatibus, viginti annorum spatium.

Interdum gratia conceditur cum clausula, *contrariis quibuscumque non obstantibus;* interdum hac, *supplentes singulos defectus.* Illa non derogat peculiaribus consuetudinibus, quippe quae legislator creditur ignorare (C. 1, *De Const.* in 6°), nec Conciliis Oecumenicis (Paris., *De Resignat.*, VIII, VII, 176), nec Regulis Cancellariae (Gomes, *Ad Reg.* VIII *Cancell.*, in prooem., Quaest. 5). Haec defectus tantum accidentales supplet, non item substantiales; et in primis eos qui non supplentur *per motum proprium* (V. Salm., 18, 1, 51; S. Alphon., Lib. I, App. II, V).

(57) Sanch., *M.*, II, 37, 12; VIII, 34, 57; Suar., *De Censur.*, 41, 2, 6, in fi.; Salm., 10, 2, 60; S. Alph., VII, 76.

(58) Sanch., cit. n. 57. Porro *ab instantia* absolutus dicitur, non is qui innocens apparuit, sed is cuius crimen semiplene tantum probatum fuit. Idem iuris est si dimissus fuit – quasi *non repertus culpabilis* – (Salm., 10, 2, 60; Bened. XIV, Not. 87, 49). Quaestionis est an absolvi, dispensari possit si condemnatus poenam luerit: negant Guttier., Suar., Pal., Bonac., quia revera publicum est; affirmant Reginald., Avila, Sanchez; Salm., 10, 2, 61, 62. Prior sententia mihi ex iure verior: sed *capienda occasio est quae praebet benignius responsum* (L. 129, *De R. I.*).

(59) Filiucc., 10, 355; De Iust., I, VIII, a n. 105. Item, ut puto (§ 25, n. 13), si inabsolutus discesserit; tum quia hoc levius delictum est, tum quia docente P. Leone (ap. De Iustis, n. 112), poenitens *non redditur incapax recipiendi ea beneficia, quae de sui natura esse possunt sine confessione sacramentali.*

(60) Reg. 52, Canc. Apost. – *Non suffragantur,* idest uti eis non possumus in foro externo; nam ratae sunt, licet informes (Regg. 27, 31, Canc. Apost.); ideoque mortuo Pontifice, nondum eis expeditis, haud expirant (Vide De Iust., I, 3, 42, etc.).

pertinent ad *formam* (61); affirmant alii quia, inquiunt, ad probationem pertinent (62). Et est aequius, immo iuri conformius (63), et communissimum (64).

244. Ad ultimum admonendi sumus, S. Sedem nonnunquam concedere ad cautelam privilegia et dispensationes, licet id in literis non exprimatur: nempe quia multa *dantur ad pacandas conscientias et scrupulos, et ad dubia* (65) *ex variis opinionibus orta removenda* (66): quae proinde nihil mutant (67), etiamsi motu proprio DATA FUERINT, CEU PRO *locis Missionum,* quos vocant. Non recte igitur plerique ex Nostris et Canonistis, ex quibuscumque privilegiis, dispensationibus, indultis, quasi ex quibusdam exceptionibus, legem in contrarium confirmari putant; freti ea, plerumque fallaci, iuris regula *exceptio legis firmat regulam in contrarium pro casibus non exceptis* (§ 185, n. 25).

(61) Riganti, in cit. reg. 52.

(62) Suar., VI, 13, 4; P. Leo, in *Praxi S. Poenit.*, ap. De Iust., I, 3, 28; Navarr.; Sanch., *M.*, VIII, 4, 1; Pont., *M.*, VIII, 15, 2.

(63) V. Sanch., *M.*, VIII, 29, 2; De Iust., I, 3, 25.

(64) L. 5, C. *De Transact.* - Nempe fiunt scripturae, ut, quod actum est, per eas facilius probari possit (L. 4, *De Pignorib.*).

(65) Suar., VII, 22, 3; ibiq. Panorm., Mandos., Rodriq.; Sanch., *M.*, VIII, 6, 29; De Iust., II, II, 177, et sunt frequentiora (Suar., n. 6).

(66) Diana, To. III, Tr. VI, Resol. 54. n. 3; Bened. XIV, Not. 101, 5: Suar., *De Relig.*, To. IV, Lib. IV, Cap. 17, n. 2; Lugo, *De Fide,* XXIII, 122. Et si quandoque prorsus inutilia videntur, sciendum est ea plerumque dari ad importunitatem petentium (Suar., VIII, 22, 5).

(67) V. Bened. XIV, *QQ. CC.*, Discurs. ad Q. 183, nn. 26, 27. *Privilegia,* et *indulta:* quem praeterit, e. c., matutinum diei sequentis recitari posse ab ea hora, quae media est inter meridiem, et solis occasum? leges canonicas non obligare cum incommodo gravi? matrimonia infidelium, inita in gradibus prohibitis solo iure canonico, valida esse? (C. 8, *De Divort.*). Et nihilominus a RR. PP. nonnullis Regularibus Institutis privil. concessum fuit illud recitandi ante solis occasum (V. Filiucc., 23, 274); et Alex. VII, Brevi *Ad Cathedram Principis Apostolorum,* 5 Septembr. 1256, et Paul. III (V. Sanchez, *M.*, VIII, 6, 29) privilegium Missionariis e S. I. indulserunt, *ille,* ut neophytos dispensare possent ab obligatione ieiunandi, vel audiendi sacrum diebus festis quoties haec sine gravi pericula praestare nequirent; *hic* ut iidem remanere possent in matrimoniis antea contractis in gradibus ab Ecclesia prohibitis. Quod ad *dispensationes* vero, quis ignorat, v. c., S. Datariam revalidationem matrimonii petentibus concedere, detracta mentione *ad cautelam,* hac perpetuo adiecta lege, ut oratores prius absolvantur *ab incoestu, censuris,* etc., et *quod servata forma Conc. Trident. matrimonium de novo contrahatur, et proles legitima declaretur?* Et nihilominus Bened. XIV (*l. c.*) mordicus tuetur, perperam exinde inferri, matrimonium nullum fuisse, *cum id* (ait) *Romani Pontif. petentibus indulgeant ad abundantiam.*

APPENDIX I.

DE CONSUETUDINE.

245. Consuetudo *morem*, *usum* significat; et modo nudum factum demonstrat; modo ius, quod ex facto oritur: inde vel facti vel iuris dicitur. Haec profluit ex illa, et definitur: *Ius moribus receptum* (1). Diducitur in universalem et particularem; *universalis* dicitur, quae obtinet in universa Ecclesia, vel in universa ditione alicuius Principis temporalis; *particularis*, quae obtinet, v. c., in una dioecesi, vel in oppido alicuius dioecesis (2). Videamus, 1° quomodo consuetudo (iuris) iutroduci possit; 2° quaenam sit introductae vis et auctoritas; 3° quomodo cesset. Loquimur de solo iure ecclesiastico.

246. Consuetudo est *ius;* uti igitur consuetudo facti transire possit in consuetudinem iuris, necesse est, 1° ut introducta fuerit ab his quibus leges, seu *statuta*, constitui possunt (3); et consensu eius, qui potest *illas* constituere, *haec* approbare (4), interpretativo inquam (5): et de his rebus tantum, quae legibus, seu statutis (non

(1) L. 32, *h. t.;* C. 5, Dist. 1. Et dicitur ius *sine scriptis*, non quod scribi non soleat; sed quia necesse non sit, scripto eam comprehendere (L. 36, *Eod.*). Agimus heic, uti ex definitione patet, de consuetudine *praeter legem*, et de ea solum quae Ecclesiae dumtaxat, vel internum forum attingit: nam NN. civiles LL. hanc non recipiunt, nisi in casibus nominatim expressis (C. G., 671; It., 590, 1654). Nostri et Canonistae addunt consuetudinem *contra legem, et secundum legem.* Has omisi; primo quia his non convenit definitio consuetudinis. Deinde quia illa magis desuetudo est, de qua iam suo loco (§ 181, n. 23); et a NN. civilibus LL. exsulat. Haec quid sit, ne convenit quidem; alii enim eam esse dicunt, quae legem obscuram interpretatur, alii quae vigentes leges usu et moribus firmat, alii quae legem obsoletam suscitat: sed perperam; illa enim nihil novi dat (L. 25, § 1, *De Testam.*), ista prorsus cerebrina est (V. Salm., 11, 6, 2, 3), haec recidit in consuetudinem praeter legem.

(2) Suar., VII, 20, 7.

(3) Suar., VII, 9, 11; Alas., V, II, I, 18. Velut a provincia, dioecesi, oppido (L. 3, C. *De aedif. priv.;* C. 31, *De Election.*); officio, curia, collegio (L. ult., C. *Quae sit long. consuet.;* C. 3, *De Cognat. Spirit.*), coetu denique personarum (Suar., *l. c.*). Ceterum, quod maior pars communitatis introduxit, pro eo habetur ac si omnes introduxissent (L. 19, *Ad Municip.*). Privati igitur consuetudinem introducere non possunt (Alas., *l. c.*): et hoc cumprimis nomine consuetudo distat a praescriptione, qua et privati iura acquirere possunt. Quidam utramque permiscent ex C. ult., *h. t.;* quo cavetur, consuetudinem ita demum obtinere cum fuerit *legitime praescripta.* Non bene: nihilominus in aliquibus conveniunt.

(4) Ex L. 2, C. *Quae sit long. cons.;* D. Th., 1, 2, 97, 3 ad 3. Praeter quam in statu democratico (L. 32, *De Legib.*).

(5) Suar., VII, 13, 7. Ideo non potest introduci, si is eam *corrupte-*

quae privilegiis), possunt constitui (6). Cumque hoc ius *moribus*, idest *usu*, inolescat, ut legitime introduci possit, 2° opus est actibus a maiore parte civium (7) pluries usurpatis, et constanter, et diu. *Pluries* (8); idest non semel, aut iterum, sed saepius; quod erit in aestimatione boni viri (9). *Constanter;* idest qui nunquam interrupti (10), vel dissimiles fuerint (11). *Diu;* idest, longo tempore (12); sed quodnam longum? num 10 annorum, ut plures; an 40, ut alii putant (13)? Et licet illi, quod ad consuetudinem contra legem ex iure (§ 203, n. 30), nihilominus, quia hic, non de solvendo agitur, sed de ligando, et iura promptoria sint ad solvendum quam ad ligandum, hos sequor (14). Denique ut huiusmodi *ius receptum* dici possit, 3° opus est quadam quasi tacita conventione recipientium (15); ideoque actibus, non utcumque usurpatis

lam nuncupaverit (CC. 7, 11, *h. t. De Consuet.)*, nisi rebus postea mutatis. (Sanch., *M.*, VII, 4, 14; Reiff., 46; Suar., VII, 7, 8).

(6) Sanch., *M.*, VII, 4, 14, circa med. Sive ut dicitur in C. 11, *h. t.*, consuetudinem *rationabilem* esse oportet, (nos hoc verbo abstinuimus, in quo explicando DD. laborant. V. Reiff., I, 4, 31, etc.). Ac proinde non contra ius, 1° naturale, v. c., ut in negociis liceat, invicem se circumvenire; de re alterius disponere; ex iniquitatem lucrum reportare (C. 8, *De Sent. et Re Iudic.;* C. 10, *h. t.*); et, ut generatim dixerim, quae scandalum gignere possunt (Sanch., *M.*, VII, 4, 2). Aut, 2° divinum, e. g., ut liceat plures uxores habere; vel divortium quoad vinculum facere. Aut, 3° canonicum in his *quae disrumpunt nexum ecclesiasticae disciplinae* (C 5, *h. t.*), cuiusmodi sunt, quae Ecclesiae libertatem coercent (C. 49, *De S. E.)*, quibus impeditur correctio morum (C. 13 *De O. O.)*, etc. Dixi *non privilegiis,* quia non omnia quae possunt privilegio acquiri, consuetudiue introduci possunt; v. c., ut plura beneficia habere liceat (C. 28, *De Praeb.*), ut laicus decimas ecclesiasticas acquirere (C. 17, *De Decim.;* V. Reiff., I, 4, 65), ut de causis matrimonialibus inter baptixatos iudicare possit.

(7) Ex LL. 32, 35, *De Legib.*

(8) Ex L. 1, pr., C. *Quae sit long. cons.*

(9) Menoch., *De Arbitrar.,* Cas. 81, 4.

(10) Ex L. 38, *De Legib.;* Suar., VII, 8, 15. Et vel una tantum vice interruptis, seu Principis iussu, seu voluntate introducentium, non procedit consuetudo (Suar., *l. c.;* Laym., 24, 14; Salm., 11, 6, 19; S. Alph., I, 107, 3); prout nempe uno actu interrumpitur praescriptio.

(11) L. 38, *Eod.;* Faber; Voet, n. 31.

(12) L. 2, C. *Quae sit long. cons.* Et hoc est quod canones dicunt, consuetudinem *legitime praescriptam* esse oportere (C. 11, *De Consuet.;* C. 2, *Eod.* in 6°).

(13) V. Suar., Lib. VII, Cap. 15; Pirhin., I, IV, 34; Engel, I, IV, 14; Reiff., I, IV, 96, 102.

(14) C. 3, *De Probat.* Et iuri congruit, quod consuetudinem *inveteratam* (L. 32, *De Legib.), diuturnam* (L. 33, *Eod.), longaevam* (L, 1, C. *h. t.; C.* 11, *h.t.*) desiderat. Est tertia sententia Vasq., Soti, Pontii, et, ex I. C., Cuiacii, Vinnii, Voeti, existimantium, id relinquendum esse arbitrio boni viri; quam Salm. probabilem vocant; et aequior esset nisi aleae et arbitrii plena foret.

(15) L. 38, *De Legib.*

(ut puta vi, aut errore, vel qua alia causa), sed animo introducendae consuetudinis, seque obligandi (16). Quae omnia apparere oportet (17): in dubiis, si dubium sit, utrum consuetudo revera obtinuerit, haec non obligat; sin quo animo fuerit introducta, tenendum est introductam fuisse cum intentione obligandi, si constanter observata retro fuerit, et cum incommodo gravi (18).

247. *Consuetudo legitime invecta pro lege non immerito custoditur* (19). Ideu obligat in re levi sub levi, in re gravi sub gravi: et si poenas introduxerit, vel inhabilitates, vel nullitates, haec quoque tenent (20). Nihilominus in dubio utrum obliget sub gravi, an sub levi; utrum poenas quoque, etc., secum ferat, quod minimum est sequimur (21). Uti autem lex, ita et consuetudo recipit (aiunt) interpretationem seu restrictivam, seu extensivam, sed hanc admodum raro (22). Et consuetudo specialis derogat universali, uti

(16) Suar., VII, Cap. XII; Engel, I, IV, 9; S. Alph., I, 107, IV. Hac re non obligat, v. c., mos confitendi in Pascate, contrahendi matrimonium coram parocho sponsae, audiendi ter sacrum in Nativitate Domini (V. Reginal., 29, 26, etc.); quia primum commoditatis, alterum honestatis causa, tertium ex sola devotione vel erronea opinione praecepti, obtinent (V. Salm., 11, 6, 29).

(17) Ez L. 1, C. *h. t.;* C. 50, *De Elect.* Porro S. Alph. docet, *cum Auctores,* immo vel unus eximius Doctor (Salm., 11, 6, 18; S. Alph., III, 290), *de aliqua consuetudine testatur, id non temere, et sine sufficienti fundamento asseruisse credendum est* (S. Alph., III, 1025). Contra Lugo *De Euch.,* XX, 97) monet non facile credendum esse Scholasticis; *hoc enim vitium eis commune est, ut consuetudines iudicent ex eo, quod in illa civitate aut provincia fieri vident, in qua versantur.* Sane, ut unum vel alterum exemplum proferam, Dicastillus (*De Poenit.,* Disp. IX, d. 2) tenet, peccata quae quis confesso fuit quasi dubia, si postea certo eorum meminerit, confitenda esse denuo, et *contrarium esse inauditum in Ecclesia Dei.* Et nihilominus V. Spor. (*De Poenit.,* 397) et S. Alph. (VI, 478): amplius, Caiet., Paludan., Richard., Henriq., uterque Soto, Navarr. (ap. Suar., *De Poenit.,* 31, 1, 1), S. Antonin., Laym. (ap. S. Alph., n. 595) docent, superiorem posse, solis reservatis; Durandus, simplicem confessarium, solis non reservatis (nulla etiam urgente necessitate) absolutis, poenitentem dimittere; uterque fretus consuetudine; et illi Romae vigentem, quam Silvest. negat, et Suar. (n. 6) testatur *sibi fere constare non existere.*

(18) V. Salm., 11, 6, 30; S. Alph., I, 107. Ut ecce, abstinentia ab esu lacticiniorum et ovorum diebus, extra quadragesimam, ieiunio consecratis.

(19) L. 32, *De Legib.;* idest, *pro iure et Lege est* (LL. 33, 38, *Eod.;* L. 1, C. *Quae sit long. cons.).*

(20) Ex C. 3, *De Cognat. Spir.;* C. 6, *De Cleric. coniug.* Nihilominus, utrum censuras introducere possit, non satis convenit; irregularitates non posse, verius est: sed de his alias.

(21) V. Suar., VII, 16; Salm. et S. Alph., *ll. cc.*

(22) Suar., VII, 16, 14; 19, 28. Ita Nostri quidem, sed hi de consuetudine tum *praeter legem,* tum *contra legem* agunt promiscue: hoc primum. Deinde vix intelligo, quem-

lex (23). Tollitur autem contraria consuetudine, aut lege. Ceterum quia consuetudines particulares sunt aliquid facti, quod legislator praesumitur ignorare (24), contraria eis lege derogatum non intelligitur, nisi haec adnexam habeat eam clausulam: *non obstante quacumque contraria consuetudine;* et si consuetudo excedat memoriam hominum, hanc: *non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili* (25).

APPENDIX II.

DE PRAECEPTIS.

248. Praeceptum est *iussum singulis datum.* In multis cum lege convenit, in multis differt. Convenit cum primis qua *iussum* est, nam ab his tantum dari potest qui iubendi potestatem habent, seu publicam, seu privatam (puta maritalem, paternam, dominicalem); et his tantum qui sub ea potestate sunt. Et iustum et manifestum esse oportet; et suo modo *pubblicatum* (V. § 202, n. 15), idest ab eo qui praecipit *directo* intimatum ei cui praecipitur (§ 223, n. 12). *Demum si* alternativum est, eius cui imponitur erit electio, utrum praestare malit (1): sed alterutrum eligere debet, non utriusque partem; et postquam elegerit purum fit praeceptum (V. § 166, n. 29).

249. Distat maxime in duobus. *Primum* hoc est, quod lex territorio, praeceptum personae cohaeret (2): num igitur eam sequatur ubique locorum? Ita porro, si profluit ex pacto (3); vel si potestas praecipientis nulli territorio adscripta est; nam secus ridicula esset potestas huiusmodi, quam quisque, excedendo limen, evaderet (4).

admodum heic consuetudo cum lege componi possit, cum illa ex mente legislatoris, haec ex facto et receptis moribus interpretari, metiri debeat. Nec demum intelligo, quomodo extensivam interpretationem recipere possit consuetudo seu contra legem, quae iuri derogat; seu praeter legem quae certo semper ac definito facto aliquo continetur, ex quo metitur.

(23) Ex C. 34, *De R. I.* in 6°; Reiff., I, IV, 16.

(24) C. 1, *De Const.* in 6°.

(25) Suar., VII, 20, 18; Reiff., I, 4, 189; S. C. C., ap. Fagn., in C. *Ad haec*, n. 34, *De Relig. Domib.*

(1) Ex § 33, v. *In eo, De Action.;* Salm., 10, 1, 64. V. c., *recitet officium B. M. V. aut ieiunet; ieiunet aut oret.* Nisi forte unum ex eis praestari non possit: v. c., si *ille* coecus sit, *hic* aegrotus; sed utrobique pura fit obligatio (Ex L. 16, *De V. O.*).

(2) V. Croix, VII, 43; Bened. XIV, *De Syn.*, XIII, 4, 9.

(3) Et de hoc nemo dubitat. Ex hoc capite tenentur presbyteri obedire mandatis Episcopi, (v. c. incedendi in habitu clericali, non adeundi theatra, revertendi, etc.) vel extra dioecesim; nempe ex promissione eis facta in presbyteratu suscipiendo

(4) Veluti si quid praecipiat maritus, pater, dominus. Ex utroque capite tenentur Regulares obedire suis Praelatis ubicumque versentur. *Communissima.*

Sin profluit ex iure civili aut canonico, et praeceptum manat ab eo cuius potestas territorio finitur, non convenit: affirmat sententia communior (5); minus communis, et S. Alphonso probabilis, negat (6). Mihi haec verior: primo, quia *ratio generalis, vel particularis* (*praecepti*), *non variat iurisdictionem* (7); deinde, quia potestas quae *non continetur in toto*, idest in potestate ferendi leges, in parte contineri absurdum videtur (8). *Alterum* hoc est, quod praeceptum cessat resoluto quoquo modo, etiam re non integra, iure praecipientis (9): et ideo, si datum fuit sub conditione suspensiva vel ex die, resoluto interim iure praecipientis, praeceptum continuo evanescit; ideoque, his postea advenientibus, quasi nunc

(5) Suar., *De Censur.*, V, 5, 18; Laym., *De Censur.*, IV. 6; S. Alph., VII, 23; Bened. XIV (*l. c.*) refert hanc sententiam, quin suam proferat.

(6) Salm., 10, 1, 103; Sayr., *De Censur.*, I, VI. 39; Aegid., Avila, Henriq., ap. Laym. (*l. c.*); Collet, Roncaglia, Holzmann, ap. S. Alph. (*l. c.*); Diana, To. V, Tr. I, Resol. 99, n. 4.

(7) Suar., *De Censur.*, V, 5, 18.

(8) Sayr., *l. c.* Sane, in L. 7, § *Interdicere*, 10, *De Interd. et releg.* continetur: *Interdicere quis* sua *provincia potest. alia non potest. Adeo ut* (inquit Voet, 48, 22, 1) *is cui arte, foro, negocium interdictum est, extra territorium interdicentis artem, negotia, forensia tractare possit.* Et prohibitus per sententiam iudicis *postulare* (causas agere), in ea tantum provincia non recte postulat in qua prohibitus fuit (L. 9, *De Postulan.*). Hanc legem nobis obiiciunt qui contrariam sententiam tuentur, eo quod in ea cavetur: *Si ob eam causam prohibitus fuerit quae infamiam irrogat, nec in alia provincia postulare* eum posse. Sed perperam, non enim dicitur eum postulare non posse extra *territorium* legislatoris, sed extra *provinciam* iusdicentis, quae suberat eidem *Principi, qui toto Imperio ius tale constituere potuit, et voluit* (Voet, 3, 3, 8). Sed nonne *exceptio legis firmat regulam in contrarium pro casibus non exceptis?* Quae exceptio eo iure niti videtur, quia infamia personae status minuitur (§ 121).

(9) Ex L. 43, *De Poenis;* Suar., I, 10, 9; *De Censur.*, III, 4, 12; Croix, I, 876; Sanch., *M.*, VIII, 28, 47, Et eo suspenso suspenditur (Filiucc., XI, 71). Vel si is, cui praeceptum impositum fuit, subditus, v. c., mutato domicilio, esse desiit (sed hoc etiam in legibus locum habet). Dixi *etiam re non integra* (ex C. 30, *De O. D.;* Silvest.; Sanch., *l. c.;* Reiff., I, 2, 45); ut puta, si iam coeperas obtemperare (v. c., si iussus vacare per mensem exercitiis spiritualibus, iam incoeperas eis operam dare); quia sicut nemo potest praeceptum ferre eo tempore quo non habet potestatem, ita *nec in id tempus in quo eam non amplius sit habiturus* (Suar., *De Censur.*, III, 4, 12). Nec puto verum esse quod Croix, VII, 104 (contra alios) docet, iussum restituere ablata infra mensem sub poena excommunicationis latae sententiae, mutato domicilio intra mensem, hoc elapso excomm. incurrere. Nihilominus si is, qui legem ferre potest, velut Episcopus, velit preceptum suum obligare, publicae utilitatis causa, etiam resoluto iure suo, obligat; nam si id universis lege lata imponere potest, eo magis singulis poterit (V. Suar., *De Legib.*, I, 10, 12).

ab eo datum fuisset vim nullam habet (10). Et si poena praecepto adnexa erat, vel censura, evanescit quasi accessoria: nisi forte iam plane fuerit incursa ante resolutum ius praecipientis (11).

(10) Suar., *De Censur.*, 3, 4, 10. Ad haec, praeceptum cessat, si finis praecepti omnino cessaverit (Suar., *De Legib.*, VI, 9, 10): puta si Episcopus alicui preces vel ieiunium indixerit pro salute Caii graviter aegrotantis, et is convaluerit, vel decesserit; nempe prout lex cessat si finis eius cessaverit adaequate, ut hic.

(11) L. 43, *De Poenis;* V. Glo., in C. 1. *De S. E.;* Abb., in C. *Cum ad hoc, De Cler. non resid.*, n. 9. Itaque si Ordinarius iusserit, v. c., concubinam extrudere, sub poena excommunicat. infra mensem, eo infra mensem translato, mortuo etc., excomm. cessat (Laym., *De Censur.*, II, 2; Suar., *De Censur.*, 3, 4, 12); translato, etc., post mensem, tenet (Suar. n. 10). *Nisi*, etc.; ut puta, si propter ebrietatem clericum per mensem suspenderat, suspensio non cessat ordinario intra mensem mortuo, translato, etc. (Suar., *l. c.*).

TRACTATUS IV.

DE CONSCIENTIA

CAPUT I.

DE CONSCIENTIAE NATURA ET DIVISIONIBUS.

250. Hucusque de actibus humanis, et de legibus. Porro mens nostra, actionem humanam cum lege comparando, iudicat utrum licita illa sit, an illicita: iudicium huiusmodi, cum de propria actione fertur, *conscientia* proprio nomine dici solet (1). Quae proinde definiri potest: *De actione nostra, utrum licita an illicita, iudicium.* Dicitur conscientia, quia est *applicatio scientiae* (morum) *ad aliquem actum;* cumque scientia in ratione sit, conscientia est *quodammodo dictamen rationis* (2). Et duplex est: antecedens, et consequens; illa actionem faciendam iudicat, haec iam factam (V. § 18, n. 1).

ART. I. *De conscientia antecedenti.*

251. Conscientia antecedens, strictissima significatione, est ea, quae dictat quid hic et nunc faciendum sit, vel omittendum; minus stricta, quae iudicat quid hic et nunc fieri, omittive possit, aut debeat. Huius duplex positio est: quoad rei veritatem (*obiective*), et

(1) V. Salm., 20, 3, 1. *Recta ratio,* cum universaliter apprehendit intelligibilia, *intellectus;* cum agibilia, *synteresis.* Haec autem cum de particularibus iudicat in re propria, *conscientiae* nomen subit: illa habitus est, haec actus (D. Th., 1, 79, 13).

(2) D. Th., 1, 2, 19, 5. Dictare autem *praecipere, ordinare* significat (L. 9, § 1, *De hered. instit.*). Inde conscientia est velut lex interior, quae vere hominem ligat (D. Th., *De Verit.,* 17, 4). Ideo, strictiori sensu, magis *dictamen* est, quam iudicium: scilicet iudicium est etiam de his quae fieri vel omitti *possunt,* dictamen de his tantum quae fieri vel omitti *debent.* Hac re vulgo definitur: *Iudicium practico practicum, dictans quid hic et nunc sit faciendum ut bonum, vel fugiendum ut malum.* Dicitur iudicium practico practicum, ut distinguatur a minore syllogismi (V. § 18, n. 1), qua iudicium *speculative practicum* continetur.

quoad aestimationem iudicantis (*subiective*). Ex primo capite, diducitur in rectam et erroneam: *recta* est, quae iudicat, licitum esse vel illicitum quod tale revera est; *erronea*, quae contra (1). Ex altero, vel certa est, vel probabilis: *certa*, quae iudicat, freta certitudine saltem morali (§ 130, n. 30); *probabilis*, quae iudicat, innixa probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, nempe *relativa* et gravi (§ 129, n. 20); ideoque non sine gravi errandi formidine iudicat (2). Dixi *probabilitate gravi*, nam quae nititur opinione probabilissima, habetur instar certae; quae tenui, in laxam aut scrupulosam desinit; *laxam*, cum aliquid licitum esse confidit; *scrupulosam*, cum illicitum esse metuit (3).

252. Est autem conscientiae *regula* omnium humanarum actionum proxima (4): scilicet quia actus imputatur agenti prout visus (§ 143, n. 4), ideoque *subiectiva* dumtaxat, nec omnis. Etenim non potest regula esse ea quae laborat dubio practico; seu hoc haereat in *parte priori* syllogismi (dubium facti), seu in *posteriori* (dubium iuris); quippe continet peccandi periculum, immo voluntatem peccandi implicitam seu virtualem (§ 143, n. 7). Proinde nec probabili, nec laxa, nec scrupulosa conscientia est, nec potest esse, actionum nostrarum regula (5), sed certa dumtaxat (6), vel saltem probabilissima (§ 130, n. 30). Et est, quamvis erronea (7). Quisquis

(1) S. Alph., I, 3. Recta et vera nonnullis eadem est; aliis diversae (V. Laym., III, 1).

(2) V. S. Alph., I, 40.

(3) V. Sanch., *M.*, II, 41, 2. Ad haec, mens nostra quandoque inter duas contrarias *leges*, vel inter duas *sententias* contrarias haeret anceps: hunc quoque ancipitem animi statum Nostri conscientiam vocant; nempe alterum *perplexam*, alterum *dubiam*. Sed minus recte: conscientia enim iudicium est; quodnam vero heic iudicium? (§ 127, n. 8). Nihilominus conscientia probabilis, quum nutet inter legem et libertatem, lata significatione, dubia dici potest, et dici solet.

(4) S. Alph., I, 1. *Remota* enim est lex. Sed unius actionis num duae sunt regulae? Minime, sed lex actiones considerat *generatim*, et in *abstracto;* conscientia *singulariter*, et *in re praesenti;* ideo haec in illa (prout species in genere) continetur. Alias: conscientia est legis (seu verae, seu existimatae) ad singulos casus applicatio.

(5) V. S. Alph., I, 10, 20, etc.; Salm., 20, 7, 1, etc. Dices: scrupulosa cavet peccata. Utique in re praesenti, verum per se aleae plenissima est. An igitur liceat contra eam agere? Negat Rodriq. (*Sum.*, To. II, 51, 3), eo quod agere contra conscientiam non liceat; affirmant Salm. (20, 7, 19), quia hoc non est contra conscientiam, sed contra scrupulos agere. Mihi, in eo qui ignorat (quod difficile est), se scrupulis laborare, prior; in eo qui id scit, posterior sententia videtur verior (V. Ronca., C. IV, q. 2).

(6) D. Th., I, 2, 19, 5. *Communissima.*

(7) D. Th., *Quodl.*, 3, 27. Nempe quia *bona fide agit*. Immo meretur (S. Alph., I, 6), ceteris paribus.

igitur iuxta hanc conscientiam agit, nunquam peccat (8): nam si suus error est invincibilis, culpa caret omnino; si est vincibilis, culpa erit solum *in causa* (9). Ex diverso, qui contra eam agit, peccat semper (10); nam si conscientia recta, seu *vera* est, peccat reipsa; si est erronea, peccat opinione sua (11).

253. Quoties igitur quis vult aliquid facere vel omittere, et dubitat utrum hoc facere, utrum omittere liceat, explorare debet diligenter, si inter duas contrarias leges haeret anceps, utra sit potior; si haeret inter duas contrarias sententias, utra sit verior; nec antea quidquam committere, quam id sibi exploratum fuerit: alias peccat quidquid agat, quia peccandi periculo se committit (12). Quoties autem explorandi spatium non datur, et res urget, si haeret inter contraria *duas leges*, malum ei eligendum est quod sibi videtur levius (13); et si nequit animadvertere utrum sit levius, quid-

(8) Azor., P. I, Lib. II, Cap. VIII, n. 13.

(9) C. 13, *De Rest. Spoliat.*, v. *Porro*. Ibi: *Quod fit* CONTRA CONSCIENTIAM, *aedificat ad gehennam;* et Paulus: *Quod non est ex fide peccatum est* (*Roman.*, XIV, 23). Fidem heic Apostolus accipit animi persuasionem, ut alias in iure tum canonico (C. ult., *De Praescript.*), tum civili (L. 48, *De A. R. D.*). Et qui iuxta eam agit, *bona fide;* qui contra eam, *mala fide* agere dicitur. Itaque bona fide is facit, qui existimat se rem licitam facere (Moli.; Laym., *De Iustit.*, Tr. I, Cap. VIII, nn. 10, 11); mala, qui putat se facere rem illicitam, vel de hoc probabiliter et practice dubitat. In summa, aliquid facere bona, vel mala fide Nostris idem est, ac facere bona conscientia, vel mala (Lugo, *De Iustit.*, VII, 43; Less., II, VI, 17, etc.; Croix, III, II, 479; Reiff., II, 26, 62; S. Alph., III, 511).

(10) V. Salm., Tr. 20, Cap. 5, Pun. I. Scilicet in priori casu legem violat quae id, quod facit, fieri vetat; in posteriori, nullam quidem specialem legem pessumdat, sed in eam generalem et naturalem legem offendit, quae vetat quidvis contra conscientiam agere. *Bene praecipiunt,* ait Cic. (*De Offic.*, Lib. I), *qui vetant quidquam agere quod dubitat aequum sit, an iniquum.* Atque ideo uterque tenebitur huiusmodi peccata confiteri. Verum, si legi adnexa est poena vel reservatio, in priori casu in eas incurrit, quia peccat reipsa; in posteriori non item, quia peccat opinione sua, et falsae opiniones nostrae rei veritatem non mutant; sed de his alibi.

(11) *Eccli.* XXXVII, 20; L. 77, *De R. I.;* Tull., *De Offic.*, Lib. I. Itaque sacerdos, v. c., qui falso putat, se horas canonicas recitasse, vel non recitasse, eas omittens, in priori casu innoxius est, in posteriori graviter peccat.

(12) V. D. Th., I, 2, 19, 6. Eoque magis peccat qui potest utroque abstinere. Heinc rectissime docent, eum qui vi rerum potitus est, peccare sive leges condat, sive (quando Reipublicae sunt necessariae) non condat (Salm., 11, 2, 11); et eum qui, usurpata, v. c., parochiali iurisdictione cum titulo colorato et errore communi, existentes in letali et petentes confiteri, arcet, vel absolvit, nisi in hoc posteriori casu periculum sit in mora.

(13) CC. 1, 2 § ult., Dist. 18; Sanch., *M.*, IX, 20, 10; S. Alph., I, 10; V, 77. Scilicet minus malum quasi bonum aliquid est (S. Alph.,

quid eligit, caret peccato, saltem *in se,* quia libertate caret (14); si haeret inter *duas sententias* contrarias, aut certam sibi conscientiam efformare debet, aut partem tutiorem sequi.

ART. II. *De Conscientia consequenti.*

254. Sapientis est, cum iudicaverit, facere; stulti, postquam fecerint, iudicant: praeposterum hoc iudicium conscientia consequens est. De qua res est expedita: nam ut scire aliquis possit, utrum bene an male aliquid cogitaverit, fecerit, omiserit, unum dumtaxat ei respiciendum est; utrum, nempe, iuxta suam conscientiam, an contra eam, egerit. Si iuxta conscientiam egit, culpa deerit, nempe tum *in se,* tum *in causa,* si fecit rem licitam; saltem *in se,* si illicitam rem fecit. Sin egit contra conscientiam, peccavit, etsi rem licitam fecerit. Item, regulariter, si dubitans fecit, quia exposuit se peccandi periculo. Ceterum nulla regula est posterior suo regulato, atque ideo conscientia huiusmodi iudicium est, conscientia (*regula*), stricta et propria significatione, revera non est.

255. Videamus nunc, quid agendum sit ei qui versatur in dubio, quando res moram patitur: nobis de eo est dispiciendum, qui haeret inter duas sententias contrarias. Duas inquam: nam si aut nulla, aut nulla vere probabilis ratio apparet dubitandi, et sententia sua est, uti vocant, *unice probabilis,* stultissimi hominis foret, existimare se ab agendo prohiberi (15): quid enim eum prohibet? Itaque is (dubio contempto) agere, omittere potest (16); alias in omnibus haerere oportebit, et ab omnibus abstinendum erit. Sed de eo loquimur, qui probabilem dubitandi rationem habet: is igitur, nisi velit partem tutiorem sequi, necesse habet: dubium deponere. Deponitur autem duobus modis: 1° *directe,* comperta (inquirendo, consulendo, etc.) rei veritate; et, si hac via non datur veritatem re-

II, 57). Ut puta, quum testis, si reum prodat, caritatem; sin minus, religionem iurisiurandi se laedere putat: aut muliercula ministrans aegroto ea hora qua sacrum audiendum est haerens, utrum aegrotum, an missam relinquere debeat.

(14) V. Laym., IV, 4; Salm., 20, 5, 9. *Nemo peccat in eo quod nullo modo caveri potest* (S. Aug. *De Lib. Arbitr.,* 18, 50).

(15) Billuart, *Summa S. Th.,* 1, 2; *De Actib. human.,* Art. V, § 2, v. *Dico;* Antoi., *h. t.,* Cap. IV, q. 5. Ut puta, si dubites, an liceat legere hunc librum, alloqui Seiam, Caii domum adire, rem a venditore, forte non domino, emere, etc.

(16) Ex C. 44, *D. S. E.,* quo cavetur, coniugem leviter dubitantem de valore matrimonii, et reddere et petere posse. Et Nostri docent, posse nos iuratos aliquid asserere vel promittere, cum nulla gravis probabilitas in contrarium apparet (S. Alph., III, 148).

perire, 2° *indirecte*, ope alicuius *principii*, ut vocant, *reflexi* (17). Heic igitur de principiis huiusmodi: disputatio gravis, et salebrosa; qua Th. Moralis quasi praecipuo cardine vertitur.

CAPUT II.

MORALISTARUM SYSTEMATA.

ART. I. *Quae sint praecipua systemata moralia.*

256. Quoties lex aliqua non satis certa est, vel non satis manifesta, et ideo dubitatur, utrum aliquid faciendum sit, an omittendum, duae plerumque sententiae concurrunt ultro citroque; quarum altera negat id fieri posse, altera affirmat: illa certat pro lege, haec pro libertate certat. Principio, unicuique profecto licet, regulariter, sibi eam eligere quae stat pro lege, quippe tutissima est (1).

Deinde, quod ad eam quae pro libertate stat, cum sententiae probabilissimae pro veris habeantur, contra tenuiter probabiles pro falsis (§ 128, n. 18), illas sequi posse (2), has non posse (3), utrumque omnibus compertum est (V. § 10, n. 90; § 131, n. 33). Quaestio igitur ad eas tantum sententias (libertati faventes) pertinet, quae sunt certo graviterque probabiles (4). Nec ad omnes; non enim pertinet ad eas sententias, quae dicuntur probabiles *probabilitate facti* (§ 10, n. 90; § 131); quia cum versamur in probabilitate huius-

(17) *Pricipia* nos vulgo dicimus quas latini *regulas* appellant. Principia reflexa sunt regulae, quibus utimur ad legis obbligationem cum primis, sine ulla reprehensione, evadendam, quando 1° vel servari non potest sine incommodo gravi, vel, 2° ei alia lex stat ex adverso, de quibus iam supra actum est (§§ 177, 178), vel, 3° est incerta, seu dubia, de quo solum hic.

(1) E. c., sententiam Hugon. de S. Victore, Guilel. Parisiensis et D. Bonaventurae, existimantium, hominem teneri ad confessionem statim atque peccavit. Dixi, 1° *sibi*, idest in his quibus sui iuris est, non item cum superior iubet (Croix, 1, 432; S. Alph., I, 31, 99); huic enim parendum est *haud secus ac si praecipiat Deus* (S. Bernar., *De Praecept. et Dispens.*, Cap. 2); tametsi nobis probabilius videatur, esse praeceptum illicitum (Croix, *l. c.*): dummodo non agatur de re nimis ardua (S. Alph., III, 617; V. § 160, n. 13). Dixi, 2° *regulariter*, quia scrupulos cavere debet.

(2) Alex. VIII, 3; C. 44, *De S. E.* - V. c., Missam licite celebrari, nondum recitato, quamvis omisso ex levi causa, matutino.

(3) Innoc. XI, 4. E. g., satisfacere eum qui horas canonicas *inchoat* ante mediam noctem diei sequentis. Huc recidunt opiniones *dubiae*, seu *probabiliter probabiles* (§ 10, nn. 95, 96).

(4) V. c., an satisfaciat qui recitat horas canonicas voluntarie distractus animi (V. S. Alph., IV, 177; Cf. Manhart, *De ingenua indole probabilismi*).

modi, idest, cum agitur de periculo damni seu alterius seu proprio, quod vel iustitia vel caritas vetat, certo in iure versamur (5); sed ad eas dumtaxat pertinet, quae probabiles dicuntur *probabilitate iuris,* idest, cum de solo licito, vel illicito agitur. Itaque Tutioristae, legem tuentes, negant sententias huiusmodi sequi posse; contra, Probabilistae, tuentes libertatem, affirmant; alii demum, medium inter utrosque iter ineuntes, censent, pro ea respondendum esse quae in possessione est, seu libertate, seu lege; inde regulae: *in dubiis tutius – in dubiis libertas – in dubiis possessio* (6).

257. De his deliberaturis hoc velut axioma statuendum est, nihil esse illicitum nisi quod *lege aliqua* vetitum sit: *ubi non est lex, ibi non est praevaricatio* (7); et hoc inter omnes convenit; nec

(5) V. S. Alph., I, 33 (Edit. 1762). Porro CARITAS *vetat* seipsum vel alios exponere periculo peccandi formaliter (S. Alph.. VI, 453); vel propter incertum rei, puta si agatur de societate ineunda de qua merito dubitatur, ne massonica sit; vel propter humanam fragilitatem, prout in lubricis (S. Alph., VI, 456); vel propter hallucinationis periculum, ut in expetenda punitione offensoris (S. Alphons., II, 29), in materia simoniae (S. Alph., III, 52), etc.: et huc pertinet illud Prov.: *qui amat periculum peribit in illo.* Sed in primis scandalum dare vetat. Iubet sequi tutiora in his quae necessaria sunt ad salutem, puta in Religione ab infidelibus deligenda (Innoc. XI, 4), in baptismo suscipiendo cum quis dubitat utrum fuerit, an valide fuerit baptizatus (S. Aug. lib. I, *Contra Donat.,* cap. 3); et huc spectat illud eiusdem S. Augustini: *tene certum, dimitte incertum.* IUSTITIA *vetat,* damnum dare ei qui est in certa possessione sui iuris; atque ideo *iubet* cavere ea, quae ei damno esse possunt (S. Alph., I, 41); *et est certum apud omnes* (S. Alph., V, 63): hinc non licet uti huiusmodi opinionibus, v. c., *iudici* (Innoc. XI, 2), medico (S. Alph., I, 44), foeneratori (S. Alphons., III, 778, 786), creditori *probabili* quoad compensationem occultam (S. Alph., III, 521), etc. Dixi: *qui est in certa possessione sui iuris* (S. Alph., *H. A.,* I, 21); nam si ius alterius incertum est, vel melior erit conditio possidentis (L. 2, *Uti possid.*), vel saltem, quia nullum ius certum alterius laeditur, nulla erit obligatio restituendi (V. S. Alph., n. 28). Ut puta, si clericus disponat de peculio suo parsimoniali; si is qui furatus est in extrema necessitate, non restituat; vel crimen publicum evulget, ubi criminosus adhuc latet. Ex utraque demum (caritate et iustitia), vel saltem ex alterutra, *illicitum est in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore* (Innoc. XI, 1).

(6) Finge Titium et Caium invitatos fuisse ad coenam, epulis paratis ex carne; et utrumque sub mediam noctem, illum sabbato, hunc feria 5 exeunte. Horologia quaedam horam 11, cum dodrante; quaedam 12, cum quadrante indigitant. Quaerentibus, an liceat accumbere, Tutiorista vetat utrique, Probabilista utrique indulget; is qui sequitur regulam quae possessori favet, Titium epulis prohibet, Caium non item (V. S. Alph., I, 99).

(7) *Roman.,* VII, 7. *Ubi non est lex, praevaricatio nec* (*Ib.,* IV, 15; § 1, *De Iure personar.;* L. 1, § 1, *De Testib.;* D. Th., in 4, Dist. 15, q. 2, ad 4). Belle Ulpianus, QUOD

legem obligare, nisi quia eam noverint; atque ideo nisi cum primis fuerit promulgata sufficienter (§ 162, n. 17); et de hoc quoque inter Tutioritas (seu Probabilioristas) et Probabilistas iam fere plane convenit. Verum quando lex dicenda sit *sufficienter* promulgata, heic diversi. Et dissentio haec est, utrum lex dubia (ea nempe quam viri sapientes, ex gravibus rationum momentis, alii extare negant, alii extare affirmant) sufficienter promulgata dici possit. Hoc toto, aut certe praecipuo, versamur cardine rerum (8).

258. Tutioristae, seu Probabilioristae statuunt: I. Lex sufficienter promulgata intelligitur, non cum est certum illam existere, hoc enim *paradoxon est probabilistarum* (9), continens *laxitatem intolerabilem* (10); sed *cum id prudenter affirmari potest* (11), idest, *cum est certe et solide probabile illam dari; tunc enim lex fit dubia, et ideo sufficienter promulgata* (12): in summa, *lex dubia et controversa est vera lex* (13). II. Tametsi lex dubia nullam ex se haberet vim obligandi, nihilominus obligaret ex illa certissima et perpetua regula iuris canonici, *in dubiis tutior pars est eligenda* (14). Immo ex ipso naturali iure; quo, in his, quae ad animae salutem pertinent, vetamur certis incerta praeferre: *tene certum, dimilte incertum* (15). Sane huic obtinendae duo *pariter* necessaria sunt, fides

PER LEGES LICEBIT: *haec clausula non illud significat, si leges permittant, sed si leges non prohibeant* (L. 28, § 2, *Ex quib. caus. maior* etc.). Adde sensum communem; nam cum qui reprehenditur in eo quod facit, si non appareat hoc esse illicitum, illico respondet, sive doctus sive indoctus: *Quo iure prohibeor?*

(8) Concina, *Storia del Probabilismo.* To. II, Diss. 3, Cap. 2, n. 2. – V. c., an extet lex naturalis, quae iubeat conteri statim a letali admisso; an lex divina, quae iubeat confiteri circumstantias simpliciter aggravantes; an lex canonica, quae clericis iubeat recitare horas canonicas cum attentione interna, vel quae eis vetet disponere de peculio parsimoniali, etc. Porro quae dicimus de lege existente, vel non existente, aptari debent suo modo legi obscurae, seu non manifestae.

(9) Concina, *l. c.*, n. 2. Verius dixisset, esse paradoxon D. Thomae docentis, legem non obligare nisi attingat subditos *per scientiam* (§ 162, n. 18); et omnem quaestionem, in qua de mortali peccato quaeritur, periculose determinari, *nisi* EXPRESSE *veritas habeatur* (Quodl. IX, Art. 15).

(40) Antoine, *De Conscient.*, Cap. IV, P. 2, Obi. 6.

(11) Antoine, *l. c.*, Q. 2, n. 3; Patuzzi, *La Causa del Probabilismo*, § IV; Brocardus, *De conscien.*, Quae. II; *De Regul. moralitatis*, Art. VI, § 7, *Dico* 3.

(12) Billuart, *De actib. hum.*, Dissert. VI. Art. 2., *Monitum ad Probabilistas;* V. Patuzzi, *La Causa del Probabilismo richiamata all'esame*, 1764.

(13) Conci,, *l. c.*, Cap. IV, § VI; n. 4.

(14) Antoi., Cap. IV, Q. 3. Idest C. 3, *De Sponsal.;* CC. 12, 18, 24, *De Homic.*

(15) S. Aug., *De Bapt.*, Lib. 1, Cap. 3. Et revera quis non impos

et opera; quia *sine fide impossibile est placere Deo,* et *fides sine operibus mortua est:* atqui in Religione deligenda (quod pertinet ad fidem) nefas est uti opinione minus probabili; ergo et in his quae ad mores pertinent. Demum, III. (et hoc est omnium argumentorum Tutioristarum urgentissimum), si opinio probabilis non vacat dubio, si cum dubio non licet agere, quomodo id licebit cum opinione probabili? Utique is qui sic agit, coniiciet se in periculum peccandi, atque ideo in aeternae damnationis periculum. Hactenus Tutioristae (16).

259. Contra, Probabilistae: I. ut lex dici possit sufficienter promulgata, debet essa CERTA et MANIFESTA (17): at cui sano videri potest *certa et manifesta* ea lex, de qua graves TT. graviter dubitant (18)? Hinc, II. iure canonico diserte cautum est: *Quoties lex non invenitur expressa, procedas, aequitate servata, semper in humaniorem partem declinando* (19). Et iure civili: *In re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus iustius est, quam* TUTIUS (20). Et re quidem vera, III. alienum est a recta ratione, et vix non absurdum, ex lege incerta certam obligationem deducere; numquid potest effectus existere sine causa, vel causam excedere? Quamdiu igitur lex non fuerit *certa et manifesta,* sive dubitetur utrum extet, sive utrum accepta fuerit, vel utrum obsoleverit, licitum erit (aiunt) sequi opinionem libertati faventem; dummodo illa sit *certe graviterque* probabilis; relicta etiam probabiliore pro lege. Hucusque Probabilistae (21).

mentis, ait Van Roy, *h. t.* sumit cibum quem dubitat, sit necne veneno infectus? Et hic instant exemplis iudicis, medici, ministri sacramentorum, de quibus in § 256, n. 5; quae ad rem non pertinent.

(16) Scilicet puri; nam sunt et alii, qui regulam, *in dubiis tutius,* in solis legibus naturalibus habere locum putant; et alii qui ne in his quidem, si opinio quae favet libertati, sit vere probabilis vel ex Scriptura, vel ex PP.

(17) § 162, n. 19. Iure Canonico, nefas est, eum qui aliquem laesit, a censuris, ob eam rem incursis, absolvere *non satisfacta parte* (CC. 2, 7, *De S. E.*), *dummodo manifesta sit offensa* (Cit. C. 2, et c. 23, *De V. S.*).

(18) S. Alph., I, 66, 67; ibiq. Vasq., Bonacina, Laym., Salm.; et *H. A.,* I, 36. *Ad constituendam legem dubiam sufficit vera probabilitas in contrarium* (S. Alph., I, 57. Edit. 1762, 1763). Scilicet certitudo contra veram probabilitatem non datur (V. § 169, n. 49).

(19) C. 11, *De Transact.*

(20) L. 153, § 1, *De R. I.*

(21) Scilicet *puri,* quos vocant; nam trifariam partiri dicuntur. Nempe opinio quae favet libertati, aut minus probabilis est ea quae favet legi, aut probabilior, aut aeque, vel fere aeque probabilis: multis illa arrisit, aliis ista, aliis haec; inde *Probabilistae puri, Probabilioristae, Aequiprobabilistae.* De puris satis. Probabilioristas praetereo; Tutioristae revera enim sunt (§ 10, n. 98). Aequiprobabilismum mediam, inter Probabili-

260. Mediam viam ineunt qui sequuntur regulam *de possessione*, quam vocant; freti eo Alex. III, responso: *De iure* DIVINO *et humano melior est conditio possidentis* (22). Sed ut sciamus quatenus valeat haec regula, prius nosse oportet quae sint commoda possessionis. Principio igitur: *qualiscumque possessor, hoc ipso quod possidet, plus iuris habet quam ille qui non possidet* (23); cumque *hoc ius certum sit* (24), *non potest elidi nisi ab alio iure certo* (25). Proinde, quoties controversia de dominio movetur possessori, non illud quaeritur, utrum *reus* (ipse) iure possideat, sed utrum *actor* iure petat (26). *Quamdiu* igitur *is non potuerit probare rem suam esse, remanet in suo loco possessio* (27), tametsi reus nihil probaverit (28), dummodo, quod ad forum conscientiae, bona fide possideat (§ 252, n. 9), idest nihil *practice* dubitet. Itaque hi, freti illa Canonici, et Civilis, immo naturalis iuris et aequitatis regula, *in dubio melior est conditio possidentis*, tenent, neque semper pro lege, neque pro libertate semper respondendum esse, sed pro ea quae in possessione est: ideoque si lex possidet, in sententiam Tutioristarum; si possidet libertas, in Probabilistarum sententiam concedunt (29).

smum purum et Tutiorismum, viam tenet. Hunc profitentur hodierni TT. fere omnes, auctore (uti rentur) S. Alphonso M. De Ligorio, de quo mox.

(22) C. 6, *De Praescript.* Quod Bened. XIV, in Const. *Postremo mense,* § 33, *axioma tritum* appellat. Possessionem vero accipimus seu rei, seu iuris alicuius; ut puta, si heres inter res a defuncto relictas librum vel nomen debitoris invenerit et positive dubitet, ne illud commodatum fuerit, hoc extinctum.

(23) L. 2. *Uti possidet.*

(24) S. Alph.. I, 35; IV, 210, q. 2. Atque ideo *prevalet cuicumquae probabilitati oppositae* (Id., VI, 905), *et est potius omni iure* (Id,. III, 927, v. *Triplex*).

(25) S. Alph., IV, 210, q. 2.

(26) Ex pr., Inst., *De Action.* Ipsi enim incumbit onus probandi (L. 2. *De Probat.*). nec utcumque, sed luculenter (LL. 9, 28, C. *De R. V.;* L. 2, C, *De Probat.*). Atque ideo, ut reus deiici possit, necesse est UT CONSTET *de iure alterius, ut dicunt communissime* (S. Alph., I, 36).

(27) § 4, *De Interdict.* Licet probabilius sit rem suam esse (S. Alphons., I, 35; IV, 210, q. 2); sive dubium sit facti, quod nemo ambigit, seu iuris (S. Alph., III, 927), quod liquet ex dictis.

(28) LL. 4, 5, *De edendo;* C. 3, in fin., *De Caus. possess.;* C. Un., *Ut Eccl. Benef. sine dimin.;* C. 36, § 1, *De Iureiur.;* S. Alph., I, 36; VI, 905, 906. Idque in omnibus locum habet (S. Alph., I, 53. Edit. 1762, 1763).

(29) Itaque si, v. c., testator Osio legaverit, et duo sint Osii, nec appareat, de quo senserit, neutri debetur (L. 30, *De Test. Tut.*). Contra, si utrique seorsim legavit, et postea uni ademit, nec appareat cui ademptum sit, debetur utrique (L. 3, § *Si duobus,* 7, *De Alim. Legat.*). Porro et libertati et legi sua iura constant; quando autem quaerimus, utra ipsarum sit in possessione, id quaerimus, utrius iura praevalere debeant.

261. Ab hac regula Tutioristae iam fere non amplius abhorrent, Probabilistae ab ea numquam revera abhorruerunt (30); sed potius utrique illam ad se trahere student. Quamobrem nova hic oritur quaestio; nempe, utra earum in possessione fuerit ab initio; atque ideo utra, in dubiis quaestionibus, in possessione sit. Et iam fere hoc quoque inter ipsos convenit, eam ab initio in possessione fuisse, quae tempore prior extitit. At vero Tutioristae contendunt, legem prius extitisse; seu naturalem, quippe est ipsa Dei voluntas aeterna; seu positivam, quia *omnis regula est prior suo regulato.* Probabilistae libertatem; quia tunc cum lex datur homini, is iam extare sive in mente Dei (quoad ius naturale), sive reipsa (quoad ius positivum) intelligitur: regulatum vero accipere debemus, non hominem, sed actiones humanas. Quod mihi est omnino verum; et sententia contraria a natura legis alienissima est. Etenim si lex in possessione fuit ab initio, nihil profecto licitum erit, nisi quod lex

(30) V. S. Alph., I, 55, qui hanc regulam solidissimo fundamento restituit (§ 11. n. 103); eaque perpetuo usus est (Ib., n. 107). Nec, ut quidam contendunt et vulgo traditur, mediam inter Probabilismum et Probabiliorismum viam iniit, Aequiprobabilismo introducto. Utique S. Doctor statuit: *'Non licere sequi opinionem minus probabilem, cum opinio, quae stat pro lege, est* NOTABILITER *et* CERTO *probabilior, tunc enim opinio tutior* (pro lege) *est* MORALITER, *vel* QUASI MORALITER CERTA, *unde fit quod opinio minus probabilis* (pro libertate) *sit tenuiter, vel saltem dubie probabilis* (Cf. *Vindic. Ligor.,* Par. I, Cap. 2, Ar. 2). Sed eam regulam tradidit latis Probabilistis cum primis coercendis (§ 11, n. 106): nam, uti scite animadvertit cl. Vitozzi, *se si sarà largo nel principio sistematico, ben presto si addiverrà lassista nella pratica* (V. *La Scienza e la Fede,* Serie 3, vol. 25, pag. 194, nota). At, in singulis quibusque casibus definiendis, quaenam sententia sit notabiliter et certo probabilior, id cuiusque arbitrio definiendum reliquit: *Nelle opinioni particolari ciascuno si regola secondo il proprio dettame* (*Lett. al P. Blasucci,* 25 Mag. 1767). Et tunc notabiliter et certe probabiliorem ab unoquoque iudicandam esse retur, *quando trova una ragione convincente, che si oppone alla libertà, e stima che a tal ragione non possa darsi moralmente adeguata risposta* (S. Alph., *Dell' Uso moder. dell'opin. Probab.,* Cap. 5, n. 26; *La Scienza e la Fede, l. c.* p. 198). Sane eius, qui adversario suo respondere non potest, desperata causa est. Heinc S. Doctor, non de quavis probabilitate disserit, sed de ea quae *intellectui* (iudicantis) *diserte apparet;* et de eo loquitur, qui si ab hac probabilitate discederet, a proprio iudicio, *per quemdam conatum voluntatis* discederet, et contra suam conscentiam ageret; cui proinde aptat illud apostoli (*Rom.,* XIV, 23): *quod non est ex fide peccatum est* (S. Alph., I, 55. Edit. 1767). In summa (S. D. opinionem *certo probabiliorem* accipit *probabilissimam.* Sane, si non ad hanc pertingit, non caret dubio practico, atque ideo S. Doctori obiicit posset quod ipse non semel obiici Probabilioristis; nempe sententiam, etsi certo probabiliorem, non carere periculo peccandi formaliter.

subinde permiserit; sin libertas, nihil erit illicitum, nisi quod postea lege vetitum fuerit: atqui id licitum intelligimus quod lex non vetat, illicitum quod lex prohibet (§ 257, n. 7): ergo, etc. Sane Tutioristae fatentur, promulgationem legis necessariam esse ut lex obliget; quorsum, si ea tantum quae lex permittit, licita sunt (31)? Paucis: lex ligat, an solvit? coercet libertatem, an parit? Si coercet (nam quis parere eam dixerit?), ergo posterior ea est.

262. Sed non ideo libertas in omnibus possessoris commodo fungitur. Scilicet hae cum primis quaestiones moveri possunt: 1° utrum lex extet; si extat, 2° quinam sit legis sensus et intelligentia; atque ideo, utrum forte, in re praesenti, 3° extensivam, an ex diverso, 4° restrictivam interpretationem recipiat; 5° utrum sit iusta; utrum, 6° cessaverit. Et quandoquidem lex non intelligitur nisi fuerit sufficienter promulgata, nec sufficienter promulgata, nisi fuerit *certa et manifesta* (§ 162, n. 19); quamdiu talis non fuerit, libertas in possessione est; atque ideo pro libertate cum Probabilistis respondendum erit in primo (32), secundo (33), et tertio (34) casu. Contra, si lex est certa et manifesta, lex in possessione est, atque ideo respondendum erit pro lege cum Tutioristis in casibus quarto, quinto et sexto (35). Et si non satis appareat, utra sit in

(31) S. Alph., I, 77, v. *Ergo.*

(32) C. 25, § *Contra, De V. S.* — V. c., an pueri, adepti usum rationis ante septennium, teneantur legibus Ecclesiae (§ 204, n. 32).

(33) C. 57, *De R. I.* in 6°; L. 40, *De Pact.* Et vel obscura est lex, vel ambigua (§ 162, n. 22). *Si obscura,* pro non lata erit. Sane, cum olim disputaretur (ex *Matth.*, V, 27), utrum licitum esset ab uxore divertere propter adulterium, S. Aug. non est ausus damnare letalis eos, qui, dimissa adultera, aliam ducebant (*De Fid. et Oper.*, XIX, 35); et Eug. IV, in Conc. Florent. passus non fuit, cogi Graecos, stantes pro divortio, a sententia discedere (Lupo, *Opusc.*, To. XI, Diss. *De Opin. Probab.*, Cap. 5. Venetiae 1749). *Sin ambigua,* quod minimum est sequimur. Edixerat Apost., *oportet Episcopum esse unius uxoris virum* (I *Timoth.*, III, 2): quaestio olim fuit penes Orientales, utrum Paulus vetuisset ordinari bigamos, an polygamos; et penes Occidentales (qui de bigamis intelligebant), utrum bigamus quis dicendus esset, a quocumque tempore (ut Itali) an a baptismo (ut Hispani), iteratis nuptiis: et quamdiu ab Ecclesia non fuerunt haec definita, stetit cuique sententia sua (V. Selvag., *Antiqu. Christ.*, Lib. I, P. II, Cap. IV; Lupo, *l. c.*).

(34) Ex L. 67, pr., *De Legat.*, III. Puta, an peregrini teneantur legibus loci, in quo versantur (§ 205); utrum die festo abstinendum sit ab operibus, de quibus ambigitur, an sint servilia, etc.

(35) V. Laym., *De Legib.*, XX, 5. In 4° (ex Clem., 1, § *Item, De V. S.;* Elbel, n. 458); v. c., an *sollicitantes* sint denunciandi, etsi fuerint emendati (S. Alph., VI, 686). In 5° (V. S. Alph., I, 99; III, 617; VII, 68); ut puta, si miles dubitet, ne forte bellum, in quo militat sit iniustum; vel quis dubitet, ne legislator ultra suam iurisdictionem ius dixerit. In 6°; v. c., utrum leges latae ab Or-

possessione, libertas an lex, *pro ea stat possessio, pro qua stat praesumptio* (36).

ART. II. *Quodnam systema praeferendum est.*

263. En Moralistarum systemata: omnia patronos nacta sunt plurimos, atque doctissimos (1), et nullum eorum damnavit Ecclesia:

dinario, consulto capitulo, resoluto iure ipsius cessent; utrum finis legis cessaverit adaequate.

Nihilominus, excepto 5° casu, in quo omnes conveniunt, in ceteris recedunt a regula nostra hi quoque, qui eam profiteri videntur. Sane in 4° casu vix invenies qui pro lege respondendum putet; et vel ipsemet S. Alph. (III, 1036, v. *Nec obstat*) generatim docet: *Cum dubitatur an lex comprehendat aliquem casum vel subiectum, proinde est ac si dubitetur, an existat lex pro illo casu, vel subiecto, et ideo possidet libertas.* In 6°; idem S. Doct. paucis quidem, sed disertis verbis docet: *Quando probabile est, quod lex abolita sit, tunc cessat praesumptio pro lege, et possidet libertas* (Lib. III, 112). Item cum probabile est finem legis *adaequate* cessasse (S. Alphons., I, 199); vel consuetudinem legi abrogasse (Id., III, 290; V. D. Th., in 4, Dist. 32, a. 4, ad 3).

(36) S. Alph., III, 200. Praesumptio autem pro eo stat, qui onus probandi in adversarium transfert (V. § 208). Adversarius autem est is qui actoris personam sustinet: idest lex, quamdiu haec est incerta; posthac, libertas. Ut ecce si quaeras, an hodie tibi ieiunandum sit, et non satis appareat, utrum 21 annum excesseris, an 60 fueris ingressus. Et si, v. c., *voverint* Osius exeunte 7°, Caius ineunte 8° aetatis anno; in dubio, an suae mentis fuerint, illius votum irritum habebitur, huius ratum.

Sed ex factis quoque nostris oriuntur iura et obligationes; quod cum fit factum instar legis habendum erit. Proinde quamdiu de eo dubitatur, *factum non praesumitur nisi probetur* (Ex L. 177, *De C. Empt.;* L. 10, C. *Non numer. pec.;* S. Alphon., III, 256): puta, si non satis appareat, an voveris, an damnum alteri dederis; atque ideo cessat voti praestandi, vel damni reparandi obligatio (S. Alph., I, 28; III, 562, 568; VI, 906; C. 2, *De S. D.* in 6°). Et quia *contrariorum eadem est ratio,* si appareat te votum vovisse vel damnum iniustum dedisse, nec appareat utrum votum impleveris, damnum sarcieris, regulariter votum implendum, damnum sarciendum est (V. § 169). Quid, si non satis appareat, utrum recte factum fuerit, an secus? V. c. si dubites, probabiliter inquam, an voveris compos tui, an matrimonio obstet aliquod dirimens impedimentum? Utique *in dubio* regulariter *omne factum praesumitur recte factum* (S. Alph., I, 26, 182; III, 201): *actus possidet* (S. Alphonsus passim), atque ideo in priori casu voti praestandi obligatio (S. Alphon., *QQ. Ref.,* II, 15, in posteriori petendi ius (C. 2, *De Secund. Nupt.*) erit.

(1) Tutiorismus Gallis, Probabilismus Hispanis TT. cum primis arrisit. S. Alphonsus utitur regula *de possessione* (§ 11, n. 107); eaque fretus, quaestiones fere omnes dirimit. Ad haec, sunt et recentiora. In primis cl. Potton O. PP. *Theoria Probabilitatis.* Parisiis, 1874) explodit regulam, *Lex dubia non obligat.* Nempe, ait, non licet committere se periculo faciendi rem malam; atqui transgressio legis, vel tantum materialis, etsi peccatum non sit (§§ 50,

neque tutiorismum, neque regulam, quae possessori favet, quod nemo negat; neque probabilismum, secus ac insimulant Tutioristae (2), qui eum ab ipsis Alex. VII et Innoc. XI proscriptum fuisse pronunciant (3); quin potius aperte indulget eum sequi (4), et non-

51), malum aliquid est (§§ 35, 36, 39, 40), non secus ac transgressio formalis (§§ 6, 8); huic autem periculo se committit is qui legem dubiam transgreditur (§§ 56 ad 60); ergo, etc. Unumque distare ait inter legem certam ac dubiam, quod ab *illa* excusanda gravior causa requiritur, ab *hac* minus gravis (§ 10). Quae omnia late prosequitur, ordinatim, dilucide, tum argumentis tum exemplis. Sed utrum, quum versamur in sola probabilitate iuris, *illis* peremptoriis, *his* ad rem prorsus, viderint sapientes. At fundamentum (novum prorsus), quo totum hoc aedificium superstructum est, nutat profecto: nam secus (ut cetera praeteream) quî potuisset Apostolus respondere: *Unusquisque in suo sensu abundet?* (§ 162, n. 21).

Contra cl. Victorius Constantini (*Instit. Moral.* Prati, 1881) extrudit regulam, *in dubio melior est conditio possidentis,* in omnibus *quae proprie non pertinent ad iustitiam.* Quin multis nec despiciendis difficultatibus obnoxiam putat (Par. I, § 101). Nempe ait, omnis nostra obligatio oritur vel ex lege, vel ex facto aliquo nostro; atqui legis, adeoque et facti (quod est instar legis) incerti, nulla est obligatio; quo igitur mihi regula de possessione, quam vocant? (§ 45). Nempe ut pareas legi, cum lex in possessione est (§ 260). De distinctione autem inter iustitiam et virtutes ceteras dicam postea.

Denique cl. Auctor (P. Gasbar Maria a S. Aloisio, Passion. D. N. I. C.) libelli, *L'ultimo fine dell'uomo e la suprema legge di carità applicate alla soluzione delle famose quistioni intorno al Probabilismo* (Ediz. 2., Boscomarengo, 1877), utramque regulam profitetur (Pref., p. 6). Sed, novam viam ingressus, censet omnes actiones nostras aestimandas esse ex fine ultimo; et a caritate ordinandas (Par. I, § 3). Ordo autem caritatis hic est, ut quae praestantiora sunt bona, ea potiora ceteris habeantur. Age nunc, ait, *liberum arbitrium* (libertas moralis ne? V. § 137, n. 5) ex bonis praestantissimis est; illudque caritas violare *vetat* (§ 3): quod proinde laedere in dubiis quaestionibus, nisi quid praestantius occurrat, nefas est (§ 2, n. 5). Quamobrem in dubiis huiusmodi pro eô respondendum est, etsi lex in possessione *morali* versetur; praeterquam in praeceptis negativis iuris naturae (§ 6). Sed num haec satis pervia sint (nam ego putaverim omnium bonorum praestantissimum esse custodire mandata, et libertate uti in gloriam Dei), id quoque viderint sapientes. Nobis tritis itineribus incedendum est.

(2) Cf. Manrath., *Dissert. Theolog. etc.,* Cap. I, § I (obiit an. 1773). Ubi refert, Innoc. XI pluries, dum viveret, sed frustra, sollicitatum fuisse, ut hanc propositionem damnaret: *Licitum est sequi opinionem* (pro libertate) *minus probabilem, quae sit vere probabilis.* Et nihilominus, si a veritate aliena erat, damnare eam debuisset (V. S. Alph., *Risp. apol. al P. Patuzzi,* 16 del 1774), ne videretur eam approbare; nam *error, cui non resistitur, approbatur* (C. 3, Dist. 83).

(3) Concina, *Stor. del Probab.,* To. II, Dissert. 3, Cap. IX, § 10. *Saltem implicite* (Patuzzi, *Compend.,* Tr. II, Cap. 3, n. 10).

(4) Superiori saeculo, quum Clemens XIII, die 26 Febr. 1761, damnasset undecim circa Probabilismum theses cuiusdam Avisii parochi, Tutioristis continuo undique conclamantibus, Probabilismum tandem aliquando a S. Sede diris devotum fuis-

nunquam sequitur ipsa (5). Unicuique igitur liceat *sibi* eligere quod magis arriserit (6): dummodo, *nec censuris notet sententias quae ratione et praestantium virorum testimonio minime carent* (7); nec quemquam adigat (ne confessarius quidem suos poenitentes) sententias suas derelinquere, *licet oppositae videantur probabiliores* (8); nisi forte sint APERTE *improbabiles* (9), EVIDENTER *falsae* (10).

se, Maior Poenitentiarius S. Alphonso *respondit*, iussu et auctoritate eiusdem Clem. XIII: *Non si è inteso di condannare veruna delle proposizioni che si controvertono nelle scuole cattoliche, e da molti* CATTOLICAMENTE *si difendono* (S. Alph., I, 86). Et nihilominus in Theol. Mor. P. Cuniliati (Venet. 1767. *De Consc.*, Cap. I, § VII) legitur: *Hoc* UNUM CERTUM, COMPERTUMQUE *est, Ecclesiam Probabilismi doctrinam improbasse, et Probabilismum* DETESTARI!

(5) V. Christ. Lupo, *De Antiquitate, auctoritate*, etc., *sententiae probabilis*, To. XI. Venetiis 1729. Huius rei innumera extant exempla. Proferam unum, vel alterum. Mulier quaedam, rumore de morte viri sui falso perlato, solemnia vota nuncupaverat. Viri iussu domum reversa, mox, eo vita functo, cogitur ad monasterium redire: renuit. Coelest. III, consultus, respondit: *Congruentius ad salutem est, ut ad monasterium redeat, sed invitam credimus* NON COGENDAM (C. 12, *De Conv. Coni.*). Quidam coniuges proprium filium e sacro fonte susceperant. Innocent. III consultus, an essent separandi, cum iura iuribus contraria viderentur, respondit: *Nobis* VIDETUR *quod non sint ab invicem separandi* (C. 2, *De Cogn. Spir.*). Regerunt Tutioristae, Romanos Pontifices heic dispensasse; nempe *quia poterant!* Sed esto: idem Innoc. III, coniugi impotentia laboranti indulsit experimentum triennale (C. 5, *De Frig.*); et Eug. IV vetuit inquietari Graecos dimittentes adulteras, et alias ducentes. Num, sodes, haec indulsere, quia ille poterat ratum facere matrimonium nullum ex capite impotentiae; hic ratum et consummatum facere irritum? Quid plura? Ineunte saeculo XVII, Indis quibusdam in Regno Paraquariae ad fidem conversis, qui plures uxores habebant, quaestionibus super validitate eorum matrimoniorum subortis, Urb. VIII Ioanni (postea Cardinali) De Lugo respondit: *Ubi DD. sententiae concurrunt utrinque probabiles, sequendas esse opiniones, pro conditione locorum et hominum, barbaris* FAVORABILIORES (De Techo, *Hist Paraquariae*, Lib. X, 15; Carden., *Cris. Theol.*, Diss. II, § 553). Demum ineunte saec. XVIII, quaestio, nec mediocris, orta est, utrum a lege ieiunii eximerentur hi qui cibis esurialibus uti non poterant: nonnullis id affirmantibus, negantibus aliis longe pluribus, Clemens XI noluit controversiam dirimere. Et ne videretur eam diremisse Indulto concesso an. 1703, quo caverat SONO *tenuti* (tenentur) *ad ad osservare il digiuno*, sequenti anno edixit, SIANO *tenuti* (teneantur) *ad osservare il digiuno*: nempe significans his verbis se, quasi Urbis Episcopum, indultum Romanis concedere ea lege, ut unica refectione contenti essent (Bened. XIV, Notif. 15, n. 24).

(6) Bened. XIV, *De Syn.*, VII, 11, 2; V. § 162, n. 20.

(7) Bened. XIV, Encycl. *Vix pervenit*, v. *Primum*, 1 Nov. 1744.

(8) S. Alph., III, 669. Hac re non licet ignorantibus obtrudere tutiora; exceptis his qui perfectioni student, si parati sint ea sequi (Croix, VI, II, 1737), et dummodo in errorem non inducantur.

(9) S. Alph., V, 52, in fine.

(10) Ex S. Alph., VI, 604. Et nihilominus sunt qui putant, propositionem hanc cl. Gury: *Licitum est sequi*

Immo nemo prohibetur modo una probabili opinione uti, modo con-

opinionem VERE *et* SOLIDE *probabilem, relicta tutiore aeque probabili, vel etiam vere probabiliori*, explodendam esse quasi laxam, ex S. Alphonsi doctrina; quod vix credibile dictu est (V. § 129, n. 25). Ergo, ex S. Alphonsi doctrina, grave erit eam sequi. Atqui S. Alph. perpetuo docuit: *Ut non sit peccatum grave, sufficit, ut vera probabilitas habeatur, intelligo illam quae fundamento* NON TENUI *nititur, ut tuto* (*iuxta commun. sentent.*) SEPOSITA QUAESTIONE DE PROBABILIORI, ET MINUS PROBABILI, *possit teneri et doceri* (S. Alph., III, post. n. 139; *Epist. resp.*, v. *Adversarius in Dissert.*); et in *Praxis Confessarii* (n. 114) queritur *non rationibus, sed mordacibus insectationibus* stetisse adversus se contrariae sententiae patronos. Sed esto. Ergo praeter Aequiprobabilismum et Probabiliorismum, hodie nullum aliud superest morale systema, quod licite defendi et sequi possit: ideoque Probabilismus moderatus exsibilandus erit; tenendumque est, turpiter errasse Theologos prope innumeros omnium Ordinum, et in primis O. PP. et S. I., inter quos tot pietate insignes, ingenio, doctrina, consilio praestantissimos, qui ei nomen dederunt? Et si ita est, ubinam est systema illud morale, quod *in Ecclesia Catholica, catholice defendi* a Clem. XIII, an. 1761, ipsimet S. Alfonso responsum est? Et si illorum sententia *laxa* dicenda est ex S. Alphonsi iudicio, *dicant* (nam ante S. Doctorem inter Probabilismum moderatum et Tutiorismum, seu Probabiliorismum, nihil fuit tertium), quaenam est sententia illa, quam ipse ann. 1748, 1755, tuendam suscepit quasi pro aris et focis; quam *communissimam* et *probabilissimam appellavit* (Dissert. *De Usu moder. Opin. probab.*); *quae per duo fere saecula labores tot sapientum exhausit;* quaeque ipse ignorabat, *quomodo posset reiici* (S. Alph., *Theol. Moral.*, Edit. 1762, 1763, *Praef. ad Lector.*); de qua idcirco pluries, etiam post an. 1762 (V. § 11, n, 102) conquestus est, quod esset *a' giorni* (suoi) *così contrastata* (*Lett. al P. Patuzzi*, 16 del 1764); *quod ei tam acriter* (ea) *tempestate reclamaretur?* (Dissert., an. 1767 n. 3). *Quae* (et hoc caput est), *si fuisset falsa, Ecclesia eam non tolerasset* (Cit. Dissert., an. 1755): *O dovrem dire, che la Chiesa per tutto quel tempo, non resistendo a quest'errore, l'approvò e così tenne ingannati i fedeli?* (Cit. *Lett.* 16 del 1764). Reponunt 1° S. Alphons. non explodere omnes probabilistas, sed eos dumtaxat qui probabilem tuentur *in se spectatam*, posthabitis rationibus contrariae sententiae. Verum inter eos qui sequuntur moderatum et solidum probabilismum, vix aliquem ex his reperies, aut ne vix quidem (V. § 129 n. 20). 2° Veteres Probabilistas, quos S. Alph. laudat, revera ab ipso non dissidere; nam cum docent, licitum esse inhaerere opinioni libertati faventi, relicta *etiam probabiliori* pro lege, probabiliorem intelligunt eam quae *parum* sua contraria probabilior sit. Sed nonne *omnes probabilistae et antiprobabilistae conveniunt, parum pro nihilo reputari?* (S. Alph., *Theol. Mor.*, I, 65. Edit. VI).

Sed nos umbras verberamus: liceat audire ipsum S. Alphonsum. *Utrum liceat cum opinione probabili operari, tres adsunt sententiae; prima quarum est, ut possit quis licite sequi opinionem etiam* MINUS PROBABILEM *pro libertate, licet opinio pro lege sit certe probabilior. Hanc sententiam* ELAPSI SAECULI *AA. quasi communiter tenuere; sed nos dicimus esse laxam, et licite amplecti non posse* (Cf. *Vind. Ligor.*, To. I, p. 75. Edit. 1784). Cl. Vitozzi, systematis S. Alphonsi strenuissimus propugnator, pro certo habet, S. Doctorem eum probabilismum repudiasse, quem la Croix (I, 301) exposuerat his verbis: *Licitum est*

traria (11); nam si tibi licet alteram sequi, mihi alteram; utramque utrique, remota fidelium offensione, quidni liceat? Utrobique enim, lex dubia est: nec ex eo quod una usus fuerim, altera probabilis ac tuta esse desinit. Excipe, dum ne lex in alterutra contineatur, tuque velis uti utraque simul (12); maxime in his, quae ius alterius contra iustitiam laederent (13).

operari secundum (opinionem) *probabilem*; *licet evidens sit oppositam esse probabiliorem, uti habet communis cum Illsung*, etc., *contra Terillum*, etc. (V. *La Scienza e la Fede*, Serie III, vol. 25, pag. 180). Atqui hunc esse, non moderatum, sed *latum* (non laxum) probabilismum patet, 1° ex verbis ipsis quibus latissime conceptus est « opinionem *probabilem* ». Moderati non quamlibet probabilem defendunt, sed *certo et graviter probabilem* (§ 10; §§ 11, n. 100; 128, n. 19). Patet, 2° ex AA. quos laudat, sive pro eo probabilismo (Ills., etc), sive contra illum (Terillum, etc.); illi enim probabiliter probabilem tuentur pro viribus (Ills., ap. Croix, I, 868), hi pro viribus impugnant (Terill., *Reg. Morum*, Quae. 23 n. 23). Et re quidem vera, S. Doctor eam sententiam laxam appellat, quae etiam *minus probabilem* pro libertate tuetur *sine ulla distinctione* (§ 11, n. 106): eam quam AA. *elapsi saec.* (XVI) *quasi communiter* tradiderunt: ergo non eam quam tenuere AA. saec. XV, et AA. saec. XVI, *di dottrina soda* (cit. n. 106); puta Suar., Less., Laym., Bonac., Pal., Ronca., Pont., Silv., De Lugo, Abelly, quorum doctrina S. Doctori (§ 4, n. 11), *quanta sit undique, perfecta est*. Sed illud in primis meminisse iuverit, S. Doctorem ea quae primo initio iecit fundamenta *Probabilismi* (§ 11, n. 100), nunquam postea mutasse (Tannoia, *Vita di S. Alf.*, Lib. IV, c. 16, p. 647. Torino, 1867); *probabilismi* moderati, inquam, et non Aequiprobabilismi nondum extantis. Et quae postea aequiprobabilismo tuendo scripsit, disseruit, ab an. 1748, et 1755 (V. § 11) usque ad vitae suae exitum, illa ad tuendum moderatum, contra latum probabilismum, scripta cum primis fuisse.

(11) V. Lugo, *De Euch.*, XV, 50; Gury, I, 80, Hinc, v. c., potest peregrinus, qui Reate versatur in pervigilio S. Barbarae, et vesci carnibus (§ 205), remoto scandalo; et dispensationem voti impetrare ab Ordinario eius loci (§ 232).

(12) Lugo, *De Iustit.*, XV, a n. 47; Lehmkuhl, Vol. I, n. 114. Est et alia ratio, qua utitur Lugo (n. 49): quia ex quo unam sententiam elegit, non licet variare, quin laedat ius quod legi seu praecepto, ex electione, quaesitum fuit. E. c., si duo aliquem rebaptizaverint, alter solemniter, sed clam, alter coram multis, sed privatim, neuter contrahit irregularitatem; at si unus eum sic baptizavit, et rebaptizavit, quis neget eum irregularitatem contrahere? Quamobrem cum Trident. (XXIV, *R.*, 6) potestatem dederit Episcopis absolvendi a casibus occultis R. P. reservatis sibi subditos *in dioecesi sua*, cumque inter TT. non satis constet, utrum haec verba ad absolventem pertineant, an ad absolvendum, atque ideo uter extare debeat in dioecesi sua, non bene Sanch. (*D.*, II, 11, 18) existimavit, neutrum requiri quia utrumque est incertum. Et quis ferat, v. c., eum qui media, Sabbatum inter et Dominicam, nocte, velit et in praesens vesci carne, et postero die sacrum facere; eo quod ex uno horologio eam praeteriisse, ex altero nondum advenisse appareat? aut eum qui, cum incertum sit, utrum hodie sit ieiunium, an cras, neque hodie ieiunare velit neque postridie? (Lugo, nn. 50, 51).

(13) Baller., ad Gury, I, 80, in fin. Veluti si quis ex testamento mi-

264. Haec in praxi: nihilominus, quoad rei veritatem, abs re non erit, paucis dispicere quodnam systema meliori iure gaudeat. Et puto illud esse, quod possessori favet: primo, quia hoc utimur in foro exteriori (§ 260), et utrumque forum convenire oportet, quoad fieri potest (§ 206 n. 48); deinde, quia nititur iustitia; scilicet, uti legibus, ita et libertati sua iura constant; *unicuique* igitur *sua;* sed in primis HUIC, quippe, muliplicatis legibus et praeceptis, via quae ducit ad vitam fit arctior et difficilior. Demum, quia et naturali aequitate nititur; nam si lex *nunquam* obligat, quamdiu non fuerit sufficienter promulgata, ergo, aequa lance, ex quo sufficienter promulgata fuit, obligat *semper*. Quod ut melius appareat, expediemus paucis quae sive Tutioristae contra Probabilistas, ideoque contra primam regulae nostrae partem; sive Probabilistae contra Tutioristas, atque ideo contra regulae nostrae partem alteram, obiicere solent.

265. Itaque Tutiorismus, I. laborat falso supposito: tenet enim legem, tunc sufficienter promulgatam dicendam esse, cum probabile est ipsam extare; ac proinde legem dubiam et incertam veram legem esse, et habere vim obligandi (§ 258, n. 13). Atqui hoc et a iure (§ 162) et a recta ratione prorsus alienum est: neque enim lex heic subest, sed opinio; nam id, quod solius probabilitatis finibus continetur, solius opinionis vim potest habere: ergo Tutioristae non legem, sed *suas* opiniones quasi leges obtrudunt (14). II. Illa canonici iuris regula, *In dubio*, etc., pertinet ad forum externum (15),

nus solemni (quod alii ratum, alii irritum putant), *quasi rato,* hereditatem capere velit; *quasi irrito,* legata praestare nolit.

(14) Segneri, *Dell'Opin. Probab.,* Lett. 1. *Ut quid libertas mea iudicatur ab aliena conscientia?* (I, *Corinth.,* X, 29). *Et tu quis es, qui iudicas alienum servum;.... fratrem tuum?* (*Rom.,* XIV, 4, 10).

(15) Felin.; Navarr., in C. 12, *De Homicid.;* Suar., *De Censur.,* 40, 6, 10; Laym., V, 39. Ad scandala, videlicet, et offensiones fidelium removenda. Et satis liquet ex C. 18, § 4, *De Homicid.* Sed iuverit singulos locos expendere in quibus edicitur, in dubiis semitam tutiorem esse eligendam.

Quinque igitur sunt RR. PP. responsa, quae huius regulae mentionem faciunt. Ex his, *unum* (C. 3, *De Sponsal,*) alienum a re est; duo (CC. 12, 18, *De Homic.*) pertinent ad dubium homicidii, et specialem Ecclesiae disciplinam continent (C. ult., *De Temp. ordinat.*) iuri civili cohaerentem (L. 52, *Ad L. Aquil.*), quae serius mutata est (V. Clem., un., *De Homic.;* et Lupo, To. II, Dissert., *De opinio. probab.*), et ad iudices pertinet (Cit. C. 12). *Quartum* (C. 5, *De cler. excomm.*) ad forum externum pertinet. *Ultimum* (Clem. *Exivi, De V. S.*) regulam nostram, de interpretatione restrictiva non admittenda (§ 262, n, 37), confirmat. Multi, in his S. Bonav., S. Antonin., Gerson, Nyder, Sanch., Suar., docent regulam hanc *consilium* continere (V. S. Alph., Lib. I, *Morale systema, etc.,* § II, Dub. IV et seqq.);

aut canones et RR. PP. sibi non constant (V. § 263, n. 5). III. Falsum est, Probabilistas certis praeferre incerta, cum certissimum sit legem dubiam non obligare (16); et Tutioristae, dum clamitant contra conscientiam dubiam et periculum peccandi, umbras verberant (17). Utique opinio probabilis non vacat dubio, sed speculativo, non practico; atqui speculativum non obest, quippe praxim non attingit (§§ 127, 131); practicum exulat, ope principii reflexi (18); ergo qui

et sane quod de eo, qui propter dubium homicidii quaerebat, an posset celebrare, in CC. 12, 18, *De Homic.* negatur posse, quia in dubiis etc., in C. 24, *Eodem*, dicitur, *consultius* esse abstinere (V. etiam C. 15, *De Iureiur.*). At quod alii putant, eam pertinere ad dubium practicum, hoc perdifficile est: vix enim verosimile videtur RR. PP. regulam tradidisse, quae omnibus semper et ubique exploratissima fuit (Suar., *De Censur.*, 40, 6, 8). Sed et ea responsio displicet verbum *tutius*, eo quod comparativum sit, significare contrariam sententiam tutam esse; heic enim manifeste *positivi* vim habet, iuxta proprietatem latini sermonis.

(16) Sane si ea quae pertinent ad fidem necessaria sunt ad vitam aeternam, prout ea quae ad mores pertinent (§ 258), cur TT. Gallicani (ex quibus schola Tutioristarum coaluit) ab an. 1414 usque ad Conc. Vaticanum, discesserunt ab ea, tutiori procul dubio, sententia, quam semper universa tenuit Ecclesia, in condendis fidei decretis R. Pontificis irreformabile esse iudicium?

(17) Tutioristae nullum reflexum principium admittunt (§ 127, n. 12; V. Segneri, Lett. I, n. 36); et Probabilistas, per derisionem, *reflexistas* appellant (V. Opusc. cui titul. *Doctrinae probabilioris theoria*, § 32, in fin. Pragae Veteris 1775). Et Euseb. Amort, licet Probabilista, asserere non dubitavit, principia huiusmodi totis sexdecim saeculis ignota fuisse (*De Consuet.*, Disp. 2, § 4, 2, n. 3). Etiamne illud attigi (ne a re in qua versamur discedere videar), *In dubio melior est conditio possidentis?* (V. § 11, n. 104. Et si ita est, qua ratione innixus D. Th., TT. disputantibus utrum confitendae essent circumstantiae simpliciter aggravantes, utrum lapsi in letali tenerentur statim actum contritionis elicere; sententiis negantium adhaesit? (V. § 162, n. 21; D. Th., *Suppl.*, 6, 5). Qua ratione innixi RR. PP. responderunt dubitanti de morte prioris coniugis: debitum petendum non esse, sed esse reddendum? (C. 2 *De Secun. Nupt.*; C. 44, *De S. E.*) et Paulus dubitantibus, an licitum esset vesci suffocatis, respondit: *Unusquisque in suo sensu abundet?* (*Roman.*, XIV, 5). Sed hodie multi ex his, qui Probabilioristae appellari malunt, ceu Berti, fratres Ballerini, Wigandt, etc., et haec denique admittunt (V. S. Alph., I, 69).

(18) V. S. Alph., I, 69, 70. Tutioristis utrumque dubium est unum atque idem prorsus (§ 127, n. 12). Inde nequeunt (aut nolunt) animadvertere, quomodo id, quod speculative dubium est, non sit etiam practice dubium; et hac perpetua aequivocatione et cavillatione insectantur Probabilistas. Et nihilominus aperta res est. Si ita ratiocinaverim: *non constat, utrum extet lex, quae vetet contractus trinos inire; sed hic, quem inire volo, est contractus trinus; ergo...*: quidnam, sodes, inferre licebit? Num, esse illicitum inire hunc contractum? Haud certe, et palam est; sed: *ergo non constat contractum hunc lege vetari.* Sane si ego, ignorans ex lege incerta vel dubia nullam obligationem oriri, haeream, verens ne sit illicitum inire contractum huiusmodi, palam est, me

sic agit, nec utitur conscientia dubia, nec committit se periculo peccandi formaliter (etsi forte materialiter), atque ideo nulli aeternae damnationis periculo se committit (19).

266. Venio nunc ad Probabilistas. Hi, absit verbo invidia, parum sibi constare videntur. Nam si lex dubia non obligat, quia non est sufficienter promulgata, ergo (etenim *contrariorum eadem est ratio*), postquam sufficienter promulgata fuerit, obligat: atque ideo pro ea semper respondendum erit, nedum cum non satis apparet utrum sit iusta, de quo omnes conveniunt, sed etiam cum dubitatur an restrictivam interpretationem recipiat, vel an cessaverit (20). Et qui id nolunt admittere, coguntur a recta ratiocinandi regula deflectere; et in his, in quibus deflectere omnino non possunt, necesse habent exceptionibus uti, quibus non indiget regula nostra (§ 256, n. 5). Sed illa cum primis, nec mediocris, probabilismi difficultas est, quod impervius sit, praeterquam oppido paucis: nam aestimare quanta unaquaeque opinio, seu intrinseca, seu extrinseca probabi-

dubio practico laborare, atque ideo contrahere non posse (C. 35, *De Simon.*); at si, id sciens, prosequar: *quod nulla certa lege vetitum est, licet; atqui hic contractus nulla certa lege vetitum est; ergo licet;* quis non videt omne prorsus dubium heinc evanescere? Nam quae ex duabus praemissis certissimis eruitur conclusio, quomodo non certa illa est, nec certam conscientiam praestat? Quamdiu autem quis certus est, se ab eo contractu ineundo nulla lege prohiberi, atque ideo rem non illicitam facere, *parum refert quod dubitet, an talis actio secundum se, et materialiter peccaminosa sit* (Suar., *De Censur.*, 40, 5, 14). Dices, cum cl. Bouquillon, materiales quoque legis transgressiones cavendas esse (§ 263, n. 1): ita porro, sed cum lex certa est et manifesta, non item cum est incerta vel dubia (§ 162, n. 19); alias errassent RR. PP., erraset Paulus (n. 7): lex huiusmodi nullam obligandi vim habet, cuius proinde nec materialis transgressio intelligi potest.

(19) Probabilistae haec in Probabilioristas retorquent: nam, aiunt, neque sententias, quas ipsi sequuntur, vacare dubio, atque ideo peccandi, ac proinde aeternae damnationis, periculo. Ita sane, si hi revera opinionibus dumtaxat probabilioribus contenti essent: sed cum aperte profiteantur, se probabilissimas tantum (moraliter certas) sententias contra legem admittere (V. S. Alph., *Morale Systema etc.*, § II, v. *Dicunt igitur*), nihil aliud respondendum superest, nisi ut, abiecto simulato *Probabilioristarum* nomine, abeant ad *Tutioristas*.

Est et aliud Probabilioristarum argumentum: *Quia absurdum est dicere, graviter peccasse innumeros DD. doctrina et pietate insignes, docentes istas doctrinas probabiliores* (Billuart, *De actibus human.*, Diss. VI, Art. 3). Sed hoc argumento etiam Probabilistae uti possunt.

(20) Ad rem prorsus *Vindiciae Alph.*, Par. I, Cap. I, Art. 2, IV. *Iura legis et libertatis, in pari causa, aequalia sint oportet.* Uti igitur, aiunt, lex dubia non evincit certam libertatem, ita, ex diverso, nec dubia libertas certam legem evincit.

litate polleat, hoc plerumque arduum, et salebrosum est (21); et diverse, ut plurimum, a diversis TT., pro cuiusque ingenio, moribus regionum, partium studio (22); immo, interdum, ab eodem (ex doctissimis licet, ac sapientissimis) aestimatur (23).

267. Ad ultimum neque Tutiorismus, neque Probabilismus carent incommodis. Nam, primo, si duo de damno certent, in dubio gravi ultro citroque, et Tutiorista, et Probabilista cogitur utrique eadem, idest contradictoria, respondere (24). Deinde neque Tutiorismo, ne-

(21) S. Alphons., *Dissertat., etc.*, an. 1775. Alph. Muzzar., Dissert. *De Reg. Opinion. Moral.* Verum hic Auctor nullam ex superius recensitis regulis admittit; sed hanc tantum: *Tenenda est sententia quam suadet ratio, et firmat auctoritas;* quae in probabilismum recidit.

(22) Et, ne res exemplis careat, paucis agam. Si quis Titio consilium dederit, v. c., ut Seii aedes incenderet, consilio revocato, quidam putant, incensis aedibus a Titio, damni eum non teneri. Haec sententia Roncagliae (*De Rest.*, Cap. IV, P. IV, r. 2) *probabilissima*, Laymanno (ap. S. Alpho.) *multum*, S. Alphonso (III, 559) *satis probabilis*, Lessio (II, 13, 18) *non improbabilis* visa est. Docuerunt quidam ex Nostris, fas esse, die ieiunii, sumere ad coenulam octo uncias panis cocti cum aqua et oleo. Sententiam hanc Tamburinus (*Dec.*, Lib. IV, Cap. V, § 3) ausus non fuit probabilem dicere; Laymann (ap. S. Alph., III, 1029) existimavit non carere probabilitate; Elbel vero (II, 499), probabilissimam dixit!

(23) Liceat unum vel alterum ab ipso Moralistarum principe exemplum promere. Docet Lessius, non esse illicitum suadere minus malum parato gravius inferre: haec sententia S. Alphonso *probabilior* (II, 57), *satis probabilis* (V, 77), non *improbabilis* (*H. A.*, VIII, 7) visa est. Item, ea sententia quae docet, cessare votum, si ea supervenerit mutatio rerum, qua ab initio extante aut praevisa, non vovisses, cum semel et iterum S. Doctori *probabilis* (III, 187, 198), et subinde *forte probabilior* (n. 226) visa fuerit, demum quasi *certam* eam tradidit (n. 720).

Haec de probabilitate absoluta: in relativa res est longe difficilior. Unde enim aestimare possum, quanta utraque opinio probabilitate gaudeat, atque ideo utra sit potior? Num ex animi mei sententia? Sed id paucissimorum est: et, licet omnium esset, *quis non videt, hoc esse onus moraliter intolerabile, utpote innumeris scrupulis et periculis errandi obnoxium?* (S. Alph., I, 56, XXVII. Edit. 1762). An ex placitis Moralistarum? Sed nonne verendum erit, ne cuique ea videatur probabilior, quae sibi magis arriserit? Nam *quod in opinionibus maximam partem sibi sensus proprius, sive passio vindicet, et non ratio, passim accidit doctis, et indoctis; immo saepius doctis. Considera scotisticam scholam a tot saeculis thomisticae oppositam. Per haec tempora nullum legimus ex Fratribus MM. doctrinis O. PP. adhaesisse; nec quemquam ex istis adhaesisse illis* (S. Alph., *l. c.*, XXIX).

(24) Finge, v. c., legatum mihi relictum fuisse in testamento, iuris solemnitatibus destituto (V. § 214, 13), illudque proinde heredem praestare nolle: si Tutiorista quod utrique tutius, Probabilista vero quod utrique probabile est, respondere velit, utique *ille* iubebit et heredi legatum praestare, et mihi legato abstinere: *hic* vero respondebit heredi, sibi non esse obligationem solvendi; mihi vero petenti, occulta compensatione utendi ius esse (Granad.; Silvest., v. *Hereditas*, III, 7; Molin.,

que Probabilismo certi fines constituti sunt, ideo ansa datur utrisque ulterius prosiliendi. Et re quidem vera, numquid non saepe utrisque in utramque partem modus defuit? quis ignorat plures Tutioristas ad rigorismum, et contra plures Probabilistas ad laxismum prope, et nonnunquam proxime accedere? Demum Tutiorismus plerumque in desperationem adigit; Probabilismus, nisi eo cautim utaris, peccandi licentiam fovet: his incommodis caret regula nostra.

268. Et nihilominus obtrectatore non caret: cumque non possint eam penitus explodere, contendunt (et in primis Tutioristae) ei locum esse in his tantum, quae pertinent ad iustitiam; et in his, aiunt, recte, sive quia is qui possidet praesumitur dominus rei, quam possidet (25); sive quia rerum dominia Legislatorum potestate continentur, quibus ad lites praecidendas licuit id iure suo constituere (26). Sed errant: etenim quoties inter duos aliquid controvertitur, causa possessoris ideo est potior, quia *actori incumbit onus probandi* (§ 26); quod, non iure aliquo positivo introductum, sed naturali iure, et summa aequitate constitutum fuit. Quid quod virtus obedientiae est pars potentialis iustitiae (27); obedientia vero quoddam quasi debitum est quod legibus redditur? Quamdiu igitur lex dubia est, quî potest debitum, quod ex lege oritur, certum esse (28)? Demum libertas, qua voluntas nostra sui iuris est, *bonum* profecto aliquod, et *ius* est, non secus ac ius quo quis alterius servituti eximitur; ergo ad iustitiam pertinet: et qui hoc ius aut adimit, aut labefactat iniuste, iustitiam laedit. Merito igitur TT. docent communissime, regulam nostram in omnibus locum habere (29).

De Iustit., I, 81; Less., II, XIX, 22, 30; Diana, P. VII, Tr. 10, Res. 16; Salm., 13, 1, 321; V. Lugo, *De Iustit.*, XVI, 95; et S. Alph., I, 34, cit. Edit. 1762, 1763).

(25) Espen, *I. E. U.*, ad C. 65, *De R. I.* in 6°. In cuius sententiam minus caute ivit Scavin. Et Collet, theologus alioquin gravis nec iuris imperitus, affirmare non dubitavit, id docere *TT. omnes* (*h. t.*, Cap. IV, Cond. 2, Obi. 4, n. 3).

(26) Concina, Cap. IV, Quaest. 3, Obi. 2; Cunilia., Cap. I, § IV, nn. 11, 12. Rationem hanc non bene impugnant plures ex Nostris: et aërem verberat V. Bolgeni dum clamat: *Il giusto nel foro esterno è differente dal giusto nel foro della coscienza? (Del Possesso*, § 95). Itaque et iustitiae, et aliis virtutibus sua iura constant; et illa ab his distant, eo quod ea quae ad res nostras pertinent, sunt obnoxia humanae potestati, quae proinde ea quandoque minuere vel adimere potest (§ 194, n. 13). Haec ultro concedimus, sed extra hunc casum versamur, quia in controversiis huiusmodi, lex nihil prorsus adimit ei qui rem petit; sed, *propter incertum ius* suum, possessorem tuetur.

(27) D. Th., 2, 2, 80, 1.

(28) Gury, I, 79, in fin.

(29) Sot., IV, 5, 3; Sanch., *Dec.*, I, 10, 10. Ut ecce, an ieiunare teneatur is qui dubitat, an 21 aet. an.

269. Obloquitur fortassis aliquis: sit haec regula, rei veritate inspecta, seu, uti aiunt, *in abstracto*, melior ceteris; quo mihi, si in re praesenti (*in casu concreto*) cuique licet sequi quas malit opiniones auctoritate TT. vere probabiles? Nempe, quia non omnium, quas MM. tuentur, opinionum probabilitas est explorata satis; deinde, quia illi non omnia prorsus attigerunt, et novi in dies casus incidunt perplexi ac difficiles: in his probabilismus deficit, tutiorismus aliis obtrudi non potest; ergo sola superest regula nostra. Atque ideo non solum quod ad rei veritatem tantum, sed et quoad praxim melior est ceteris (30).

270. Itaque, exceptis his casibus, unicuique integrum sit sequi opiniones libertati faventes: non quidem pro lubitu, sed vere graviterque probabiles. Quod aestimari debet ex rationum momentis (31): et si hoc difficile videatur, ex Doctorum, qui eas tradunt, gravitate ac numero (32). Sufficit autem vel unius Theologi aucto-

expleverit (V. Suar., *De Censur.*, 49, 5, 15). Finge, Titio cogitanti paternam hereditatem adire, et minores ordines suscipere, matrem fateri, se ex adulterio conceptum fuisse. Haeret ille: is igitur poterit amplissimam viri matris suae hereditatem agnoscere, exclusis remotioribus consanguineis; ordines vero, propter irregularitatis suspicionem, inire non poterit? (V. Gotti, *De Conscient.*, To. VII, Quae. IV, Disp. 5, § 4, n. 15).

(30) Ceterum nec regula nostra perpetua est: nam deficit, 1° quando duae leges contrariae concurrunt, v. c., utrum is qui obstrictus voto castitatis commiscuit mulieri, promisso ei matrimonio, teneatur servare votum, an coire nuptias (S. Alpho., III, 649). Ex diverso, 2° quando nulla extat illinc certa lex, hinc certum libertatis ius; utputa, cui cedant res inventae, si dominus reperiri nequiverit, inventori ne, an pauperibus. 3° Quando controvertitur, utra sit in possessione, lex, an libertas; v. g., utrum dubitanti, an sit ieiunus, liceat communicare. 4° Cum res ipsa neutrius possessionem recipit; veluti cum quaeritur an inadvertentia excuset a peccato; vel de specie, aut numero peccatorum; v. c., quot peccata committat, qui scandalum praebet, qui alicui detrahit in multis, qui uno ictu plures occidit, etc.

(31) L. 1, § *Sed neque*, C. *De Vet. iure enucl.* - *Nec sufficit multitudo auctorum sine ratione et fundamento probabili* (Suar., *De Relig.*, To. I, Lib. 2, Cap. 14). Et qui perfunctorie aliquam opinionem attingunt, praetereundi sunt (V. Pal., To. I, Tr. I, P. I, n. 10).

(32) D. Th., 2, 2, 4, 8; Sanch., *D.*, I, IX, 7; S. Alph., I, 69 (Edit. 1763). Porro quinam TT. *auctoritate* ceteris praestent (V, § 17). Quoad *numerum sufficit*, ait S. Alph., *si eam tenent quinque doctores auctoritate pollentes, etiam contra communem aliorum* (S. Alph., I. 70. Edit. cit., V, 86). Quin *aliquando, licet raro, auctoritas unius doctoris poterit constituere opinionem probabilem, et adhuc probabiliorem contra communem, si auctor ille sit valde doctus, probus, et prudens, nec novitatum amans, et utriusque partes sedulo librarit, validamque rationem adducat; modo illa non fuerit ab aliis sufficienter soluta, nec animadversa. Quod si aliquis magnus theologus testetur, aliquam opinionem esse probabilem, iam reddit nos moraliter certos de illius pro-*

ritas, si unus tantum aliquam attigerit quaestionem, quae ceteros praeteriit: et si omnes praeteriit, sufficit auctoritas cuiusvis in Th. Morali versati, dummodo si doctus, et prudens (33); vel etiam proprii magistri (34).

babilitate (S. Alph., *l. c.*, n. 85). Cui praeiverant Tapia, Azor., Pal., Spor. (*h. t.*, n. 41), Vasq. (1, 2. Disp. 62, Cap. IV, n. 3), et Viva (in Alex., VII, 27). Et alii viginti tres auctores ap. Croix (I, 155); aliique apud alios.

(33) D. Th., *Quodl.*, 3, 10; Sanch., *D.*, I, 9, 7; ibiq. Silv., Angel., Navarr., etc.; Gousset, 101, 1, 103. Et hoc est consultius, quam propriam opinionem sequi, etsi videatur probabilior (D. Th., 2, 2, 4, 8 ad 2).

(34) Sanch., cit., n. 7. *Proprii*, etsi diversi diversa sentiant (Ex D. Th., cit. art. 8; Tapia, ap. Carden., *Cris. Theol.*, Par. 3, Disp. 57, Cap. 3, Art. 1).

TRACTATUS V.

DE PECCATIS

CAPUT I.

QUID SIT PECCATUM, ET QUOT MODIS ADMITTI POSSIT.

271. Actio humana, quae a lege deerrat, interdum singulos, interdum rempublicam laedit, nunquam vero Deum non offendit: inde iniuriae, criminis, (delicti) *peccati* habet nomen. Peccatum est: *Contemptus legis aeternae* (1). *Legis*; quia *ubi non est lex non est praevaricatio* (2): *aeternae;* quia omnis lex, sive humana, sive divina, ab hac lege et initium et statum et vim capit; quia nulla potestas est nisi a Deo; nec transgressio legis *peccatum* esset, nisi Deum offenderet (3). Verum conceptum accipere debemus vel tantum implicitum et virtualem; eum nempe qui continetur in ipsa legis violatione facta scienter ac libere (4). Prout autem omnis lex in legem Dei aeternam, ita cuiusvis legis contemptus in Dei contemptum recidit. Per contemptum autem huiusmodi homo avertitur a Deo, et convertitur ad creaturas; in quo omnis malitia peccati posita est (5). Nunc videamus, 1° quomodo peccetur; 2° unde peccatorum distinctio; 3° unde gravitas petenda sit. Ceterum quoties dico, aliquid peccatum esse, *peccatum* regulariter accipio formale; cum dico, aliquid non esse peccatum, intelligo ex eo capite quo de agi-

(1) D. Th. 1, 2, 71, 6.

(2) *Rom.*, IV, 15. *Peccatum non cognovi nisi per legem* (*ib.*, VII, 7).

(3) D. Th., *De Malo*, Quaest. III, art. 8. Et ideo non dicimus, peccatum esse aliquid contra rationem (D. Th., 1, 2, 71, 6 ad 5), sed contra legem Dei aeternam, quibus verbis tangitur aversio a fine (D. Th., *Ib.*, ad 3).

(4) Less., IV, 21, 23. Secus vix aliquid peccatum erit. Atque ideo peccat nedum si facit ex alia causa, ut puta si quis in quadragesima non ieiunet ne afficiatur incommodo; sed et is qui facit invitus, ut ecce qui nuptam formosam init, invitus quia nupta est (S. Alph., II, 45, v. *Secunda*).

(5) D. Th., 1, 2, 87, 15. Et praesertim in aversione a Deo (D. Th., 2, 2, 20, 3). Scilicet aversio a Deo veluti *formalis*, conversio ad creaturas veluti *materialis* peccati *pars* est.

tur quamvis forte peccatum sit ex alio capite, v. c., propter scandalum, vel quia est aliquid otiosum.

272. Principio igitur peccatum nihil aliud est quam *actus humanus malus* (6). Porro omnis actus humanus a voluntate nostra initium capit: ideo non datur peccatum nisi voluntarium (7). Et quia voluntarium ex intellectu et libertate consistit (§ 142), peccatum non intelligitur, nisi admissum fuerit, 1° scienter, ac, 2° libere. *Ex primo* igitur necesse est, ut quis et id quod facit, et legem quae id facere vetat, *animadvertat*; idest, hic et nunc (§ 147, n. 23) sciat, aut saltem (practice) dubitet, se rem malam facere; qui hic et nunc nihil dubitat, hic et nunc nihil peccat (8). Verum si antea praeviderit effectus ignorantiae suae, vel inadvertentiae, eius quoque quod facit reus erit *in causa* (9). *Ex altero* opus est, ut agat libero arbitrio; idest, ut possit abstinere ea re quam facit; et, in iure positivo, ut possit ea abstinere absque incommodo gravi: ideo in praesens non peccat qui, constitutus inter duas contrarias leges, leviorem pessumdat; vel factus impos legis, legem non implet (§§ 177, 178). Eoque minus *ex utroque* capite, peccat *in se* qui nec scienter nec libere, sed contra vel praeter intentionem suam aliquid facit; veluti si ebrius blasphemet, quamvis forte in causa peccaverit (§ 157).

273. Itaque peccatum initium capit a voluntate nostra; scilicet tamquam a primo movente; et praeterea interdum etiam ab intellectu vel appetitu, tamquam ab eo motis, vel non cohibitis (§ 142).

(6) D. Th., 1, 2, 71, 6. *Actus*, nempe voluntatis, et non *actio* (V. § 141, n. 1). Et ideo ex illa cum primis aestimari, imputari debet: nec refert si postea retractaveris voluntatem, vel haec non prodierit in actionem externam. Et in hoc maxime differt peccatum a delicto et iniuria, quae ex actione quoque externa metiri debent; immo sine hac ne intelliguntur quidem (§§ 145, n. 14; 146).

(7) D. Th. 1, 2, 74, 2. *Voluntas* enim *est qua peccatur et recte vivitur* (S. Aug., *Retract.* IX). *Aut igitur negandum est peccatum committi, aut fatendum est voluntate committi* (Id., *De Ver. Relig.*, C. 14).

(8) Suar., *De Censur.*, 4, 8, 18. *Communissima* (Croix, V, 16). Quamvis forte ignorantia, vel inadvertentia fuerit culpabilis in causa. Utputa, si sacerdos suspensus ab officio baptizet, vel ungat aegrotos, putans haec sibi non interdici.

(9) S. Alph., V, 4. Erit autem ignorantia, vel inadvertentia haec, voluntaria, si oriatur vel ex negligentia addiscendi (D. Th., 1, 2, 76, 4), vel ex passione (D. Th., 77, 7), vel ex habitu (D. Th., 6, 8). Ea sola inadvertentia, qua qui de lege Dei *actu non cogitat,* non excusat a peccato *in se*, quia *cum non cogitat, eam contemnit per modum omissionis cuiusdam* (D. Th., 74, 7, ad 2): merito igitur explosum fuit peccatum philosophicum (Alex. VIII, 2; V. S. Alph., Lib. V, *h. t.*, n. 4).

Et voluntate quidem peccatur *semper*, ceteris paribus: peccatur autem, seu *velit* quis quod lex vetat; seu *nolit* quod lex iubet; seu *non nolit* (§ 133, n. 6) quod lex iubet aut vetat, quoties in suspenso est, deliberaturus, utrum illud omittere, hoc facere (v. c. obedire, peierare), expediat, intersit sua. Intellectu et appetitu *non semper* peccatur, sed cum pervenerint ad consensum voluntatis (10); sed de his seorsim.

274. Intellectu peccatur: 1° cum quis sciens prudens recedit a doctrina Ecclesiae, quae *est columna et firmamentum veritatis*; sive non teneat ea quae docet, sive teneat ea quae *per se* damnat: 2° cum de fratre suo temere aliquid iudicat, aut suspicatur, aut dubitat; et haec exploratissima sunt: 3° cum ea quae facienda sunt, vel erant, contemnit, vituperat, exprobrat, nam perinde est ac exprobrare, vituperare, contemnere legem quae haec iubet (11); aut ex diverso, ea quae facienda non sunt, vel facienda non erant, iactat, probat, laudat (12), sive ipsemet fecerit, sive alius (13): quae praeterea vix scandalo vacant, aut nullo modo (14). Nisi forte laudet, non rem malam, sed modum, forte novum, callidum, strenuum, quo confecta ea res fuit (15).

275. Appetitu, seu concupiscientia, peccatur, 1° desiderio; 2° delectatione; 3° oscitantia. *Desiderium* rei malae peccatum esse, palam est (16): quaestionis est, an sit peccatum desiderium rei malae

(10) D. Th., 1, 2, 74. Scilicet, quoad *intellectum*, cum nil volitum quin praecognitum, prima cogitatio in quavis re est necessaria, ideoque naturalis, non moralis; quoad *appetitum*, quia peccatum non potest esse in sensualitate, sed in ratione (D. Th., art. 4).

(11) Less., II, 47, 42; Sanch., *D.*, I, 3, 4. Utputa deridere ephoebos aut puellas, quod sacro intersint, ad sacram synaxim, vel ad poenitentiae sacramentum accedant, etc.

(12) V. D. Th., 1, 2, 74, 5. Veluti si quis confessarium laudet, quod reticentem nomen complicis inabsolutum dimiserit; vel eos laudet qui contemnunt Ecclesiae praecepta, qui *revelationem* irrident, etc.

(13) V. Lugo, *De Poenit.*, XVI, 273. Et si ipse fecit, quoties ea sibi placent, idest quoties probat ea quae male fecit, toties iterum peccat (D. Th., 3, 84, 8). Ex hoc capite saepius peccant qui iuvenes vellicant, carpunt, obiurgant quasi ignavos, vel ineptos rebus turpibus perpetrandis.

(14) V. Sanch., *D.*, 3, 6, 7; Navarr, 23, 7. Idest raro aliis incitamentum, vel oblectationem non praestant. Et si is qui illa exprobrat, vel haec laudat de illis tristetur, vel de his oblectetur, novum, ex hoc capite, peccatum admittit.

(15) Lugo, *ib.*, 266. V. c., quo fur rem surripuit, quippe haec sunt bonum aliquod naturale (Salm., 20, 13, 64). Scilicet dummodo absit periculum delectationis rei malae, et scandalum absit.

(16) *Matth.*, V. 28. Et malum est prout actio ipsa (*Oseae* IX, 10), quia unum est obiectum utriusque (desiderii et actionis. Proinde qui nuptam avet, perinde ac is qui eam init, et fornicationis et adulterii reus est.

sub conditione, qua extante peccatum cessaret. Et si conditio auferret malitiam obiecti, quod fieri potest in his quae non sunt per se intrinsece mala (quae nempe vetantur iure naturali hypothetico, aut iure positivo), salva caritate, peccatum (letale inquam) cessat (17). In his quae sunt mala iure naturali absoluto, intererit utrum quis haec desideret desiderio efficaci, an inefficaci: si primum, palam est non excusari, et nemo dubitat; si alterum, non satis convenit: in multorum sententia, quam S. Alph. probabilem putat, remoto periculo desiderii efficacis, caret letali; non enim desiderat (aiunt), sed magis prodit, ostendit, quid vellet in alia conditione rerum (18).

276. *Delectatio* est complacentia alicuius rei sine illius desiderio (§ 136, n. 25). Potest esse vel in appetitu, vel in ratione (19). Porro *talis est delectatio quale est eius* OBIECTUM (20), quare delectatio rei malae mala est (21); seu haec sit mala natura, seu lege tantum (22).

(17) Salm., 20, 12, 50. V. c., *ederem carnes, nisi esset sabbatum; ducerem Seiam, nisi iam Caiam duxissem; furarer rem illam, si essem in extrema necessitate:* secus si dicat, v. c., *moecharer, ulciscerer, non ieiunarem, nisi essem sacerdos?* Et nihilominus haec quoque excusantur, si dicta fuerint *enunciative:* v. c., accepta iniuria, *iuniori illata non fuisset impune,* significans, non quid velles nunc si iunior esses, sed quod forte iunior fecisses (Sanch., *D.*, I, 2, 29).

(18) S. Alph., V, 13, v. *Quaeritur.* – V. c., fornicarer, mentirer, ulciscerer, si non esset peccatum. Porro desiderium inefficax hic accipere debemus, non solum quod caret voluntate faciendi, sed quod omni affectione animi, et commotione appetitus caret. Amplius, si res, *sic uti accidit,* non sit mala, ne materialiter quidem, nec alteri noxia, eam desiderare non est per se illicitum; quamvis *alias* esset intrinsece mala; v. c., pollutionem, quae in sommo naturaliter evenit (Sanch., *D.*, I, 2, 19).

(19) D. Th., 1, 2, 72, 2. Quae inest ratione, melius dicitur *gaudium* (D. Th., 1, 2, 31, 3): quamquam Nostri gaudium a delectatione distinguant ex tempore; docentes gaudium esse rei *praesentis,* delectationem *futurae aut praeteritae.*

(20) Sanch., *D.*, I, 2, 8. Scilicet delectatione dilectio inest; *nullus enim delectatur, nisi in eo quod est conforme appetitui eius* (D. Th., I, 2, 74, 8). Et *talis quisque est, qualis est eius dilectio* (S. Aug.).

(21) D. Th., 1, 2, 74, 8 ad 4. *Facti sunt abominabiles sicut ea quae dilexerunt* (*Oseae,* IX, 10). Delectatio, scilicet voluntaria, seu *morosa* (morosa dicitur ob necessarium consensum voluntatis, et non ob necessariam alicuius temporis moram, D. Th., a. 6 ad 3); quia non delectatio, sed consensus in delectationem peccatum est (D. Th., a. 8).

(22) Azor., To. I, Lib. IV, Cap. VI. Utputa si quis delectetur quod inimicum occiderit, vel carnes die esuriali comederit: quamvis delectatio in sola ratione sistat (S. Alph., n. 14); nam plus quam comprobare eam est (V. § 274, n. 12). Ceterum de his delectari quae, sola lege (positiva) sunt mala, seclusa, animo et cogitatione, prohibitione legis, non est illicitum: ut puta si quis videns aegrotum die sabbati vescentem car-

Quid si res mala patrata fuerit citra omnem culpam, utrum liceat postea ea delectari? Et si haec affecit aliquem damno, sive iniusto sive iusto, profecto non licet; alterum enim iustitia, alterum caritas vetat (23): secus, quidam putant non esse illicitum, quia nec homines offendit, nec Deum, ut patet (24); alii contra, quia non caruit peccato materiali (25). Ego hoc verius puto, maxime in his quae sunt mala naturali iure (26). Nec licet de ea delectari sub conditione aliqua, quando conditio non adimit pravitatem delectationis (27); nec propter effectus bonos, vel utiles inde sequutos (28). At gaudere de effectibus huiusmodi tantum, aut voluptatem capere de modo, puta, novo, callido, strenuo, quo res illa confecta est, cum obiectum delectationis malum non sit, non est illicitum (29). Nec unquam peccatur sola recordatione peccati olim perpetrati, eo

nibus, de cogitato earum esu, nolens tamen eis vesci, voluptatem capiat (Salm., 10, 13, 38; V. Less., IV, 3, 114; Lugo, *De Poenit.*, XVI, 338).

(23) V. Lugo, *De Iust.*, XXXIX, 20.

(24) Vasq., Less.; Lugo, *De Poenit.*, XVI, 389. Ut puta si quis delectetur quod die esuriali, ignarus, ederit carnes.

(25) Azor., Soto, Valent.; Salmant., 20, 13, 50; S. Alph., *h. t.*, 20. Est tertia sententia, nempe eorum qui, si res est aut fuit mala iure positivo, *illis*; sin iure naturali, *his* adhaerent (ap. Salm., n. 48). Hanc sententiam praeterii, quasi deviam: etenim bonitas et malitia vel ex intentione agentis petenda est, vel ex obiecto, nihil est tertium; ideo aut prima sententia vera est, aut secunda.

(26) Ex Innoc. XI, 5. *Licitum est filio gaudere de homicidio parentis, a se in* EBRIETATE *perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hereditate consecutas.* In summa, de actione mala quam quis innoxius admisit, neque gaudere fas est, quia mala fuit; neque opus est poenitere, quia Deum non offendit (Lugo, *De Poenit.*, III, 16, etc.).

(27) Croix, V, 82; Salm., 20, 13, 60.

(28) Ex Innoc. XI; 5 (V. n. 26).

(29) V. *Ioan.*, XI, 15; Salm., n. 38. – V. c., quod, latrone interempto, liceat tuto per itinera commeari. Vel de modo, quo furtum patratum, aut bellum confectum est; vel (quod est delectari *de cogitatione* rei malae), quo patrari, confici posset. Quid si quis verset animo rem malam ex duplici capite, illi inhaerens ex uno tantum? V. c., Seius gaudet quod cum Aspasia coniugata rem habuerit; Osius eam concupiscit; Sempronius de re, quam cum ea nec habuit nec avet, delectatur; verum omnes qua Aspasia mulier formosa est, non qua nupta: quaeritur, num omnes adulterii quoque coram Deo teneantur? Utique Seius et Osius, quia uti patrati (§ 155, n. 5), ita et patrandi sceleris obiectum divisionem non recipit, ne cogitatione quidem; ideoque nec illius gaudium (quod ratihabitio quaedam est), nec istius desiderium: Sempronius non item, quia merae delectationis obiectum cogitatione separari potest (Lugo, *De Poenit.*, XVI. 363; S. Alph., III, 475; V. *h. t.*, n. 15). Sane si Orosius audiens, Vatinium clericum verberatum fuisse, gaudet quia turbulentus homo est ille Vatinius, aegre tamen ferens, quia clericus est; sacrilegii Orosium damnare perdurum videtur.

quod illud neque placeat recordanti, neque displiceat (30); et planum est (§ 139, n. 21).

277. Denique peccatur, sit venia verbo, *oscitantia*, idest non resistendo motibus concupiscentiae. Scilicet concupiscentia, licet ipsa peccatum non sit, ad peccatum tamen inclinat (31): quamobrem necesse est, ei *positive* resistere (32). Et hoc, si adsit periculum consensus, est grave (33). Nihilominus sufficit ei resistere *negative* tantum, 1° si experimento didiceris, eam compescendo irritari potius (34); 2° si motus concupiscentiae *durent diu, et nimis molestum foret eis positive resistere* (35); 3° si ortum habeant ex causa necessaria vel utili, *et non facile negocium sit eos repellere* (36). Ex quo patet, eo magis cavenda esse quaecumque excitare queunt motus huiusmodi; nihilominus excusatur qui iustam eos subeundi causam habet; quae, si periculum consensus sit proximum, gravis esse debet; sin remotum, excusat etsi levis fuerit (37).

CAPUT II.

UNDE PECCATORUM DISTINCTIO PETENDA SIT.

ART. I. *De specifica diversitate peccatorum.*

278. Theol. Moralis ad Poenitentiae sacramentum spectat; ad sacram. Poenitentiae species et numerus peccatorum cum primis pertinent; proinde sedulo inquirere oportet, quae peccatorum vel speciem mutant, vel augent numerum. Species (forma) peccati dicitur propria cuiusque pravae actionis turpitudo, seu malitia: haec

(30) Laym., *De Poenit.*, II, 8; Sporer, *De Poenit.*, n. 192; Cf. Suar., *De poenit.*, Disp. 15, Sect. 4. Contra Palud., Silvester., aliosque veteres TT. Sive iam, sive nondum, eius poenitueris, quia nulla lege iubemur peccatorum pluries, vel hic et nunc poenitere.

(31) Trid.. Sess. V, *De Pecc. Orig.; Iacob.*, I, 15.

(32) V. Salm., 20, 3, 12; S. Alphons., V, *h. t.*, nn. 6, 7. Scilicet, motibus huiusmodi voluntas aut obsequitur, aut obsistit, aut negative se habet: in primo peccatum, in secundo meritum inest. In tertio quidam putant semper inesse peccatum letale, quidam nunquam; utrumque extremum.

(33) S. Alph., V, 6, 7.

(34) Salm., 20, 13, 16. Satius igitur erit, invocatis SS. IESU et MARIAE nominibus, mentem ad alia divertere, et praesertim ad Passionem D. N. I. C., vel ad Novissima.

(35) S. Alph., *l. c.*, n. 9.

(36) Salm., n. 20, V. c., *ex auditione confessionum; ex lectione rerum turpium scitu utilium; ex tactu necessario ad medendum*, etc. (S. Alph., V, 9).

(37) Sanch., *D.*, 1, 2, 13; Salm., n. 16.

ex vitio est; atque ex eo nomen capit. Vitium virtuti contrarium est; quocirca primum de virtutibus et vitiis pauca. Virtus est *habitus mentis, quo recte vivitur, quo nullus male utitur* (1). Virtus tendit in bonum: bonum distinguitur ex obiectis specie diversis; quot igitur bonorum, tot sunt virtutum species (2). Sunt autem vel supremae, vel infimae, seu atomae. Supremae, quasi *genera,* dicuntur quas nulla alia superior virtus in se continet, ut iustitia, temperantia, fortitudo, etc. Atomae, seu infimae, quae supremis his continentur; scolastici *partes* vocant: et hae rursus vel perfectae, quae sunt vere species diversae (partes subiectivae), velut temperantiae castitas et abstinentia; vel imperfectae (partes potentiales), ut fortitudinis patientia et perseverantia (3).

279. Vitium est habitus pravus ad malum inclinans. Malum est turpe; ubi autem subest specialis turpitudo, ibi speciale inest vitium. Turpitudo inest obiectis; ideo species quoque vitiorum ex obiectis petendae sunt (4). Et hae quoque diducuntur in supremas, et infimas; seu in genera, et species (5). *Genus* vitii, seu *species* suprema, est quae in nulla alia vitiorum specie continetur, ut LUXURIA; species infimae, seu species simpliciter, sunt quae specie suprema continentur, ut in luxuria *fornicatio, mollities, sodomia, bestialitas.* Vitium virtuti opponitur (6), et uni eidemque virtuti multa plerumque vitia opponuntur; nempe modo vel inter se contrario (ultro citroque), idest *per excessum*, et per *defectum,* velut SPEI *praesumptio*, et *desperatio;* vel diverso, ut puta IUSTITIAE *homicidium, adulterium, detractio, furtum.*

280. Itaque virtutes et vitia ex obiectis, atque ideo ex ipsa rerum natura speciem capiunt. Nihilominus leges quoque positivae, cum aliquid iubent aut vetant, actum eius virtutis faciunt, cuius intuitu illum iubent aut vetant; ac proinde transgressionem adscri-

(1) D. Th., 1, 2, 55, 4. Virtutum duplex genus: sunt enim vel theologicae vel morales. Morales consistunt in medio (D. Th., 1, 2, 64, 1), idest, est modus eis constitutus. Porro medium est inter contraria; ideo corrumpitur virtus tum per excessum, tum per defectum. Medium, seu modus virtutis est, ut quod faciendum est fiat *ubi oportet, et quando oportet, et propter quod oportet* (D. Th., *l. c.*, ad 2, et 2, 2, 92, 1).

(2) D. Th., 1, 2, 72, 1 ad 2.

(3) D. Th., 2, 2, 48, art. unic.; 128, art. unic.; *De Virt.*, 1, 12, 27. Partes subiectivae sunt quas logici *species* vocant, ut animalis, homo et bos.

(4) D. Th., 2, 2, 48, 1.

(5) V. D. Th., 2, D. 42, Quae. 2, Art. 2, Qu. 1 ad 1.

(6) Non omnibus quidem, sed his quae sunt in praecepto: ideo virginitati, v. c., nullum ex adverso vitium stat (Lugo, *De Poenit.*, XVI, 221).

bunt vitio huic virtuti contrario (7). Et si lex nullam specialem virtutem praesefert, quod fit secundum eam legem, ad virtutem *obedientiae;* quod contra, ad *inobedientiae* vitium pertinet (8). Porro in confessione sacramentali exprimenda est peccati species, non suprema quidem, sed infima, seu atoma; nisi forte infima desit (9); quamobrem nunc videamus unde petenda ea sit. Qua in re inter peccata commissionis, ut vocant, et omissionis distinguendum est.

281. Quoad peccata commissionis, quaestio est inter Angelicum Doct. et Scotum, unde sumenda sit species peccatorum, utrum ex obiecto (conversione ad creaturas), uti vult Angelicus, quia peccatum est actus humanus, actus autem humanus ex obiecto speciem capit, et *ex diversa ratione eiusdem obiecti* (10); an, uti Scotus, quasi e suo contrario, ex virtute quae laeditur (aversione a Deo), quia formale peccati consistit in privatione virtutis (11). Et licet utraque sententia in idem recidat, quia et virtutes et vitia distinguuntur ex obiectis (12), nihilominus sententia Scoti planior est, et in scholis obtinet. Itaque distinctio specifica peccatorum sumitur, 1° ex diversis virtutibus, quibus

(7) Suar., *De Relig.*, To. I, Tr. III, Lib. IV, Cap. VII, 4. Hoc autem fit, 1° cum iubent, aut vetant aliquid indifferens; hinc, v. c., sacro adesse die festo, *religionis;* abesse, *irreligiositatis* species est: qui frangit ieiunium ecclesiasticum, *intemperantiae;* qui naturale (in Sumenda Eucharistia), *sacrilegii;* qui ducit affinem vel sororem adoptivam, *incestus* reus est. Deinde, 2° quoties id, quod iam alia lege seu naturali seu divina comprehensum est, praecipitur aut vetatur intuitu alterius virtutis: proinde qui rem sacram furatur, aut clericum percutit, is ex iure naturali *iustitiam*, ex iure canonico *religionem* praeterea laedit. Dixi *alterius* virtutis, nam si omnes leges ad eamdem virtutem pertinent, ut ecce (naturalis, divina, canonica, civilis) quae peierari vetant, omnes pro una lege reputantur (Sanch., *M.*, IX, 15, 6).

(8) Ex D. Th., 2, 2, 104, 2 ad 1. Ut puta vetitos libros legere, aut non legere. Nempe, *obedientiae* vocabulo late sumpto; quia, propria significatione, obiectum obedientiae sunt praecepta, non leges.

(9) Ex trident., XIX, *De Poenit.*, Cap. 5. - *Nisi*, etc.; ut puta, si quis misceat turpia colloquia, vel mulierem turpiter tangat, violatae *castitatis* reus est.

(10) D. Th., 1, 2, 18, 2; 72, 1. Ideo enim, v. c., *homicidium, detractio, furtum* differunt specie, quia diversa sunt *vita, aestimatio, res.* Amplius; actus humanus, in quo peccatum consistit, est animi motus; motus autem, non ex termino *a quo*, sed ex termino *ad quem* speciem capit.

(11) Scot., in 4, Dist. 35, q. 2. Ideo enim qui, v. c., glorem avet, tenetur *fornicatione, incestu, adulterio*, quia violat *castitatem, pietatem, iustitiam.*

(12) D. Th., 2, 2, 23, 5. Nam cur diversae sunt virtutes, aut vitia, nisi quod habent obiectum diversum? Ideo enim ter peccat qui *glorem* avet, quia in ea tres velut personae continentur, *mulier, affinis, uxor.*

peccata opponuntur; hinc, v. c., *haeresis, fornicatio, furtum* sunt peccata specie diversa, quia opponuntur virtutibus specie diversis, idest, *fidei, castitati, iustitiae;* 2° ex modo quo uni eidemque virtuti opponuntur, seu contrario, ut SPEI *praesumptio* et *desperatio*, seu diverso, ceu IUSTITIAE *homicidium, adulterium, detractio, furtum* (13). Porro interdum unius peccati multiplex species est, velut furtum rei sacrae, adulterium, incestus: quod cum fit, minus proprie dicere solemus, circumstantias *mutare speciem;* non enim mutant, sed multiplicant.

282. In peccatis omissionis deest obiectum; ideo haec peccata speciem capiunt ex virtute quae laeditur. Porro qua virtute aliquid fieri iubetur, v. c., ieiunare, sacro interesse die festo, eadem tacite vetatur omitti: inde patet qua ex virtute sumenda sit peccacatorum omissionis species (14). Demum qui peccat ex ignorantia, nempe cum dubitans agit; et qui peccat in causa, eius speciei peccatum admittit, cuius periculum subit: uterque enim id vult implicite, et quasi per consequens (15).

283. Ex his autem patet, quot peccata specie diversa committat is qui id facit, vel omittit, quod pluribus legibus vetatur, vel praecipitur; nam si unaquaeque lex id vetat, aut iubet eiusdem virtutis intuitu, unum dumtaxat peccatum erit; secus quot sunt virtutes, quarum intuitu id praecipitur, aut vetatur, tot erunt peccata. Hinc, v. c., qui rem non sacram furatur unius *furti* reus est; licet furari vetent lex naturalis, divina, canonica, civilis; quippe omnes id vetant propter iustitiam; at qui furatur rem sacram, reus est et furti et sacrilegii, quia furtum huiusmodi prohibetur iure naturali et civili intuitu iustitiae; divino et canonico religionis intuitu (16). Ceterum quando aliquid iubetur, vetatur, non propter se, sed propter aliud, unum iuberi, vetari intelligitur; atque ideo is qui neutrum facit, vel omittit utrumque, unius peccati reus est (17).

(13) V. Salm., 20, 12, 1, etc. Et ita interdum loquitur vel ipse D. Th., 2, 2, 43, 3; 79, 3, o. 4; 99, 2.

(14) S. Alph., V, 32, in fi.; V. D. Th., 2, 2, 79, 3.

(15) Sanch., *M.*, II, 41, 7,

(16) Lugo, *De Poenit.*, XVI, 139; Laym., II, 1; S. Alph., VI, 808, v. *Nec obstat.*

(17) Salm., 21, 2, 38; Croix, VI, II, 943. Ut puta, is qui est in letali, iubetur confiteri, si velit ad S. Synaxim accedere: et is qui tenetur ieiunare, vetatur pila ludere ea defatigatione, qua impos fiat ieiunando: itaque si ille non confitetur, hic pila ludit, unum dumtaxat peccatum admittunt.

ART. II. *De numerica distinctione peccatorum.*

284. Distinctio numerica peccatorum eo spectat, ut intelligatur quando quis, unico voluntatis actu, plura peccata; vel, contra, quando, pluribus actibus voluntatis, unum peccatum admittat. Ideoque haec non ad eum pertinent, qui, pluribus voluntatis actibus, plura successive petit externa obiecta; nec ad eum qui, post retractatam voluntatem, eam iterum repetit; nam est manifestum, *illum* toties novum peccatum admittere, quoties novum aliquid vult (1); *hunc* autem iterum peccare cum, a revocata voluntate (nisi brevissima mora temporis intercesserit), quod noluerat, iterum vult (2): sed ad casus ceteros pertinent. Quaestio implexa, difficilis.

285. Principio igitur omne peccatum consistit, 1° ex aversione a Deo, in qua *virtus* quae laeditur; 2° ex conversione ad creaturas, in qua ipsum materiale peccati *obiectum* inspiciendum est; ac demum, 3° ex voluntatis *actu*, quo quis a Deo avertitur, et convertitur ad creaturas: ex unoquoque horum igitur, si multiplex fuerit, distinctio numerica peccatorum est repetenda. Primum expeditum est; quoties unum est obiectum materiale, unus voluntatis actus, sed virtutes quae laeduntur plures, quot sunt virtutes laesae, tot erunt peccata (3). Nodus est, cum unus est actus voluntatis,

(1) Cf. Salm., 20, 12, 45; S. Alphons., V, 43. Proinde bis peccat, v. c., qui domum ingressus pecuniam furaturus, furatur et annulum; qui petit inimicum eum percussurus, aut mulierem eam contrectaturus, si postea, succrescente ira, aut libidine, illum occidit, huic commiscet; et sacerdos qui mane constituit omittere matutinum, meridie horas, serius vesperas, tria peccata committit,

(2) Lugo, *De Poenit.*, XVI, 551. Veluti si is cui certum fuerat Seiam inire, rei foeditate vel periculo deterritus, mane ab illa voluntate discedat, et vesperi ad eam iterum redeat.

(3) V. Laym., II, 1. – *Species numerant:* ideo ter peccat qui glorem init (§ 281, n. 11). At vero unius eiusdemque virtutis obligatio interdum oritur ex diversis causis. V. c., *religio* cogit et eum qui beneficium possidet, et eum qui in sacris est constitutus, horas canonicas recitare; sed illum propter beneficium, hunc propter ordinem: item, is qui in sacris constitutus est, et is qui Instituto regulari nomen dedit, castitati sunt obstricti; verum ille ex lege Ecclesiae, hic ex voto. Porro cum peccata specie ex virtutibus distinguantur, virtus quae laeditur inspicienda est; qua vero ex causa virtus obliget, ad rem non pertinet; ideo si in sacris constituti, Titius parochus omiserit horas canonicas, Seius religiosus turpiter egerit, unum dumtaxat tum ille (S. Alphons., IV, 145), tum iste (S. Alph., III, 465; VI, 808), sacrilegium admittunt.

obiectum multiplex; vel contra, plures voluntatis actus, obiectum unum.

286. Cum plura sunt obiecta, numero disticta formaliter, unus autem voluntatis actus, quidam putant *unum* peccatum esse, quia uti plura accidentia physica, ita et moralia, solo numero distincta, in eodem subiecto esse non possunt (4). Alii *quot* sunt obiecta, quia peccatum est motus voluntatis in suum terminum seu obiectum; ergo, sicut diversitate specifica obiectorum distinguitur specie, ita distinctione numerica illorum distinguitur numero (5). Demum alii, cum actus internus essentialiter ordinem gerat ad actum externum, si obiecta huiusmodi uno actu externo attingi possunt, illis; sin pluribus attingi debent, his adhaerent (6). Sententiae omnes graves; verum secunda S. Alphonso merito gravior (7).

(4) Suar., *De Poenit.*, Disp. 22, Sect. 5, nn. 4, 34; Lugo, *De Poenit.*, XVI, 126, etc. Scilicet *deformitas comparatur ad actum deformem, sicut accidens ad subiectum* (D. Th., *De Malo*, Q. II, Art. 2, arg. 12). Itaque docent, unum peccatum admittere eum, qui una contrectatione pluribus furatur, uno sermone pluribus detrahit, uno ictu plures occidit, uno malo exemplo plures scandalizat (Lugo, nn. 135, 164); qui statuit non recitare horas canonicas, dum peregre abest, non ieiunare in quadragesima (V. S. Alphon., V, 45).

(5) Salm., 10, 1, 185; 20, 12, 30; Vasq., Azor., Collet, etc,; V. S. Alph., *l. c.*

(6) Laym., Cap, III, 2. Is igitur tenet, eum qui uno ictu tres occidit, unum peccatum admittere; tria vero eum qui *proponit hodio furari decem, cras viginti, perendie triginta.*

(7) S. Alph., V, 45. Alias qui, v. c., furatur sex libellas duodecim viris communes, peccare graviter; quod durum videtur. Quod autem *plura accidentia,* solo numero distincta, nequeant esse in eodem subiecto, hoc verum est in physicis, non in morabilus (S. Alph., *l. c.*, v. *Nec obstat*); quia, cum peccatum sit motus voluntatis, *non individuatur unice a subiecto, sed ab obiecto seu termino* (Sal., 20, 12, 68); atque ideo licet actus physice sit unus, potest esse moraliter multiplex. Et re quidem vera coniugatus qui coniugatae commiscet, bis (fatentibus ipsis Suar. et Lugone) contra *iustitiam* peccat; et quia suae uxoris, et quia viri alienae ius laedit. Reponit Lugo (n. 140), hunc aliter suae uxoris, aliter viri alienae ius laedere; illinc enim fidem violat ipse, hinc cooperatur ut altera eam violet; atque ideo *diversa,* ait, *virtus esse videtur,* quae laeditur! Sed perperam; nam eadem iustitia et alienum ius laedere, et laedendi alii auctorem esse vetat, *eadem* igitur utrobique iustitiae *virtus* laeditur; et poenitus *eodem modo*, nempe *utriusque* coniugis iura in eadem re intervertendo: eo plane modo, quo is auferendo rem uxoris suae, et viri alienae (etiam ex titulo diverso) communem, utriusque ius pariter interverteret. Et qui, sodes, is qui occidit duos homines uno ictu, duplicem irregularitatem contrahit? (Suar., *De Censur.*, 44, 3, 28).

Dixi *cum plura sunt obiecta numero distincta* FORMALITER; nam, si, licet materialiter distincta, constituant aliquid unum moraliter, vera est Suaresii sententia. Hinc, v. c., unum peccatum admittit, qui una simul plures articulos fidei negat;

287. Ad ultimum cum plures sunt (idest pluries repetiti) voluntatis actus, quandoque ex singulis singula peccata consistunt, quandoque ex omnibus unum. Primum fit, cum singuli plenam atque perfectam in se malitiam habent (8), ut pollutiones, fornicationes (9) et omnia peccata cordis (10). De aliis, utrum cessatione seu interruptione voluntaria multiplicentur, quaestio est varia, difficilis. Convenit hos quoque multiplicari per retractationem voluntatis (11), et iure prorsus (§ 133, n. 7). Tota quaestio igitur ad eos actus pertinet, qui opere aliquo externo perficiuntur, prout furta, detractiones, verbera, etc.; et ad eum pertinet, qui a priori voluntate nunquam discessit, sed eam identidem repetit. Et recepta sententia est, quamdiu omnes repetiti huiusmodi voluntatis actus quasi unus atque idem actus moraliter esse intelliguntur, unum ex omnibus peccatum coalescere (12). Tales autem esse intelliguntur, quamdiu animo et cogitatione continentur, si inter se distent non longo spatio temporis, idest, probabilius, bidui vel tridui (13); cum vero

vel plures ab ecclesia vi extrahit; vel plura uni furatur, ut puta vestes, mobilia, nummos; quia unam fidei, ecclesiae, domino facit iniuriam; qui alicui coram pluris (S. Alphon., V, 48, 49, 50), vel, probabilius, in pluribus detrahit, quippe *unam existimationem* onerat (Caiet., Sa, Reginald.; Lugo, *De Poenit.*, XVI, 265; Salm. 6, 8, 75); qui diversa mala optat inimico, v. c., paupertatem, infamiam, mortem, sub *uno genere* mali (Croix, V, 159); qui SS. Eucharistiam pluribus distribuit una simul, quippe est *unum convivium* (S. Alph., 50, Quae. 6); et, probabiliter, qui unico actu blaspemat 12 Apostolos, quia *omnes blasphemiae in SS. malitiam desumunt ex una relatione ad Deum* (S. Alph., 47).

(8) Salm., 20, 12, 55. Belle hi trifariam distinguunt actus voluntatis; nam vel habent terminum definitum in quo complentur (Salm., 10, 1, 181), ut periuria, mendacia; vel nullum habent suapte natura definitum terminum, ut detractiones, convicia, percussiones, oscula, etc.; vel ad aliud, puta fornicationem, furtum, homicidium, ordinantur.

(9) Salm., cit. n. 55. Ideo qui ter, quater eadem nocte non suae commiscet, ter, quater peccat (Lugo, *De Poenit.*, XVI, 557): itaque peccata huiusmodi *quoties interrumpuntur, toties multiplicantur.*

(10) S. Alph., V, 37. Sive ex appetitu prodeant, ut turpes cogitationes, vel delectationes (V. Lugo, n. 565); sive ex intellectu, ut haereses; sive ab ipsa voluntate eliciantur, ut odium. Verum si forte omnes ex eodem concupiscentiae impetu eruperint, *unum letale constituunt, etsi aliquod breve intervallum inter eos intercedat* (S. Alph., *l. c*).

(11) S. Alph., V. 37; *H. A.*, 59.

(12) V. Suar., *De Poenit.*, 22, 5, 5, etc.; Lugo, *De Poenit.*, XVI; a n. 540; Salm., 20, 12, 56.

(13) S. Alph., V, 39. Alii putant non interrumpi, magna licet mora interiecta; alii, contra, qualibet distractione, etiam involuntaria, interrumpi putant; utrumque extremum. Sed nec, quodnam sit *longum* temporis intervallum, satis convenit: nam Viva annum, Salmant. mensem, Roncaglia biduum, Concina diem esse retur (V. S. Alph., cit. 39).

Sane si quis post biduum triduum-

in actum externum prodierint, si modico (14) intervallo temporis fuerint interrupti. Verum *hi* omnes, si ad unum definitum terminum ordinantur, puta ad furtum vel homicidium perpetrandum, quamdiu voluntas in suo proposito haeret, instat, et velut obiecto suo imminet, *per qualecumque tempus duret, unum peccatum constituunt* (15).

288. Porro lex et peccare vetat, et, si peccaveris, emendare iubet: an igitur is, qui non emendat, novum peccatum admittat? Et, quia voluntate peccatur, intererit, utrum is nolit emendare, an nolit modo, an neque velit neque nolit. Si positive *non vult*, toties iterum peccat, quoties iterum non vult (16), quippe singuli huiusmodi voluntatis actus per se constant, perfectique sunt; secus, *si non vult modo,* nisi forte per accidens, idest, si ex dilatione novum damnum immineat, quod seu iustitia, seu caritas cavere iubet (17):

ve repetat internos voluntatis actus, S. Alph., *H. A.*, III, 60) putat eos interrumpi, atque ideo multiplicari *per quamlibet morulam somni, coenae, distractionum,* etc. (quod mihi durius videtur); nempe quia prius voluntas non videtur ultra id tempus virtualiter perseverare.

(14) Ex L. 6, § 1, *De duob. reis.* Proinde unum peccatum admittit, qui ex eodem impetu *pluries blasphemat, turpiter tangit, percutit* (S. Alphons., *H. A.*, III, 62), *convitiatur, detrahit* (S. Alph., V, 41). Porro eadem actio continuare moraliter intelligitur, etsi finem eius feceris, si ad illam nihilominus, brevissima mora interiecta, redieris. Veluti si quis die ieiunii carnibus prandiderit, et sub finem prandii destinaverit nihil amplius cibi sumere; si quis, aliquo verberibus affecto, discedere coeperit; et mox *ille* novis appositis escis, ad cibum (Lugo, n. 551; Salm., 13, 1, 265); *hic,* novis lacessitus iniuriis, ad ictus (Salm., 20, 12, 37) redierint.

(15) S. Alph., V, 40. Veluti si Titius, Osium occisurus, emat gladium. iter carpat, insidias paret; quamvis hodie constituat illum occidere, in perendinum emat gladium, post mensem iter arripiat, post bimestre insidias paret, post annum occidat.

Quid, si peccatum intentum exequutioni mandatum non fuerit, utrum haec omnia explicanda sint in confessione, quasi peccata distincta numero, ceu retur Viva? (ap. S. Alph. n. 42). Et qui, sodes, ea quae hactenus *unum* fuerant, plura esse incipiunt? (V. Lugo, n. 566). Ergo ne, si Titius Osium confodit, unum; si confossurus destitit, vel feriit incassum, plura peccata committi?

(16) Sporer, *l. c.*, nn. 181, 1430. V. c., quoties secum ait, nolle se reconciliari inimico, haeresim abiurare, concubinam dimittere. *Exceptis,* verius, peccatis habentibus *tractum,* uti aiunt, *successivum;* quae, videlicet, in aliquo effectu permanent; ut furtum, damnum iniuria datum, etc. Proinde in furto, voluntas non restituendi (quae in ipso actu furandi inest tacite) novum peccatum non facit, quippe quae in ipsa retentione rei alienae continue permanere intelligitur (S. Alph., III, 683; Lugo, *De Poenit.*, XVI, 549).

(17) Spor., n. 181. E. g., si calumniator nolit modo neque confiteri, neque conteri. *Nisi* etc.; utputa, si aut ipse, non elicito contritionis actu, in aliud letale sit prolapsurus; omittendo confessionem, aliis scandalo sit; aut is, cui calumniatus est, ab officio, propter calumniam, sit removendus.

atque ideo nec is iterum peccat, qui *neque vult, neque non vult*, quia intelligitur nolle modo (18). Ceterum, in praxi sola conscientia peccantium numerat peccata; qui subtilia haec et exquisita passim ignorat.

CAPUT III.

DE GRAVITATE PECCATORUM.

289. Omne peccatum aut mortale est, aut veniale. Ut si mortale, necesse est, ex *obiecto,* ut sit aliquid grave; ex *subiecto,* ut cum plena animi deliberatione fuerit admissum (1). Et primo, ut sit aliquid grave: per se inquam (2). Ex hoc capite, quaedam peccata semper gravia sunt (letalia ex *toto genere suo*), quaedam levia semper; quaedam, pro materia, modo gravia, modo levia (letalia *ex genere suo*). Prioris generis sunt, quorum materia semper in se gravis est; vel *materialiter,* ut homicidium, blasphemia; vel *formaliter,* nempe cum in qualibet, etiam minima eius parte, tota inest malitia peccati (3). Alterius, quae levem, suapte natura, iniuriam in Deum continent: talia sunt quae laedunt veracitatem, temperantiam quoad cibos, et omnia otiosa (4). Cetera fere omnia ad tertium genus pertinent; quorum materia, *per se,* neque gravis est, neque levis; sed et gravis et levis esse potest. Et quandoque adeo levis est, ut ex ea nunquam constare possit letale peccatum, velut furtum unius teruncii, non recitatio unius *ave* (5); quandoque adeo gravis, ut nunquam intelligi possit peccatum leve, ceu furtum 100 libellarum, non recitatio matutini (6). Quandoque demum eiusmodi est, ut non facile discerni queat, utrum sit gravis, an levis; ideoque utrum sit mortale peccatum, an veniale: haec, nisi alias ap-

(18) Sporer, *l. c.* Qui in contrariis diluendis non parum laborat.

(1) V. S. Alph., V, 4, etc.

(2) Et non ex alio capite, v. g., propter scandalum, damnum alterius, etc. (V. § 291): quippe per accidens fit,

(3) Salm., 11, 2, 22; 20, 11, 7. Sive, *ubi parvitas materiae non minuit offensam* (S. Alph. *H. A.*, III, 66). Eiusmodi cum primis sunt quae *immediate contra Deum versantur* (Salm.); veluti peccata contra virtutes theologicas, simonia, periurium. His addenda sunt, ex Ecclesiae praecepto, ieiunium naturale, et mixtio aquae in vino quoad Eucharistiam sumendam, vel conficiendam.

(4) V. Salm., 20, 11, 4.

(5) Salm., 11, 2, 26. Quamvis alter illum teruncium tantum in bonis habeat; vel illud *ave,* impositum fuerit ex causa gravi, v. g., a confessario ob gravia peccata, vel commutatum ex voto, v. g., ieiunandi, aut recitandi tertiam rosarii partem.

(6) Salm., *l. c.* Licet illos homini quam ditissimo surripueris: vel hoc omiserit is qui integrum psalterium recitare debet.

pareat manifeste, *periculose* immo *periculosissime* gravem esse *determinatur* (7); ideo levem esse tenendum est (8).

290. Deinde peccatum letale sine plena ac perfecta animi deliberatione non fit (9), quippe est aversio a Deo plena atque perfecta (10); ideo plena et actuali mentis advertentia, et perfecto voluntatis consensu opus habet (11). Quod si quis dubitet, an perfecta animi deliberatione aliquid admiserit, id sequimur quod est verosimilius; ideoque in laxioris conscientiae viris, eam non defuisse, regulariter, tenendum est; contra defuisse in his, qui Deum timent, et mandata eius observant (12); maxime vero si scrupulis laborant (13). Sed et is probabiliter a letali excusatur, qui facit aliquid malum, sciens quidem malum esse, sed ignorans grave ne sit, an leve, de re exploranda nihil cogitans, si non animadvertit, ne in confuso quidem, periculum peccandi graviter. Quod ex his cum

(7) S. Anton., P. II, Tit. I, Cap. XI, 28. Unde autem aestimari debeat materiae gravitas, vide, si lubet, Suar. (*De Legib.,* III, 25, 7, etc.), Salm. (11, 2, 22, etc., 20, 11, 9). Heic tantum animadvertimus, falsam esse doctrinam existimantium, partis gravitatem aut parvitatem, relative, idest ex *toto,* metiendam esse; et gravem censendam, quae pertingit ad tertiam totius partem (V. Sanchez, *D.,* 1, 4, 17, etc.). Quod autem quidam docent, ea quae gravia sunt semper, aut obligare sub gravi, aut nullatenus obligare, ideoque aut grave peccatum in his, aut nullum admitti (v. c., a sacerdote qui ne ter quidem aut quater per annum celebrat), *per se* et in abstracto verum est (V. Less., II, VII, 28); nam aut subest causa iusta, quae excusat a lege, aut minus; si primum, lex cessat; sin alterum, viget integra; ideoque *illic* nullum; *hic* grave peccatum inerit. Et mirum esset, ait Less. *l. c.,* eum qui, v. c., per levem negligentiam segetes alterius incendit, teneri ad restitutionem sub levi; aut leviter peccasse, si hominem occidit (V. Lugo, *De Euch.,* XX, 3, etc.).

(8) S. Alph., III, 132; *Epist. Resp.,* v. *Adversarius in dissertatione;* V, 52. In summa, ut responderi possit, aliquid carere culpa letali, sufficit hoc probabile esse (Ex S. Alph., I, 53). Qui autem, in re dubia, consultus respondet, aliquid esse letale, idque consulenti persuadet (quod, etsi saepe dictum sit, dicendum est tamen saepius), eum decipit; et si probabile sit, eum contra facturum, propter erroneam eius conscientiam, letali non caret.

(9) S. Alph., V, 5.

(10) D. Th., 1, 2, 74, 1.

(11) S. Alph., V, nn. 4, 5, - *Plena;* ex hoc capite excusantur semifatui, semiebrii, hi quibus aliquid obrepit dum evigilant, qui ex subita passione in transversum aguntur (V. D. Th., 1, 2, 88, 6). *Actuali* (V. § 147, n. 23). *Advertentia,* scilicet, ad actionis gravitatem: quare, etsi intellectus aliquid cogitet, et animadvertat delectationem in se excitari, v. c., de inimico interempto, si non animadvertat, nec suspicetur, delectationem huiusmodi malam esse, *vacabit culpa quantumvis tempore duret* (Sanch.; Croix, I, 548).

(12) S. Alph., VI, 476.

(13) Croix, I, 546. *Hi nunquam credant, se mortaliter peccasse, nisi iurare audeant, se plene advertisse malitiam gravem, et in eam plene consensisse.* Item S. Alph. (*l. c.*).

primis intelligi poterit, si et ipse sit homo timoratae conscientiae, et conscientia ab ea re facienda parum refugerit (14).

291. Vulgaris quaestio est, utrum peccatum letale in veniale, et veniale in letale transire possit? Et *per se* (*obiective*) neutrum fieri potest, *quia ea quae differunt in infinitum non transmutantur* (15); ac proinde *aeternum nunquam potest fieri temporale* (16), nec contra. Propter conscientiam erroneam fieri potest utrumque. Ad haec quod per se est levi, fieri potest grave vel *subiective*, cum primis propter contemptum *explicitum et formale* (17); vel *effective,* si ex peccato levi sequi potest aliquid grave (18). Verum quia haec rei naturam non mutant, peccata huiusmodi erunt formaliter quidem, at non materialiter gravia. Quae accurata dispicienda sunt, ut sciamus quando poenis, quando reservationibus, quando restitutionibus sint obnoxia.

292. Quaeri item solet, utrum ex pluribus venialibus fieri possit unum letale. Et neque hoc fieri potest (19), nisi illa talia sint, quae, si fuissent admissa uno eodemque tempore, coalescere, et ex omnibus, quasi ex partibus unum aliquod constare potuisset; et admissa sint intra id tempus, quo potuissent moraliter uniri, et coalescere; ut puta ex pluribus frustulis intercise editis *die* esuriali (20). At

(14) S. Alph., I, 23. Quod in his cum primis locum habet, qui per Deum iurant, qui creaturas execrantur, vel imprecantur mala hominibus, filiis, etc. (Ronc., *De Consc.,* Cap. I, in fin.). Addit S. Alph., et dummodo *obiectum non sit certe per se peccatum mortale:* verum hoc non est perpetuum; nam theologis multa certissime letalia sunt, quae rudibus, vel indoctis vix reprehendenda videntur; utputa quae ad simoniam pertinent.

(15) D. Th., 2, 2, 88, a. 4.

(16) D. Th., *l. c.,* Art. 6.

(17) D. Th., 2, 2, 186, 9 ad 3. Id-est contemnens *auctoritatem* legislatoris; non item si legislatorem ipsum, vel rem praeceptam contemnit (S. Alph., I, 148; Salm., 11, 2, 39). Eoque minus peccare ex contemptu dicendus est is, qui (V. Suar., *De Legib.* III, 28) in eadem re saepius peccat (D. Th., *l. c.;* S. Alph., 162, v. *Quarta*).

Dixi *cum primis:* nam fieri potest grave etiam ex fine (intentione facientis) adiuncto, vel ultimo (V. D. Th., 1, 2, 88, 2). *Adiuncto,* v. c., si quis dicat puellae verbum leviter inhonestum animo ad turpia eam trahendi. *Ultimo,* cum nempe eo animo est, ut, si opus foret, mallet peccare letaliter, quam his abstinere; v. c., die festo sacrum potius, quam ludum, omittere. Sed, gravitas heic, non actione in ipsa inest, sed in intentione facientis.

(18) S. Alph., *H. A.,* III, 68. Utputa, si ex furto unius acus, sarcitor passurus sit damnus grave; vel tu, ex aspectu aut lectione leviter turpi, teipsum coniicias in periculum proximum peccandi graviter.

(19) D. Th., 1, 2, 88, 4. *Quia omnia peccata venialia de mundo non possunt habere tantum de reatu quantum unum peccatum mortale,* quod poena aeterna, et carentia visionis divinae punitur.

(20) Ex Innoc. XI, 38; Sanch., *D.,* 1, 4, 9. Item in servilibus peractis uno eodemque die festo, in recitatione horarum canonicarum eodem die, etc., in furtis *eidem* pluries, diversis licet diebus, admissis,

enim ut ad peccatum mortale perveniri possit, opus est quantitate tertia parte maiori (21). Verum si singula haec (levia) singulis fieri mandaveris, etsi quod universis mandatum est sit grave, et oppido grave, verius est, et est sententia *longe communior*, te non peccare letaliter; quia videris per alios facere, non quod universi, sed quod singuli faciunt (22): exceptis his, quae iustitiam laedunt (23).

293. Denique ex letalibus (venialia praetereo) aliud est alio gravius. Quod varie aestimare potest; et in primis ex aversione a Deo, seu ex *virtute* quae laeditur; ex conversione ad creaturas, idest ex *obiecto* peccati; ex voluntatis *actu,* quo quis avertitur a Deo et convertitur ad creaturas. Ex 1° igitur, quo praestantior est virtus quae laeditur, eo peccatum est gravius; ideo, v. c., furto sacrilegium, sacrilegio haeresis gravior est. Ex 2° quo magis peccatum a recta ratione et natura hominis abhorret, eo turpius ducitur; hinc fornicatione pollutio, homicidio sodomia foedior est. Demum, ex 3° illius culpa est gravior, qui perfectiori utitur voluntario; seu plus ceteris valeat, seu plus ceteris sapiat: inde peccata *ignorantiae, infirmitatis, et malitiae.*

294. Peccati gravitatem circumstantiae interdum minuunt, interdum aggravant. Earum quae aggravant duplex est genus; nam vel *simpliciter* aggravant, vel *in infinitum.* Illae sunt, quae augent materiam peccati letalis, et ex gravi faciunt gravius; velut furtum unius aurei, aut decem, aut centum. Hae sunt, quae peccatum, quod per se est leve, faciunt *grave,* veluti furtum modicae rei, quod dominum afficit damno gravi; vel (seu leve seu grave) *multiplex,* seu numerum augeant, seu speciem mutent, veluti si quis furetur rem sacram, vel (in nostra sententia) communem pluribus. Est et tertium genus circumstantiarum, quae faciunt peccatum quod peccatum non est; cum nempe aliquid fit tempore, loco, vel modo quod non licet (§ 153, n. 12).

quamvis nova unumquodque intentione fuerit admissum. Non item in mendaciis, imprecationibus, verbis otiosis, etc.; tametsi omnia ex una eademque intentione processerint. Nec in servilibus diversis diebus festis, etc. (V. Laym., V, 7).

(21) S. Alph., III, 530. Itaque is in ultimo, v. c., frustulo, opere, furtulo, quo completur materia gravis, graviter peccat: et nedum formaliter, sed, quia materiae revera uniuntur, materialiter quoque (Bonac.; Lugo, *De Iust.,* XVI, 38; Salm., 11, 13, 22). Atque ideo censuris et reservationibus, si peccato cohaereant, fit obnoxius.

(22) S. Alph., III, 306. Veluti si iusseris decem famulis vacare servilibus die festo per horae dimidium.

(23) Ex Innoc. XI, 38. Ut puta, si uni ex famulis tuis iusseris poma decerpere ex arbore vicini, alteri ramum caedere in eius silva, alteri demum in prato eius pecus depascere; si singula haec levia sint, simul autem collecta sint aliquid grave.

TRACTATUS VI.

DE DELICTIS, POENIS ET CENSURIS

295. Actiones humanae quae a lege deerrant, quando rempublicam perturbant, *crimina,* seu *delicta,* proprio nomine dici solent (1). Delicta coercentur *poenis;* quocirca de delictis, et de poenis nunc; paucis et obiter, pro re nostra. Quae heic dicturi sumus, pertinent cum primis ad poenas canonicas latae sententiae, et maxime ad censuras et irregularitates (ex delicto) probe noscendas, et in foro interno applicandas pertinent: quod ante omnia velim animadverti. De poenis quas irrogat ius civile, viderint I. C.; de poenis canonicis ferendae sententiae viderint indices ecclesiastici. Recentiores Moralistae haec attingunt vix summis digitis: liceat mihi ea paullo latius prosequi: nam nostra sunt, et scitu maxime necessaria.

TITULUS I.

De delictis, delinquentibus, et his qui in delictum concurrunt.

CAPUT I.

DE DELICTIS ET DELINQUENTIBUS.

296. Delictum est: *Externa legis poenalis violatio dolo malo facta.* Consistit igitur ex *violatione* legis poenalis: legem poenalem accipimus, quae lata est maleficiis coercendis; ideoque non naturalem nec divinam, sed humanam tantum. Quare hoc iure utimur, neque legis naturalis, neque divinae violationem delictum facere (quamvis peccatum faciant), sed tantum humanae, seu canonicae seu civilis (2). Nec cuiuslibet (quis enim dixerit delinquere eum

(1) V. § 271, pr. - *Delictum,* vocabulum usu iuris frequentius; *crimen,* aptius, quasi accusatione et damnatione dignum (C. 1, Dist. 81). Omne delictum igitur peccatum est, sed non contra.

(2) Ex C. 2, *Proposuisti,* Dist. 82; Suar. IV, 8, 20; Bonacina, *De Censur.,* Disp. I, Quae. 2. Pun. I, n. 7; S. Alph.. VII, 43, 44. - *Quia, cum lex ecclesiastica imponit poenam super crimine a lege divina vetito, novum ius condit* (S. Alph., n. 350).

qui, v. c., non ex iure testatur, contrahit, iudicio experitur?), sed *poenalis* dumtaxat. Porro violatio legis sine lege ne intelligi quidem potest; ideo cessat delictum in eo, qui falso putat, vel falso creditur legem violare, licet peccatum non cesset (3).

297. At enim violatio legis poenalis, uti ex definitione patet, sine actu et interno, et externo non intelligitur; nam sine *illo* actus humanus, sine *hoc* violatio legis humanae, quae interna non attingit (§ 200, n. 8), ne intelligi quidem potest. Et primo sine *actu interno*, idest sine animo delinquendi; sive, uti I. C. aiunt, *sine dolo malo* (4). Scilicet lex potest violari dolo, casu, culpa. *Dolus* heic est: *Voluntas* (propositum) *delinquendi* (5), quae non intelligitur sine culpa letali (6). *Casus* est: *Eventus qui praevideri non potuit, vel cui praeviso non potuit occurri* (7): ideo et id quod pendet ex voluntate alterius casus est, si prohibere non possis (8). Denique *culpa* in iure plerumque intelligitur: *Factum inconsultum*

(3) *Falso putat* (V. § 155, n. 3): v. c., si caedit laicum, quem clericum credit; si infantem rebaptizat, vel aliam uxorem ducit, falso putans priorem baptismum validum fuisse, vel primam uxorem adhuc vivere (Suar. *De Legib.*, V, 34, 9): scilicet *nihil mutat existimatio delinquentis* (L. ult., C. *De crim. expil. hered.*); quia, non contra legem, sed contra conscientiam agit. *Vel falso creditur:* v. c., si sacerdos, iniusta censura per iudicem irretitus, palam celebret non sine magna offensione fidelium, is graviter quidem peccat, quia videtur *claves* contemnere, sed non fit irregularis (Suar., 4, 7, 20). Idem iuris est in eo, qui rem legibus quidem permissam, sed prava et scelesta intentione facit; puta, si cum aliter se tueri non posset, occidit aggressorem directa intentione occidendi, quippe sibi inimicissimum (V. D. Th., 2, 2, 64, 7; et Suar., 46, 13),

(4) L. 3, § 1, *De iniur.* C. 2. *De Constit.* - *Maleficium voluntas; et propositum delinquentis distinguunt* (L. 55, pr., *De Furt.*).

(5) L. 1, § *Divus,Ad L. Corn. De Sicar.;* L. 1, C. *Eod. tit.* Ceterum, propositum delinquendi intelligitur in eo opere, ex quo effectus noxius sequitur quasi ex causa necessaria, si abstinere debuisset (§ 156, in fi.); puta si quis aliquen mortifere vulneravit sciens volens, etsi occidendi animum non habuerit (C. 39, D. 50): et planum est. In negociis civilibus dolus est: *Calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita* (L. 1, § 1, *De dolo malo*).

(6) S. Alph., VII, 377, 383. Scilicet, non quod dolus non possit incidere in re levi (puta in furto unius teruncii, in damno levi aliis dato), sed quod *delicta* accipimus quae materiam gravem, vel grave damnum continent.

Porro dolus sine culpa letali non intelligitur; sed haec propositio non convertitur; nam peccatum letale sine dolo consistere potest: ut ecce in eo qui rem probabiliter periculosam facit sciens volens, a qua abstinere debuisset.

(7) L. 16, § 1, *Loc. et cond.;* L. 4, C. *De peric. tut.*

(8) Ex LL. 36, 37, 38, *Locati.* Ut puta latronum incursus (L. 18, *Commod.*), factum principis (L. 36, § ult., *Locati*).

quo alteri nocetur iniuste (9): *Factum,* nempe effectu pro causa usurpato: *inconsultum*, idest *cuius exitus facile a diligente praevideri potuerit* (10). Ait lex: *potuerit;* nam si revera praevisus fuit, nec is, qui fecit, omnia observaverit quae diligens quisque observaturus fuiset (§ 157, n. 15), erit culpa theologica dolo proxima, et Nostri dolum appellant (11). Culpa in ius passim significatur appellatione negligentiae (12), et a I. C. et TT. vulgo diducitur in levissimam, levem, et latam (13). Itaque is qui casu deliquit, innoxius est (14); qui

(9) Vinn., in § 2, n. 7, *Quib. mod. re contr. obl.;* Ex L. 50, § 1, *Ad L. Aquil.* – *In iure* seu civili, seu canonico; nam penes Nostros culpa *peccatum* est. Inde distinctio culpae in *civilem* seu *iuridicam* (C. un., *De Commod.*; C. 2, *De Depos.* et *theologicam* (V. Lugo, *De Iust.*, VIII, 26, etc.; S. Alph., III, 549).

(10) Ex LL. 8, 31, *Ad L. Aquil.;* C. ult., *De Iniur.*; C. ult., *De Homic.* in 6°.

(11) S. Alph., III, 550; V. Less., II, 7, 25. Scilicet Nostris dolus est peccatum letale. Nempe si effectus sequitur, se non invito: nam si praeter, vel contra suam voluntatem sequitur, dolus cessat, licet peccatum non cesset.

(12) § 3, *Quib. mod. re contrahit.;* C. ult., *De iniur.;* V. Less, n. 30.

(13) Vinn., in cit. § 2; Suar., 45, 5, 4; Salm., 13, 1, 9; S. Alph., III, 549. Et metitur, quasi e contrario, ex diligentia quam paterfamilias vel prudentissimus, vel solers, vel etiam desidiosus adhibet suis rebus. Itaque illius diligentie deesse *levissima* culpa est, istius *levis*, huius *lata* (Silvest., v. *Culpa,* Quaest I; Navarr., 17, 178). Levissima, e. g., culpa eius est, qui e curru aliquid proiiciens, prope stantem occidit, si priusquam iaceret circumspexit, et conclamavit; levis eius qui circumspexit (Ex C. 14, *De Homic.*); lata eius qui nec conclamavit, nec circumspexit (Ex L. 7, *Ad L. Corn. De Sicar.*). Belle Sayr. (VII, 5, 4) haec explicat exemplo eius, qui librum sibi commodatum, a furibus surreptum reliquerat – in cubiculo, quod clavi quidem obseravit, sed non tentans manu, an bene obseratum esset – vel in cubiculo, ostio non obserato – vel in scamno lycaei (V. Lugo, n. 26).

Verum haec generaliter; nam interdum culpa estimari debet ex re, opere, negocio, quod agitur; et quae in re modica levissima culpa est, in gravi fit levis, in gravissima lata (Lugo, *De Iust.*, VIII, 112; Salm., n. 37).

Sed et *pluribus aliis modis* culpa dicitur in iure (V. C. ult., *De Iniur.*): nam et *imperitia culpae adnumeratur* (L. 175, *De R. I.*) veluti si artifex gemmam, quae includenda ei data est, imperitia sua fregerit (L. 14, *Si gemma, Locati*); *et culpa est immiscere se rei ad se non pertinenti* L. 37, *De R. I.;* C. 19, *Eod. tit.* in 6°), ut puta, si Clericus, peritus licet, aegrotum male secuerit (C. 19, *De Homic.*). *Lusus quoque noxius in culpa est* (L. 10, *Ad L. Aquil.;* C. 21, *De Homic.*); ut ecce, *si pannum rubrum ostendit quis, fugavitque pecus, quod in fures incidit.* (L. 50, *De Furt.*) *Intempestiva quoque misericordia culpa est* (L. 7, *Depos.*); puta, si commentariensis compeditum solverit, et is evaserit (L. 7, *De Dolo malo*). Denique culpae adscribitur *mora;* de qua haec lex esto: *unicuique sua mora nocet* (L. 133, *De R. I.;* C. 25, *Eod. tit.* in 6°).

(14) L. 24, *De R. I.;* C. 3, *De S. E.;* C. 49, Dist. 50. Verum in foro externo – *culpa, vel mora praecedentibus, etiam casus fortuitus imputatur* – C. un., *De Commod.*).

dolo (sciens volens), reus (15); qui culpa, in foro quidem exteriori (seu civili, seu canonico), aliquatenus reus habetur, si culpa fuerit lata (16), sive quia in doli suspicionem incidit (17), seu potius, *quia mali exempli reus est* (18); in interiori non item (19), quia culpa magis in casum recidit (20).

298. Deinde opus est *actione externa*, ex hac enim initium capit transgressio legum humanarum (§ 146): adeo ut nec consilium delinquendi habuisse quis videatur, nisi et factum sequutum fuerit (21). Verum non quaevis actio externa obnoxia est poenis in iure statutis, sed *perfecta*, *et consummata* (22). Porro omnis actio externa aut *opere* aliquo perficitur, aut *verbis* constat, aut *omissione* continetur. A facilioribus ordiamur. OMISSUM aliquod intelligitur, postquam tempus, intra quod faciendum erat, penitus praeterierit (23). Delicta quae VERBIS constant (ut haeresis, blasphemiae, convicia), tunc regulariter perfecta esse intelliguntur, cum sic ore prolata fue-

(15) L. 1, § 3. *Ad L. Corn. De Sicar.* Sive pacato animo deliquerit, sive ex impetu (Renazzi, *Elem. Iur. Crim.*, Lib. I, Cap. 1, § 5; S. Alph., VII, 394).

(16) Ex L. 11, *De Incend.;* C. 5, *De iniur.*

(17) Ex L. 7, *Ad L. Cornel. De Sicar.* – *Magna negligentia culpa est, magna culpa dolus est* (L. 226, *De V. S.;* Viva; S. Alph., III, 554).

(18) L. 38, § 5, *De Poenis;* C. 7, *De Poenit.* Hac re, culpa in iure appellatur, non maleficium, delictum, quia haec exigunt *voluntatem et propositum* delinquendi (L. 55, pr., *De Furt.*), sed *quasi maleficium, quasi delictum;* idest proxima delicto, maleficio. Si quando autem Nostri docent, ex *culpa lata* oriri, v. c., irregularitatem, obligationem restituendi, etc., culpam latam accipiunt quae non caret peccato letali (Vasq.; Less. II, 7, 27; Lugo, *De Iustit.*, VIII, 49; S. Alph., III, 550; VII, 377).

(19) V. Lugo, *De Iust.*, VIII, 51; S. Alph., III, 550; quamvis actio ex alio capite sit illicita (§ 157, n. 15).

(20) Ex CC. 9, 13, *De Homicid.;* Lugo, n. 107; Regin., 10, 59. Scilicet casus est *eventus cui non potuit occurri:* quis autem occurrere potest ei rei, de qua non cogitat? Ideo casus et culpa nonnumquam in iure quoque civili promiscue accipiuntur. (LL. 9, 11, *De incend.*).

(21) L. *Saepe*, 53, § ult., *De V. S.*

(22) L. 21, § 7, *De Furt.* Scilicet in odiosis verba legis *cum effectu* accipere debemus (L. 1, § *Haec autem*, D. *Quod quisque iur.;* C. 4, § 1, *De Cleric. non resid.;* Suar., *De Legib.*, V. 34, 13); nisi lex aliud palam expresserit, ut in L. 3, *Ad L. Iul. De vi publ.;* L. 16, *De poenis;* et C. 1., *De Homic.* in 6°. Dixi poenis *in iure statutis;* quae in iure dicuntur *ordinariae;* itaque hae semper, et hae solum intelligendae erunt cum dicimus *poenam incurri*, vel minus: neque enim est in arbitrio iudicis poenas variare (L. 1, § 4; *Ad S. C. Turpil.;* V. § 302, n. 11).

(23) D. Th., 2, 2, 74, 3 ad 3; Suar.; Tesaur., Lib. 1, Cap. 14; ibique Giraldi. V. c., indicta non recitantibus horas canonicas suspensionis poena, omissio non incipit imputari quum, media nocte properante, certum est recitari residuo tempore amplius non posse, sed cum haec praeterierit (Ex LL. 8, 124, *De V. O.*).

rint ut, si quis praesens esset, ea intelligere potuisset (24): dummodo, scilicet, integrum et manifestum prodant animum dicentis (§ 146, n. 16). Demum actio, quae OPERE aliquo perficitur, aut merum *factum* est, velut homicidium, furtum; aut *actus*, e. c., matrimonium, baptismus, absolutio a peccatis. *Facta* plerumque pluribus partibus constant, et velut initio, progressu, ac fine: initio pravi consilii significatio, progressu conatus, fine consummatio continetur (25). Quoties igitur factum coercetur, neque consilii significatio, neque conatus sunt obnoxia poenis, sed factum penitus absolutum (26); et si hoc ab effectu capit perfectionem, poena non tenet facientem quoad effectus sequutus fuerit (27). *Actus* perfectus intelligitur cum fuerit factus iure, quia *verba cum effectu* (maxime in odiosis) accipimus (n. 22): ideo, ut sit poenis obnoxius, opus est, ut nihil essentiale sive *natura sua*, sive *iure*, illi desit (28). *Si*

(24) V. § 146, n. 16. Quamvis occultissima maneant (Ex Trid., XXIV, *R.*, 6), hoc enim per *accidens* fit; explosa contraria sententia P. De Castro. Dices: *Ecclesia non iudicat de* OCCULTIS (C. 11, Dist. 32; C. 33, in fi., *De Simon.*). Ita porro; sed occulta accipere debemus *per se*, idest interna (Suar., 31, 1, 68).

(25) V. Renazzi, Lib. I, Tit. 1. Titius, v. c., necem Osio *minatur* (en pravi consilii significatio): serius eum, 1° *quaerit;* et quaesito, 2° ensem *strinxit,* illum confossurus, sed actu in ipso *destitit;* aut. 3° *feriit incassum,* quia Seius deflexit (en conatus *remotus, proximus, praetergressus*): sed mox interum ferit et *occidit* (en actus consummatus).

(26) L. 53, § *Sane, De V. S.* Itaque *reus,* v. c., *falsi* non est qui falsificatas literas nondum signavit (Ex L. 6, *Ad L. Corn. De fals.*); reus furti nondum dicitur *qui furti faciendi causa conclave intravit* (L. 21, § *Qui furti,* 7, *De Furt.*), *nec qui auferre rem coeperit;* sed qui abstulerit (L. 15, § *Abduxisse, De Iniur.*).

(27) Tolet., 1, 9, 13. – *Quid enim obest conatus, cum delictum nullum effectum habuerit?* (L. 1, § 1, *Quod quisq. iur.*). Etiamsi nihil amplius sibi faciendum supersit (Suar., *h. t.,* IV, 3, 4; et *De Legib.,* Lib. V, Cap. 34): utputa homicidium, quoad mors sequuta fuerit; mandatum, quoad mandatarius eo functus sit (L. 53, § *Neque verbo, De Furt.*). Nec obstat C. 27, *De Simon.,* quo electio ad beneficium, facta ab his, qui pecuniam sibi stipulati fuerant, tamquam *simoniaca reprobatur,* etsi pecunia nondum soluta sit: aliud est enim electionem ratam non haberi, aliud eligentes esse illico poenis obnoxios; hoc canon non dicit. Verum hoc ad eos effectus pertinent, qui actionem integrant; quamobrem, si effectus actionem tuam non integrat, sed aliquid aliud ab eo est, haec regula cessat; puta si in iudicio peierasti, ut reus absolveretur, et is nihilominus condemnatus ferit, lues. Hinc olim Monachi praedicantes, decimas non esse solvendas, excomunic. ipso facto incurrebant (Clem., 3, § 2, *De Poenis*); ideoque etiam effectu non sequuto.

(28) Suar., *De Legib.,* V, 34, 13; Sanch., *M.,* III, 2, 5, Proinde hoc verbum, *actus,* (v. c. emptio et venditio, matrimonium, baptismus) actum validum, non invalidum et nullum, significat (Clem., 1, v. *Igitur,* circa finem, *De Sent. et re iudic.*); nam irrita venditio, irritum matrimonium, etc., qua emptio, qua ma-

quando autem una et eadem lex et irritat (vel irritum supponit) *actum, et ponit poenam facienti, poena quidem per actum vel iure nullum incurritur*, quia lex non actum, sed factum (ausum) coercet (29): verum, ut *factum* dici possit, necesse est, ut nihil *natura sua* essentiale ei desit; idest ut alias constare posset saltem naturali iure (30); quod velim animadverti.

299. Porro quia ex actione interna et externa *una* integra actio coalescit (§ 145, n. 12), necesse praeterea est, ut *idem* sit *obiectum* externum utriusque. Proinde si actio externa, a voluntate deerrans, aliud attigerit, in foro conscientiae quasi casus fortuitus computabitur; sive id acciderit revera fortuito casu, quod planum est (31): sive per errorem facientis, quod mihi est verius: dummodo error fuerit substantialis (nam error quoad accessoria, seu accidentalia, non aufert volutarium). Et hoc tripliciter fieri potest: 1° si quis

trimon., etc., nihil est; et non praestat impediment. quod de iure non sortitur effectum (L. 55, *De R. I.* in 6°).

(29) Suar., *l. c.;* L. 13, § 4, *De his qui not. inf.;* L. 4, C. *De Excusat. Tut.* – *Irritat;* v. c., alienationem praedii ecclesiastici sine beneplacito Apostolico, absolutionem complicis. *Irritum supponit;* v. c., matrimonium sanctimonialis, vel hypodiaconi; iteratio baptismi iam valide collati, etc. In his igitur, non iuris effectus, sed animi destinatio cogitatur (L. 11, C. *Ad. L. Iul. De Adult.*); idest *effectus intentionis cum opere subsecuto* (C. ult., *De Bigam.* Sed quaestionis est, utrum ausum huiusmodi subiaceat poenis, si actus ex alio quoque capite fuerit nullus; v. c., non effugiat excommunication. subdiaconus qui ducit affinem, monialis quae nubit sine parocho et testibus ubi Conc. Trident. viget, etc.: negant enim Suar. (n. 10), et Sanch. (nn. 7, 8), qui Sotum reprehendit docentem incurrere. Mihi Soti quidem sententia potior videtur, ne melior sit conditio eius qui plus, quam qui minus deliquit (Ex L. 3, § 1, *De Donat. inter vir.*): nihilominus contrariam tenendam puto, quia versamur in odiosis.

(30) Ex L. 6, pr., *Ad L. Cornel. De Fals.* – Ibi: *Prius enim oportet esse aliquis actus, vel non iure factus, ut legi locus sit* – Itaque si monialis, ex. gr., nubat amenti, aut verbo tenus, poenam effugiet - (Sanch., *M.*, VII, 48, 9; Bonaci., To. 3, Disp. II, Quae. II, Pun. VII, n. 11); item qui testamentum suppressit non iure factum (L. 38, § 6, *De Poenis*) aut legatum sibi adscripsit in testamento alieno imperfecto sua manu exarato (L. 6, § 1, *Ad L. Corn. de Fals.*). Quamobrem rectissime S. Alph. (VII, 171) negat, contra communissimam, irregularem fieri, ex hoc capite, excommunicatum vitandum, qui poenitentes absolvit. In sacramentis, quae iure divino constant, essentialia accipienda sunt ea sine quibus constare, hoc iure, non possunt; atque ideo idem iuris est, si ex his defuerit aliquid, puta si diaconus absolvat complicem, vel (regularis forte) ungat aegrotum invito parocho (Suar, *h. t.*, 22, 4, 5), vel rebaptizet cum vino, aut sine forma (Suar. 11, 3, 14).

(31) V. Suar., 22, 1, 53. Veluti si, quum servo meo pugnum ducere vellem, illo ictum declinante, in proximo te stantem percusserim (L. 4, *De Iniur.*).

vel circa rem erraverit (32); 2° vel circa personam (33); vel, 3° circa rem quoad personam, nempe falso putans eam rem (v. c., aedes quas incendit) esse, v. c., Sempronii, cum sint Audisii (34). At is qui rem surripit, quam falso putat meam esse, vix poenae eximitur, aut ne vix quidem, quia accidentalis et concomitans hic error est (35). Ad ultimum utraque actio (interna et externa) mala, aut noxia *per se* sit oportet; itaque si externa sit mala ex sola intentione facientis, quia intentio eam non mutat (§ 154, n. 18), non erit poenis obnoxia (36).

CAPUT II.

DE HIS QUI IN DELICTUM CONCURRUNT, ILLUDVE RATUM HABENT.

300. Nunc videamus, quid iuris sit, si duo, pluresve, eiusdem delicti participes fuerint. Et videamus, utrum seorsum agant, an omnes in ipso delicto perpetrando concurrant. Si seorsum, velut in rixa.

(32) Lugo, *De Iust.*, XVII, 75. Ut puta, si putans te auferre vas aureum, aeneum abstuleris (Lugo, *ib.*; Contra L. 21, § *Si quis aes, De Furt.*). Porro multa ex his, quae a Nostris traduntur in Tract. *De Restitutione,* ego in hunc Tract. transtuli; quia et poena restitutio quaedam, et restitutio poena quaedam est: et quia est mitior poena, quae ad excludendam restitutionem valent, eo magis ad poenas excludendas valere aequum est.

(33) Suar., 22, 1, 52. Veluti si percusserit Caium, quem Osium putabat: nam neque Osio facit iniuriam, quia non percutit; neque Caio, quia non vult (Engel, V, 39, 136; S. Alphons., III, 628, 629; secus in foro externo, quia semper civem laedit, L. 18, § *Si iniuria, De iniur.*): nec, probabilius, si utrumque clericos esse sciebat, incurrit excomm., quippe personae morali, nisi per singularem personam, non fit iniuria (Suar., n. 54). At vero si non ignoravit, se Caium percutere, non excusatur si nescivit, v. c., eum fratris sui filium esse, non percussurus profecto si scisset; quia error non in substantiam cadit (V. Lugo, n. 75). Idem iuris est, si percusserit Osium clericum, Sempronium clericum putans, si non quasi Sempronium percusserit, sed quasi clericum; nam eo animo erat, ut quemcumque clericum caederet.

(34) Lugo, *De Iust.*, XVII, 75; S. Alph., *l. c.*

(35) Lugo, n. 77. Vix enim interest furum, cuius sint res quas furantur (Sanch., *D.*, II, 23; S. Alph., *l. c.*, v. *Idem.*).

Porro haec ad eum pertinent, qui *errans* fecit, nam si fecit *ignorans,* si, v. c., clericum caedit, domum alienam incendit sciens volens, nesciens quis *ille,* vel cuius *haec* sit, hic cuicumque clerico, cuicumque domino vult facere iniuriam (L. 18, § *Si iniuria, De Iniur.*). Nec excusat quod sciens non fecisset (§ 136, n. 27).

(36) Sayr., Lib. VI, 17, 12. Ut puta, si quis occidat iniustum aggressorem, alias mortem vitare non valens; etiam animo iniuriae, alias acceptae, ulciscendae (Salm., 10, 8, 45) et licet animus huiusmodi exterius non lateat.

actio uniuscuiusque contemplari oportebit (1); ideo quisque pro suo facto tenebitur. Quid si duo admiserint eodem tempore, v. c., si duo in Seium telum iecerint, et unus tantum ferierit, nec appareat uter ferierit? Et profecto, *utrumque* teneri iniquum est, *alterum* potius absurdum, ergo *neuter* tenebitur (2). Sin communi consilio, qui illud velut suis manibus patrant, *delinquentes principales* ceteri *accessorii* dici solent (3). Heic, iure civili, *singulorum proprium est maleficium* (4); canonico, quisque pro suo facto tenetur (5). At vero si ex duobus alter dolo fecerit, alter imprudens, et poena sit eiusmodi, quae si fuerit irrogata tenebit utrumque, ne innocens puniatur, neutrum tenebit (6). Nobis de his agendum est qui deliquerunt communi consilio, et inquirendum, num delinquentes accessorii eisdem poenis sint obnoxii, quae in delinquentes principales dumtaxat legibus statutae sunt. Dixi *eisdem*, nam aliqua poena coercendos esse, palam est: dixi *dumtaxat*, nam si in eos quoque legibus statutae sunt, omnis dubitatio cessat.

301. Age modo, delinquentes accessorios accipimus, qui agunt vel in animum delinquentis principalis, idest mandantes, et consulentes; vel in opus externum opem aliquam praestando, et in primis qui auxilium vel favorem praebent, defensores, receptores et non impedientes.

Incipiamus ab iis, qui in animum agunt; nempe a mandantibus

(1) L. 17. *Ad L. Corn. de Sicar.*; Ex CC. 3, 4, *De Cler. percuss.*; C. 6, §§ 2, 3, *De Homic.* Itaque si unus mortifere aliquem vulneravit; alius postea exanimavit, prior non tenebitur ut homicida (L. 11. *Ad L. Aquil.*); ideoque non erit irregularis (S. Alph., VII, 369; V. Duard., Lib. II, Can. 4, q. 2; Can. 9, q. 12, et Suar., 45, 3, a n. 8).

(2) S. Alph., III, 658; V. Suar., 45, 3, 11. Atque ideo etsi omnes percusserint, nec appareat cuius ictu perierit (S. Alph., VII, 367; contra Suar.; *l. c.*, n. 9. ex C. ult., Cau. 23, 8; et Duard., *l. c.*, n. 3, omnes teneri putant). Nec obstat cit. C. ult. 23, 8, quippe nec alicuius R. P. nec alicuius Conc. Oecumenici est. Secus si constet, omnes percussisse letaliter (V. § 158, n. 21, v. *Ad ultimum*).

(3) Carmign., *Elem. Iur. Crim.*, § 209. Accessorii latine *conscii*, vulgo *complices*, dici solent. Porro quinam auctores, quinam complices dicendi sint, non ex civilibus legibus (quae variant ex locis), sed ex doctrinis TT. definire nos oportet.

(4) L. 24, *De Iniur.*

(5) Ex C. 34, Cau. 23, 8; C. 6, §§ 1, 2, *De Homic.* Praeterquam si agatur de irregularitate ex homicidio; de quo serius. Et congruit doctrinae Theologorum qui, cum de restitutione agitur, non in solidum (prout ex iure civili), sed quemque pro damno a se illato teneri putant (V. S. Alph., III, 579; Contra Duard., cit. Can. 9, q. 12, n. 1).

(6) (L. 5, *De Poen.*; Ex CC. 1, 14, *Qui fil. sint legit.* Ut puta, si duo matrimonium irritum contraxerint, alter sciens, alter ignorans (§ 56, n. 65); vel *crimen* admiserint, et nuptias inter se coire velint. Adde C. 12, *De Sepultur.*

et consulentibus. *Mandare* intelligitur is, qui aliquid alicui pro se faciendum committit; seu iubeat, seu roget (7), seu solum desiderium ostendat (8). *Consilium dare videtur* qui *persuadet et impellit, atque instruit consilio ad delictum faciendum* (9): *persuadet*, ideo non tenetur qui consilium praebet doctrinale, uti vocant (10): *et instruit*, idest monstrat quem in modum delinquat; quamobrem *si tantum consilium dedit atque hortatus est*, v. c., *ad furtum faciendum, non tenetur furti* (11). Amplius, seu mandatum dederit, seu consilium, necesse est ut dederit *alias nolenti* (12); ideoque si dederit ei, cui iam certum erat crimen admittere, poena eessat (13). Demum si ante delictum admissum revocaverit mandatum, consilium; et de revocatione mature certiorem fecerit eum, cui mandatum, vel consilium dedit, et is nihilominus delictum consummaverit, eximitur poenis: primo, quia revocatione mandatum proculdubio (14), consilium probabiliter (15) evanescit; deinde, quia is magis improbitate sua fecisse videtur. Nisi forte poena, lata fuerit in mandatum ipsum, vel consilium, quasi delicta *sui generis* (16). At vero nemo excusatur, quod, se non mandante,vel consulente, alius nihilo secius certissime mandaturus, consulturus fuisset: primum, quia verum est,

(7) LL. 12, 59, *Mandati;* Duard., II, Can. 11, q. 12, n. 4. - *Pro se;* nam alias magis hortari aut consulere videretur (L, 6, *Eod.;* L. 20, *De his qui not. infam.;* Salm., 10, 1, 158).

(8) Ex L. 28, § *Si pater filio,* 8, *De A. H.;* Henriq.; Covarr.; Sayr., VII, 2, 9; Ex C. 10, *De Excess. Praelat.*

(9) L. 51, *De Furtis;* Sayr., III, 15, 12; Duard., q. 17, n. 3.

(10) Ex L. 118, *De R. I.;* C. 62, *Eod. tit.* in 6°. *Quia liberum cuique est explorare, an expediat sibi consilium* (L. 2, in fi. *Mandati;* V. Salm., 10, 1, 147, etc).

(11) § 11, *De Oblig. quae ex delicto.* Licet acuerit ad ardentius faciendum (Croix, VII, 65). In summa, necesse est, ut iuverit *ope et consilio* (L. 36, *De Furt.;* V. Carmign. *Elem. Iur. Crim.,* § 223). Nec obest L. 1, § 4, *De servo corr.;* L. 36, § 1, *De Furt.,* quibus nudum consilium coercetur; ibi enim agitur de damno dato: et si recte inspicitur, instructio non deest.

(12) L. 11, § *Attilicinus, De Iniur.;* Salm., *l. c.,* - idest alias non patraturo (Graff., *Practica, etc.,* Lib. V. Cas. 5, n. 2). Quid, si movit ut citius faceret? Salmanticens. (n. 147,) eum teneri indubium est; Croix (VII, 65) non teneri, est probabile, quia non videtur substantiam, sed modum attigisse. Mihi si delictum serius admissum non fuisset, prior; secus, secunda sententia videtur verior: *illic* enim vere delicti causa est; *hic* non item.

(13) S. Alph., III, 561; VII, 38.

(14) L. 12. *Mandati;* Suar., 44, 3, 7; Sayr., VII, 2, 13.

(15) Sayr., VII, 2, 14; Salm., 10, 1, 150; V. S. Alph. VII, 368, 373. - *Et est communis sententia* (Suar., 44, 3, 13). *Si certiorem,* nam antea revocatio non intelligitur (V. § 224).

(16) Croix, VII, 65.

delictum consilio, mandato suo admissum fuisse (17); deinde, quia secus nemo teneretur, quod absurdissimum foret.

302. Deinde videamus de his qui agunt in opus externum; idest, de his qui auxilium vel favorem praebent, qui receptant, qui non impediunt. Qui praebent *auxilium:* hoc vocabulum late patet, et omnes comprehendit, qui aliquam materialem opem praestant; et maxime defensores. Defendere proprie est, alicui ab alio iam oppugnato, vel, ut ne oppugnetur, praesto esse (18). Qui *favorem* praebent: hoc verbum patet latius; eoque continentur qui quamlibet opem moralem suppeditant, seu faciendo, ut puta, commendationibus, pecunia (19), seu omittendo quod facere ex iustitia debuissent (20). Receptare, seu recipere est: *refugium, abscondendi causa, praestare in suo, vel alieno loco* (21); et receptator, verius, dicitur, ut falsarius, licet semel tantum receperit (22). Demum qui non impediunt: sed hi pene recidunt in eos qui favent omittendo, et ideo hi quoque si ex iustitia impedire debuissent (23), et potuissent sine incommodo gravi (§ 318, n. 73). Sed ut opem quis praestare videatur, necesse est, ut eam praestet, 1° *formaliter* (24); idest, ut reum defendat, receptet, etc., *qua reus est*, et non qua alia causa (25); 2° ut alter *ope* huiusmodi delictum perpetrare valeat, non ut perpetrati

(17) Ex Spor.; et S. Alph., III, 562, in fin.

(18) Duard., Lib. II, Can. XI, q. 17, n. 6.

(19) Suar., *De Fide,* XXIV, 1, 5.

(20) Suar., 45, 4, 5. Velut ex officio (Navarr., 27, 78; Sanch., *Dec.,* II, 10, 11). Hac re, v. c., quamvis olim, ex C. 47, *De S. E.*, excommunicationi obnoxii essent qui clerici percussionem impedire potuissent, obtinuit, hoc ad eos non pertinere qui ex sola caritate debuissent impedire: licet ex odio non impedirent (Suar., n. 4; S. Alph., VII, 269, 376), quia animus opus non mutat. Dixi operam *materialem*, quia huc non pertinent qui consilium praebent (Reginald., IX, 263.

Porro cum lex generatim *cooperatores* coerceat, cooperatores accipere debemus, qui proximam, non qui remotam operam praestant (V. Thesaur., Par. I, Cap. 10); alias prope infinita huius rei aestimatio erit, et, pro cuiusque capite, cerebrosa.

(21) L. 1, § 3, *De serv. corr.* – *Loco*, v. c.. domo, agro, territorio (Lugo, *De Fide*, XXV, 4); sive occulte, sive publice id faciat, ait Sayr.. III, 5, 3.

(22) Et convenit receptantem haereticum, vel, semel tantum excommunicationem incurrere; sed non satis constat poenas incurrere qui alios delinquentes receptaverit semel tantum vel iterum (V. Lugo, *l. c.,* Albit., *De Inconst. in Fide*, 30, 9).

(23) Ex Sanch. et Suar., *ll. cc.* Itaque si caritas tantum urgebat, poena cessat; *et certum est apud omnes* (S. Alph., VII, 376).

(24) Suar., IV, 3, 10.

(25) Duard., Lib. II, Can. 1, q. 28, 5; Caiet., v. *Excommun.*, Cap. 4; Sanch., *Dec.,* II, 10, 5; Salm., 10, 4, 68. *Communissima.* Ideo non incurrit poenas latas in receptatores haereticorum, nec is qui abscondit haereticum, quem milites quaerunt ob aliud crimen, v. c., ob furtum, homicidium (de quo nemo dubitat);

poenas effugere possit; nisi forte delictum habeat tractum successivum (26); utque demum, 3° haec revera sic in delictum influxerint, ut alias perpetratum non fuisset (27).

303. Porro ex superius dictis palam apparet neminem ex his, qui vel in animum vel in opus externum agunt, poenis obnoxium fieri, nisi ea, quae egerint, revera in delictum influxerint: nemo igitur ex eis tenetur poenis quoad sibi certo non constiterit, et delictum revera fuisse perpetratum, et vere iussu, consilio suo, vel ope a se praestita, perpetratum fuisse (28). At cum id apparuerit, non eximitur poenis, eo quod is, qui delictum perpetravit, deliquerit materialiter tantum; v. c., ignorans vel amens (§ 173 n. 80).

304. Iis, qui in animum vel in opus externum agunt, accedunt ratum habentes. *Ratum habere*, propria significatione, dicitur is qui comprobat quod ab alio, se ignorante, nomine suo gestum est (29). Ratihabitio in *negociis* civilibus proprie locum habet, ut puta in emptionibus, venditionibus, in locationibus, etc., et, fictione iuris, mandato aequiparatur, atque ideo retrotrahitur (30). Quamobrem si quis, meo nomine, negocium gesserit illicitum et poenis obnoxium, v. c., praedium ecclesiasticum ab usurpatoribus emerit, et ego emptionem ratam habuero, proculdubio excommunicationem incurro, nam emo (31); non quidem *ex tunc*, quia fictiones in poenalibus locum non habent, sed *ex nunc*. In *nudis factis*, v. c., si alius aliquem percussit, occidit, si eius domum incendit, ratihabitio vix intelli-

nec is qui eum abscondit, qui ut *haereticus* quaeritur, si eum abscondit quasi amicum vel consanguineum; quae aut probabilior, aut certe probabilis sententia est (Salm., 10, 4, 68, etc:; et S. Alph., VII, 307; Suarez, 4, 3, 11; et 21, 2, 8; V. Albit. 28, 66; 30, 37). Item, si eum receptavit miserationis causa, ut a gravissima poena eum eriperet (Sanchez, *D.*, II, 10, 11). Quid si ob pecuniam? Utique tenebitur (Duard., Lib. II, Can. XI, q. 29, n. 18); nisi fecerit egestate compulsus (Albit., 30, 44). Sed etsi illum *quasi reum* v. c., quasi haereticum defenderit, receptaverit, si haec frustra cesserint, e, g., si ille condemnatus, vel deprehensus nihilominus fuerit, verius poena cessat (Salm., 10, 4, a n. 79; ibiq. Suar., Sanch., Bonac., Filiucc., etc.); nempe, quasi effectu non sequuto.

(26) Suar., 21, 2, 72; Reginal., IX, 314; Duard., Lib. II, Can. XI, q. 17.

(27) Ex L. 11, § *Attilicinus*, *De Iniur.*; Duard., Lib. II, Can. 10, q. 15, n. 2.

(28) Ex L. 15, *ad L. Aquil.*; Salm., 10, 1, 147; V. S. Alph., III, 562; VII, 39, 371.

(29) Ex L. 16, § 1, *De Pignor.* - *Quia ratum habere quis non potest, quod suo nomine non est gestum* (C. 9, *Eod.*; C. 23, 30, *De S. E.* in 6°). Itaque, si non suo nomine sit factum, ratihabitio ne intelligi quidem poterit (Suar., 22, 1, 55; Tolet., 32, 17).

(30) L. 22, *Rem rat. hab*; C. 10, *De R. I.* in 6°.

(31) Ex L. 1, C. *Si maior factus.*

gitur: et ideo vix coercetur in poenalibus. At cum coercetur, ut is qui ratum habet teneatur poenis quibus is tenetur qui fecit, necesse est: 1° et ut delictum sit eiusmodi quod mandari, idest, per alium perpetrari potuisset (32); 2° et a se perpetrari potuisset eo tempore, quo admissum fuit (33): utque, 3° illud probaverit quasi factum suo nomine (34).

TITULUS II.

De Poenis.

CAPUT I.

QUID ET QUOTUPLEX POENA SIT.

305. Poena in iure modo *noxae vindicta* (1) appellatur, modo *delictorum coercitio* (2). Et non in sola castigatione corporis posita est, sed etiam in ademptione, seu deminutione *status*, *libertatis, bonorum,* quae in patrimonio nostro sunt, delicti nomine irrogatis (3). Noxae, delicta, ordinem perturbant, quoad Deum et quoad

(32) Reiff. in cit. C. 9; Schmalz.; V, 39, 244. Prout furtum, homicidium, incendium; non item adulterium, blasphemia, ebrietas, etc.

(33) Ex C. 10, *De R. I.* in 6°; Navarr., 27, 233; Molina; Bonac., To. III, Disp. I, Q. 12, P. I, n. 23, Quamobrem si, quo tempore delictum perpetratum fuit, ipse amens erat, vel infantiae proximus, ratihabitio ne intelligi quidem potest. Secus si ebrius fuerat, quia ebrietas, prout somnus, res momentanea est (S. Alph., VII, 267).

(34) Suar., 31, 2, 32. Ideo non sufficit factum tantum laudare, immo nec utcumque probare.

Dixi, ratihabitionem esse eius rei quae *ab alio,* nomine meo, gesta est. *Quid,* si tute feceris ignorans, vel errans, aut ebrius forte, et postea, re comperta, id probaveris? Et si *negocium aliquod* agitur, v. c., si praedium ecclesiae emeris a Seio qui illud ab usurpatoribus emerat, putans hereditarium, palam est, te excomm. incurrere: *si nudum factum,* A. c., si ebrius clericum percusserit on item.

(1) L. 131, *De V. S.*

(2) L. 1, *De Legib.* – *Delictorum, quae sponte, vel ignorantia contrahuntur,* ait I. C., *l. c.* Nempe in foro externo culpa quoque civilis coercetur; et interdum etiam ea quae carent culpa, si subsit causa: inde reg. iuris Canonici: *Sine culpa, nisi subsit causa, nemo est puniendus* (C. 23, *De R. I.* in 6°). Verun *heic* non poena versatur, sed mera beneficii alicuius denegatio: ut ecce cum filii haereticorum arcentur officiis ecclesiasticis (CC. 2, 9, *De Haeret.* in 6°); vel irrita declaratur collatio beneficii, quod quis mihi per simoniam, me ignorante, obtinuerit (C. 27, *De Simon.*).

(3) *Status,* velut interdictio a publicis officiis, vel administratione bonorum (§ 120, n. 13), infamia

societatem: poenis ordo redintegratur, et velut in pristinum restituitur; et qua ad *illum* redintegrandum pertinent, vindicativae sunt; qua ad *hunc,* exemplares. ILLAE eo spectant, ut Deo suus honor vindicetur: inde *supplicia* primitus appellatae: et hoc in poenis et praecipuum, et perpetuum est; quia cuiusvis legis transgressio in contemptum legis Dei aeternae denique redundat: ISTAE ut alii, exemplo deterriti, minus delinquant; ideoque publicae tranquillitati student; et hoc quoque in eis perpetuum est, et praecipuum, sed minus praecipuum; et planum est. Ad haec, delicta ordinem perturbant et quoad ipsum delinquentem: et poenae ad hunc quoque ordinem redintegrandum pertinent; nempe emendatione ipsius delinquentis: verum hoc neque praecipuum est, quippe ad utilitatem singulorum pertinet; neque perpetuum, alioquin nulla poena in perpetuum irrogari posset; nec poena capitis irrogari unquam potuisset. Omnium autem triplex genus constitui potest, nempe ex auctore, ex obiecto, ex modo quo tenent delinquentem.

306. Ex auctore sunt vel *a iure* vel *ab homine.* A iure, quae feruntur ad instar legis, idest omnibus et perpetuo; ab homine, quae ad instar praecepti, idest singulis (4). Illae perpetuae sunt, *hae* cessant, nisi iam fuerint incursae (§ 249, n. 11), resoluto iure eas ferentium (5). Inter has tenent quae omnibus quidem, sed pro casu aliquo speciali, irrogantur; quae proprio nomine *sententiae universales* dici solent (6); nam, perinde ac si lege latae fuissent, tenent omnes; sed, quasi ab homine latae, cessant resoluto iure eas

(§ 121), etc. *Libertatis,* ut puta, cum quis in carcerem detruditur, vel in exilium mittitur. *Bonorum,* velut eorum publicatio, mulcta, restitutio damni ex iniusta *acceptione,* puta si quis alienas aedes incenderit (Ex L. 3, § *Hanc, Si mensor*).

(4) Suar., 3, 1, 2; Salm., 10, 1, 17. *Omnes* – In iure canonico omnes passim *sententiae* vocantur (V. Suar., Lib. I, Cap. 1, n. 9): scilicet lata et minus propria significatione: et illae sententiae *universales,* hae *particulares* dici solent. Ego, quoties deinceps *sententiam* dico, eam dumtaxat intelligo, quam iudex pronunciat; de qua heic nobis agendum non est.

(5) Suar., 3, 4, 9; Tolet., I, 6, 4; Laym., cit. Cap. II, 2. *Communissima.* Aliud iuris est in *sententiis* latis officio iudicis: *sententia iudicis est quaedam particularis lex in quodam particulari facto* (D. Th.; 2, 2, 67, 1); atque ideo, prout lex (a qua, et non a potestate eam ferentis, vim et statum capit), perpetua est. Nec aliud docet Suar., 3, 4, 10; ibi enim (n. 12 et sect. 5, n. 4) sententiae appellatione, mandatum, praeceptum intelligit.

(6) Laym., *De Censur.,* Cap. II, 2; S. Alp., VII, 6. V. c., in omnes qui occultum furem sacrilegum intra mensem scientes non denunciaverint; vel ablata, e. g., in orto nuper incendio, vel naufragio, non restituerint.

ferentis (7). Sed utrum illis, quia tenent omnes, an his, quia non sunt perpetuae, propius accedant, non satis convenit (8). Huc recidunt poenae conventionales, quae nempe violatam alicuius (seu expressae seu tacitae) sponsionis, seu publicae seu privatae, fidem vindicant (9).

307. Ex obiecto sunt vel temporales, vel spirituales. Temporales, quae bonorum temporalium irrogari solent; ut puta, publicatio bonorum, exilium, vincula: spirituales, quibus adimitur aliquid bonorum, vel iurium spiritualium; nempe *censurae*, *suspensiones* quae censurae non sunt, *depositio*. His accedunt *irregularitates ex delicto*. Quas omnes sedulo distinguere, et invicem secernere diligentissime, necesse est; nam quorum nomina in iure diversa sunt, earum non est eadem vis et potestas (10); ac proinde, quod una earum praestat vi sua, et per se, alia praestare nequit nisi per consequens, vel per accidens; quo in negocio, plerosque ex Nostris et Canonistis haud nimium sollicitos fuisse, dolendum est. Denique huc recidunt leges inhabilitantes, vel irritantes (§§ 209, etc.), quae in odium alicuius criminis statutae sunt. Ad ultimum, quaecumque illae sint, si eiusmodi sunt, quae animo delinquentis facile occurrere potuis-

(7) Laym. et S. Alph., *ll. cc.* – *Communissima.*

(8) Suar., 7, 2, 20, etc.; 19, 2, 6. Qui hanc secundam sententiam veriorem putat (et recte); primam aequiorem, et usu receptam. Porro sententiae huiusmodi olim in excommunicationibus dumtaxat ferendis obtinebant: hodie fere ubique obsoleverunt (Laym., *l. c.;* V. Trident., XXV, *R.,* 3).

(9) Hoc ut probe intelligatur, ab initio petenda res est. Poena conventionalis dicitur, quae ex contractu aliquo debetur, aut ex quasi contractu (§ *Poenae quoque*, 36, *De Legat.;* L. Un., C. *De his quae poen. nom.;* Suar., *De Legib.,* V, 7, 10, etc.). Ex contractu expresso, uti in votis poenalibus; ex tacito, quae contrahuntur in munere aliquo suscipiendo (V. Thesaur., Par. I, Cap. 32, qu. 1). Utrarumque duplex genus distinguendum est: nam vel damno nos afficiunt, rem ipsam adimendo, v. c., beneficium parochiale non ascendenti intra annum ad ordinem presbyteratus (C. 14, *De Elect.* in 6°), episcopatum ei qui intra sex menses non recipit consecrationem (Trident., XXIII, *R.,* 12); vel aliquo velut *lucro* nos prohibent, ut ecce quae adimunt distributiones quotidianas eis, qui choro non intersunt (Trident., XXIV, *R.,* 12), fructus beneficiato non recitanti horas canonicas (S. Pius V, C. *Ex proximo*). Poenae huiusmodi et poenae et pacti habent aliquid, atque ideo utriusque iure aestimari debent. Quaesitum est, utri propius accendant: et quae *damno* nos afficiunt illi; quae *lucro* nos prohibent, huic magis accedere videntur (Cf. Less., II, 34, 101; Suar., *l. c.,* n. 8), subest enim quasi contractus innominatus (*dabo ut facias*). Nostri plerumque eas confundunt cum poenis inhabilitantibus (V. Salm., 10, 2, 62; S. Alph., I, 149).

(10) Ex L. 7, C. *De Iure Codicill.*

sent, uti vincula, *ordinariae;* secus *extraordinariae* a Nostris dici solent (11).

308. Denique cum omnis poena spectet ad leges tuendas (§ 164, n- 26), quod magistratus officium est (12), cumque suapte natura, non in faciendo, sed in patiendo consistat, omnis poena eget officio iudicis (13). Nihilominus quandoque lex ipsa iudicis officium sumit, et poenas infligit delinquenti: inde, quoad modum quo reum tenent, iterum sunt vel f. s. (*ferendae sententiae*) vel l. s. (*latae sententiae*): illae non intelliguntur ante sententiam iudicis; hae, admisso delicto, continuo reum tenent. Utra vero ea sit, pendet ex voluntate legislatoris, atque ideo ex verbis legis petendum est. Itaque si is iubet eas irrogari, v. c., *suspendatur, excommunicetur,* iudici iubet, atque ideo esse f. s. palam est (14); contra sin dixerit, *sit excommunicatus, suspensus,* etc., *ipso iure, ipso facto, statim, ex tunc* etc., palam est esse l. s. (15). His duobus casibus exceptis, plerumque difficile et salebrosum est definire, utrum sit, f. an l. s. Sed procul dubio tenendum est, esse f. s. si lex dicat *sub poena,* v. c., *suspensionis, excommunicationis,* etc. (16); nam ad iudicem loquitur: et contra esse l. s., si legislator nec iudicem nec reum alloquitur, sed in una persona loquitur, et ipsemet decernere videtur; ut ecce cum dicit - *excommunicamus, suspendimus* (17); nam

(11) S. Alph., VI, 1074; VII, 351. In iure poena *extraordinaria* opponitur *legitimae* (L. 1, C. *Ubi De Crimin.;* Engel, V, 37, 2): legitima dicitur quae in lege statuta est, extraordinaria quae definitur arbitrio iudicis, *arbitraria* idcirco appellata (§ 298, n. 22).

(12) Ex C. 21, in fi., *De Iure patr.;* D. Th., 2, 2, 62, 3.

(13) Heic animadvertendum est, in poenis irrogandis alias legislatoris, alias iudicis, alias rei esse partes: illius est poenas decernere, istius infligere, huius pati. Quandocumque igitur lex poenam in delinquentes decernit, tenendum est, non ad reum, sed ad iudicem loqui, cuius proinde erit eam irrogare, atque ideo quamdiu officio iudicis non fuerit irrogata, ne intelligi quidem potest (V. Suar., *De Legib.,* Lib. V, CC. VI, VII; *De Censur.,* Disp. 3, Sect. 3).

(14) Suar., *De Legib.,* V, 6, a n. 4. Et mirum est, Bonacinam et S. Alph. (VII, 8) *pro certo* habere, illis verbis - *excommunicetur - suspendatur* - absolute prolatis, *contineri* poenam l. s. Cuius contrarium Suar. (n. 11) *sine controversia* esse testatur: et iure prorsus; nam qui iubet excommunicari, suspendi, etc., nondum excommunicat, nondum suspendit.

(15) Sayr., I, XI, a n. 6; Suar., *De Legib.,* V, VI, 5, 26. Nisi forte responderit in aliqua causa, non quasi legislator, sed quasi iudex; et responsum postea relatum fuerit in corpore iuris canonici, ut in C. 14, *De Tempor. Ordinat.* (Suar., *De Censur.,* 31, 1, 24).

(16) Suar., n. 4, *De Censur.,* 3, 3, 6; Reiff., I, 2, 208; S. Alph., VII, 8.

(17) Suar., *De Legib.,* V, 6, 26. Ut, v. c., in C. 2, *De Haeret.* in 6°. Vel sententia, v. c., excommu-

palam est, eum iudicis officium capere; vel si reo quidem loquitur, sed quasi iam condemnato; v. c., *sciat*, vel *noverit*, se ESSE *excommunicatum;* vel – *maneat excommunicatus*, etc. (18). Hoc autem inter eas distat, quod reo subinde per sententiam condemnato, poena l. s. ad diem admissi criminis retrotrahitur; poena f. s. incipit a die latae sententiae (19), ac proinde si iudex ab ea ferenda abstinuerit, licet per vim, aut dolum, aut sordes, poena nec in foro conscientiae intelligitur (20). Poenae l. s. tenent semper, quia nunquam iniustae esse possunt; f. s. non tenent, si sententia fuerit iniusta, vel nulla.

nicationis *duximus innodandum*, ut in C. Un., *De Schism.* in 6°. Nec, quoad utrumque, interest utrum poena a lege sit, an ab homine (V. Suar., n. 26).

(18) Suar., *l. c.*, 27, in fi. Vel *excommunicat. incurrisse;* ut in C. 40, *De Appellat.* Non item si dixerit - *noveris te* INCURSURUM (Suar., *De Censur.*, 3, 3, 3). At si nec iudicem, nec reum alloquitur, sed *utitur* verbis imperativis dumtaxat, v. c., *subiaceat excommunicationi - beneficium amittat - fiat inhabilis ad beneficia* - poenam esse f. s. aut verius est (quia haec et iudicis facto, et legis vi hac potestate aeque fieri possunt), aut certe tenendum (Berardi, Cap. V, v. *Ut autem*). Et nihilominus Suar. (*De Legib.*, V, 6, 24, etc.) haeret anceps, et laboriosis utitur distinctionibus; et S. Alph., (VII, 8; et *H. A.*, XIX, 2) et hanc, et contrariam sententiam ait esse probabilem. Verum Suaresio (*l. c.*) *imperativi modus anceps locutio est:* numquid hoc non sufficit ad poenam excludendam, nisi aliud ex aliis evidenter appareat? Et S. Alph. alias (Lib. VI, 705) docet, ea Bened. XIV verba - *confessarii sollicitantes perpetuam inhabilitatem incurrant ad sacrificii celebrationem* - continere poenam f. s.; quod responsis tum S. U. I. tum S. Poenitent. postea confirmatum est. Sane quando lex voluit his verbis irrogare poenam l. s., id expressit, ut in C. 27, *De Elect.* in 6°: *electio* IPSO FACTO *viribus vacuetur omnino.* Et in C. ult., *De Reb. Eccles. non alien.* in 6°, Praelatos bona Ecclesiae alienantes suspensione ab administratione *ipso facto,* laicos ea usurpantes excomm. *eo ipso* coercet; de his vero qui ad haec compulerint ait: *excomunicat. sint sentent. innodati.* Sane cum heic non addiderit verba - *ipso facto - eo ipso* - dicere hos quoque coerceri poena l. s., perinde est ac illa supplere. Ad extremum si sententia negantium illis verbis - *subiaceat... amittat* - probabilis est, nonne eam sequi et licet et oportet? Eoque magis sequenda erit si lex dicat - ERIT *suspensus* - ERIT *excommunicatus;* quia *hoc verbum* ERIT *interdum praesens, interdum futurum tempus demonstrat* (L. 123, *De V. S.*). Et, ut generaliter dixerim, nisi appareat manifeste poenam esse l. s., f. s. eam esse omnino tenendum est (§ 309).

(19) L. ult., C. *Ad L. Iul. Maiest.;* Soto, I, VI, 6, Conc. 4; Suar., *De Legib.*, V, 8, 3. Et ideo in priori casu sententia *declaratoria*, in posteriori *condemnatoria* dici solet. Proinde, v. g., clericus privatus beneficio per sent. iudicis, *illic* fructus ab hac lata restituit, *hic* a die patrati criminis; et si poenam quoque inhabilitatis incurrerit, actus medio tempore gesti *illic* rati erunt (L. 15, *De Donat.*), *hic* irriti (Cit. L. ult.), nisi forte eis faveat error communis (Thesaur., I, VI, V).

(20) V. Salm., 11, 2, 76.

CAPUT II.

DE POENIS SINGULIS DELICTIS IRROGANDIS, ET SUBEUNDIS.

ART. I. *Praenotanda.*

309. Ut locus poenae fieri possit, ante omnia duo exploratissima esse debent, factum et ius; idest, 1° delictum admissum fuisse ab eo qui reus postulatur (1), et hoc manifestam rationem continet; 2° poenam adversus edictum huiusmodi in iure comprehensam esse, nam instar axiomatis semper fuit, et erit semper: *Nulla poena sine lege* (2); in dubiis autem semper id accipiendum esse, quod est favorabilius reo (3). Haec primum; deinde *intepretatione legum, poenae potius molliendae sunt, quam exasperandae* (4). Quamobrem, si utendum sit interpretatione declarativa, verba legis *stricte* sunt accipienda (§ 184[3], n. 23), ideoque *in toto rigore ac proprietate teneantur, et strictissime limitentur, quantum proprietas verborum permiserit* (5); et si duas interpretationes aeque bene recipere pos-

(1) L. 25, *De Probation.* - Ibi: *Nemo condemnandus est nisi ex probationibus, vel indiciis luce clarioribus.* (V. *Deuteron.*, XXI, 2; CC. 1, 14, *Qui filii sint legit.*).

(2) L. 19, *De V. O.* Nostri: *Nulla poena incurritur, nisi in iure sit expressa* (S. Alph., VII, 343, 345); et *compertum est apud omnes* (S. Alph., VI, 150, in fi.).

(3) Ex L. 178, *De R. I.;* V. Thesaur., 1, 16. Seu, 1° factum sit dubium (L. 1, § *Item illud, Ad S. C. Syllan.*); v. c., an abortus revera sequutus fuerit; vel, quod ad irregularitatem, an *fetus animatus* (S. Alph., III, 396): sive, 2° auctor facti; veluti si duo in Clericum telum iecerint, et unus ferierit, sed uter ex eis non appareat (Ex S. Alph., III, 658); nam *satius est impunitum relinqui facinus nocenti, quam innocentem condemnari* (L. 5, *De Poenis*): sive demum, 3° (in his quae bono et malo animo fieri possunt) intentio facientis (Ex L. 51, *Pro Socio;* L. 66, *De Judic.*); ut ecce in eo qui receptavit haereticum consanguineum suum (§ 302, n. 25), si non appareat, utrum receptaverit quasi haereticum, an quasi consanguineum (Suar., *De Fide*, 24, 1).

(4) L. 42, *De Poenis.* - *In poenalibus causis benignius interpretandum est* (L. 198, *De R. I.*): *In poenis benignior est interpretatio facienda* (C. 49, *De R. I.* in 6°): et, si alias, heic maxime *capienda occasio est quae praebet benignius responsum* (L. 129, *Eod.*).

(5) Suar.; belle Duard. (Lib. I, Cap. III, Quae. 4, n. 2): *in poenalibus verba tantum ligant, quantum sonant.* Scilicet, *odia restringi, favores convenit ampliari* (C. 15, *De R. I.* in 6°). Odiosas autem esse omnes leges poenales superius innuimus (§ 184[3], n. 23). Nec audiendi sunt veteres quidam TT., qui favorabiles, atque ideo latae interpretationis, eas esse existimarunt, quae bono publico sunt introductae; vel (ut alii) salutis animarum; vel religionis intersunt, puta adversus haereticos: nulla enim, iure civili, est poenalis lex

sunt, semper benignior praeferenda est (6). Quoad interpretationem extensivam, hoc velut axioma tenendum est: *poenae non excedunt proprium casum* (7); atque ideo, ad eas producendas, *argumentum neque a simili, neque a maiori est validum, sed oportet ostendere ius expressum* (8). Contra, interpretatione restrictiva utendum est,

quae reip.; nulla, iure canonico, quae animarum saluti, aut religioni non caveat (Lugo, *De Fide*, XXI, 34). Itaque poenae, v. c., statutae adversus simoniacos, vel bigamos, coercendae sunt ad reos simoniae iuris divini (S. Alph., III, 108), et ad bigamos *veros* (Berard., To. IV, *De Bigam.*, Cap. IV). Interdicta *parochia*, parochiam accipere debemus ecclesiam parochialem, non territorium. Suspensionibus in *male ordinatos* (V. § 395), non subiacent Episcopi, quippe non ordinari, sed *consecrari* dicuntur (Suar., 31, 1, 29); et censura qua, ex C. 1, *De Sent. et re iudic.*, irretitur is, qui exercet ordinem (sacrum), non tenet qui illum exercet in ipsa ordinis susceptione, quia exercitium huiusmodi quasi pars ordinationis intelligitur (S. Alph., VI, 799, d. 3).

(6) L. 198, *De R. I.*; C. 49, *Eod. tit.* in 6°. V. c., Parochi non *residentes*, fructus non faciunt suos (Trid., XXII, *R.*, 1): residentiam aequius est accipere materialem tantum (Ben. XIV, Not. XVII, 16), et non tantum formalem (V. S. Alph., IV, 127). Qui abest a choro, primo anno *privetur* DIMIDIA PARTE *fructuum, quos ratione etiam praebendae et residentiae fecit suos* (Trid., XXIV, *R.*, 12): dimidiam partem accipimus, non omnium, sed mensium quibus abfuit (S. C. C., ap. Fagn., in C. *Ex tua*, n. 15, *De Cleric. non resid.*), et detracta portione pro ceteris officiis, quae non omisit (Sot., X, V, 6; S. Alph., III, 673).

(7) Suar., *De Legib.*, VI, 3, nn. 5, 6. *Et haec est iuridica ratio exponendi omnes canones poenales, et, destructo hoc generali fundamento, tollitur certitudo in his legibus explicandis* (Suar., *De Legib.*, V, 3, 7).

(8) Suar., 45, 4, 5; Laym.; Sanch.; Salm., 11, 4, 39; S. Alph., VII, 345; Thesaur., Par. 1, cap. 1. Quocirca non extenditur, 1° *de persona in personam* (Suar., n. 6): non bene igitur quidam ex Nostris, ex C. 5, *De Usur.*, quo pecunia usuraria extorquetur foeneratoribus, danda pauperibus, hoc ad simoniacos extendunt. 2° Non *de casu ad casum*, ne de minori quidem ad maius (Suar., 22, 4, 23; S. Alph., III, 473; VII, 345); nam iura saepe delicta coercent, non quia atrociora illa sunt, sed quia frequentiora (L. 16, § *Evenit, De Poen.*); hinc, v. c., Clerici si, commiscendo, *sexum* mutant, excidunt privilegiis clericalibus (S. Pius V, C. *Horrendum*), si mutant *speciem*, non item (S. Alph., III, 473). Et poena, qua *commissa* coercentur, ad *omissa* trahenda non est (S. Anton., Armil., Hurt., Giball., Turrian., ap. Salm., 10, 8, 41): hac re, v. c., poena statuta in eos qui hominem occidunt, non tenet medicum qui aegrotum non secuit, vel curationem deseruit; quamvis ea data opera id fecerit, ut ille interiret. Quidam heic aliud sentiunt (V. Salm., n. 42): nam putant, interpretationi extensivae locum esse ob *identitatem* rationis, si haec in lege sit expressa (Reiff., Sanch., etc.): sed non bene (Suar., *De Legib.*, VI, 3, 5). Sane Diaconus qui missam celebrat, PROPTER TEMERITATEM fit irregularis (C. 1, *De Cleric. non ord. min.*): num et laicus? Minime (Reiff., V, 28, 10). Qui dubitat, an admiserit homicidium, perinde se gerere debet, ac si irregularitatem contraxerit, quia in DUBIIS TUTIOR PARS EST eligenda (CC. 12, 18, *De Homic.*); num idem iuris est, si dubitet, v. c., an rebaptizaverit? Minime (Sanch., *Dec.*, I, 10, 48;

quoties ratio legis eam patitur (9). At vero ubi nulla ambiguitas, dubium nullum occurrit, *nec severitatis, nec clementiae gloria affectanda est* (10), sed legi parendum. Nunquam vero poena lucrosa reo esse debet (11). Ad ultimum admonendi sumus, *neminem ob idem crimen pluribus legibus reum fieri* (12): quoties igitur, nova aliqua lege, nova poena fertur pro eodem delicto, prior cessat in eodem foro (13); tametsi nova poena sit levior (14), aut prior sit latae sententiae; quae mihi verior doctrina est (15).

V. § 186, n. 37). Triplex casus est, in quo extensio locum habet: 1° in *contentis* (L. 22, *Ad L. Iul. De Adulter.*): e. g., haereticus fit irregularis: quis dixerit, apostatam irregularem non fieri? Sed V. § 186, n. 36. 2° Si ita obtineat ex perpetua omnium canonistarum et TT. interpretatione, ut in excommunicatione Canonis (V. § 184, n. 7): 3° si alias sequeretur absurdum evidens, intolerabile (Ex L. 7, § ult., *De Interd. et releg.*; Suar., 13, 4, 43; Salm., 10, 3, 80) ut in ministro rebaptizante.

Sed nec *fictiones iuris* (§ 208, n° 65) in poenalibus locum habent (Sayr., I, XI, 18): ideoque non est, v. c., hic locus regulae: *qui per alium facit, per seipsum facere videtur* (Duard., Lib. II, Can. I, Qu. 48, n. 17): nisi forte lex alias derisoria videretur, ut olim Clem. I, *De Sepult.*, excommunicans sepelientes in loco sacro, quam quidam ad solos vespillones coercebant (Suar., 13, 4, 10). Nec valet hic altera reg. iuris: *accessorium sequitur principale* (Suar., 35. 4, 16): quod velim animadverti.

(9) L. 42, *h. t.*; C. 22, *De Elect.* in 6°. Iure communi puniebatur patronus, qui *iureiurando adigebat* libertum, ne uxorem duceret; iure canonico coercentur excommunicatione *spectantes* duellum: et nihilominus, si ille castratum adegisset (L. 6, § 2, *De Iure patr.*), hi si e conclavi respiciant (S. Alph., III, 401, q. 3), abeunt impune.

(10) L. 11, *De Poenis.* Proinde si poena, nulla apposita conditione vel die, irrogata fuerit, perpetua intelligitur (L. 10, C. *De Poenis*).

(11) Ex L. 3, *De Dolo malo*; C. 5, *De Donat. int. vir.* Ideoque nec aliquam immunitatem reo praestare debet (L. 7, § penult., *De Sent. pass.*); nec meliorem conditionem eius facere (L. 177, *De R. I.*). Proinde, v. c., Clericus suspensus a beneficio, ab horis canonicis recitandis aliisque officiis adnexis beneficio adimplendis non eximitur: ordinatus (in sacris), ante legitimam aetatem, a susceptis ordinibus usque ad aetatem legitimam exercendis prohibetur (Suar., 31, 1, 23), licet b. f. ordinatus fuerit: *Quod statutum fuit ad poenam, trahi non debet ad gratiam* (C. 2, § 1, v. *Nec, De Trans. Episc.*).

(12) L. 14, *De Accusation.*; C. 4, § ult., *De Iudic.*; C. 12, Dist. 81; Sanch., *M.*, III, 48, 4. Quod vel ipse rigidus Berardi (Lib IV, Par. II, Diss. 3, Cap. 4, in fin.) animadvertit. Ideo, v. c., suspensio, qua iubetur coerceri parochus qui interfuit matrimonio clandestino (C. ult., § ult., *De Cland. desp.*), excomm. l. s., qua coercetur Regularis qui ei interfuit sine licentia parochi (Clem., I, *De Privil.*), sublata intelliguntur postquam Conc. Trident. (XXIV, *R. M.*, I.) iussit, huiusmodi Parochos et Regulares coercendos esse arbitrio Ordinarii (Sanch., *l. c.*; Bonac., To. 3, Disp. 2, Quae. 9, P. 5. n. 14; ibique Suar., Sayr., Filiucc.; Sayr., IV, 5, 10).

(13) Salm., 10, 1, 177; V. S Alph., VII, 28.

(14) Suar., 12, 4, 13.

(15) Ex cit. L. 14. - *Nec sane verisimile est, delictum unum eadem lege, variis aestimationibus, coer-*

310. Cum poenae insuper non excedant proprium casum, nemo tenetur poenis in iure adversus aliquem statutis, nisi in ipsum latae sint nominatim. *Ideo poena statuta*, v. c., adversus facientem, mandantem, verius, non tenet; et ex diverso, statuta adversus mandantem, non tenet facientem (16); statuta adversus mandantes et facientes non tenet eos qui opem, auxilium praebent (17); statuta adversus eos qui consilium praebent, non tenet eos qui praestant opem (18). Eoque minus tenet eos qui non prohibent (19), vel ratum habent (20); quippe qui revera in delictum non influunt (21) In quos autem manifeste lata est, tenet eos proculdudio (22), sed post effectum sequutum (23); praeterquam si palam appareat, haec coerceri *per se*, et quasi *delicta sui generis.* (24).

ceri (L. 41, *De Poenis;* V. Thesaur., I, XII; Contra Sanch., n. 8).

(16) Ex C. 6, § 3, *Qui vero, De Homic.*; Clem., I., *De Poen.* in 6°; Navarr., 27, 51; Tolet., 1, 9, 12, Suar., 21, 2, 14; 34, 4, 17; Schmalz., V, 30,70; Lugo, *De Fide*, 21, 75; S. Alphons., VII, 371. – *Verius;* et quod ad censuras certum est (Sanch., *M.*, III, 49, 2). Hinc, v. c., censura lata in eos qui coniungunt sponsos alienae parochiae (Trid., XXIV, *R. M.*, I.), qui celebrant in loco interdicto, non tenet eos, qui dant alii mandatum coniungendi (Sanch., *l. c.*) vel celebrandi. Prout, ex diverso, excommunic. lata in mandantes assassinium (C. 1, *De Homic.* in 6°), ipsos assassinos non tenet (S. Alph., III, 364). Ceterum mandatum heic quoque accipere debemus, quod ad *nudum factum;* et non ad negocium aliquod, nomine mandantis contrahendum, pertinet: quamobrem si subdiaconus tibi mandaverit, uxorem ducere suo nomine, aut praedium ecclesiasticum emere, heic valet regula: *Qui per alium facit, per seipsum facere videtur* (C. 72, *De R. I.* in 6°): itaque ille excomm. contrahit, tu, verius, non item (Sanch., *M.*, VII, 48, 3).

(17) Cit. C. 6, § 2; C. 47, *De S. E.* Auxilium, *proximum* scilicet (n. 22, in fi.).

(18) Sayr., III, 6, 6; V. Suar., 21, 2, 17. *Sunt enim diversi influxus; cum illud ad instructionem mentis, haec ad executionem sit ordinata* (Duard. Lib. II, Caus. 1, q. 32, n. 17): ille moralem, hic materialem operam praestat.

(19) Ex C. 47, *De S. E.* Et nedum si ex sola caritate impedire debuissent, *quod certum est apud omnes*, sed si ex iustitia (S. Alph., VII, 376).

(20) Lugo. *De Iust.*, XIX, 34; Schmalz., IV, 7, 57; S. Alph., VII, 375.

(21) LL. 12, 13, *De his, qui not. infam.*

(22) Ut olim in C. 1, *De Homic.*, in 6°, contra *mandantes* assassinium; et in L. 3, *Ad L. Iul, De vi publ.*, contra ineuntes *consilium* seditionis faciendae. *Manifeste* (§ 309); ut ecce si lata sit in eum, qui patrat homicidium, aut, *quacumque ratione, causa illius existit* (Salm., 10, 1, 146).

(23) Tolet., 1, 9, 13; V. § 298, n. 27. *Qui alicui* malum *consilium dedit* v. c., *servo fugiendi, tunc incipit teneri, cum servus fugitivus esse coeperit* (L. *Qui servo*, 36, *De Furt.*). *Opem ferre* (ad furtum faciendum), *vel consilium dare, tunc nocet, cum sequuta contrectatio est* (L. 53, § *Neque verbo*, 19, *Eodem.*

(24) Tolet,, *l. c.*, n. 12; Croix, VII, 65. At quando, sodes, haec coerceri intelliguntur quasi delicta sui

ART. II. *De Poenis irrogandis.*

311. Principio igitur, ut possit in aliquem poenis animadverti, necesse est: I. ut is vere deliquerit; II. ut sit subditus eius cuius legem violavit; et, si officium iudicis intervenerit, III. ut rite condemnatus fuerit. Et primo ut *vere* deliquerit (25). Ex hoc capite, 1° poena non tenet eum qui deliquit sola opinione aliorum, vel sua (§ 296, n. 3); vel casu, aut culpa civili (§ 297). Deinde, quia delictum consistit ex actu interno et externo, 2° non obest actus internus (animus), si externus desit (26), vel hoc non appareat

generis. si in lege id expressum non est? Nempe, aiunt, quando lex punit, v. c., consilium, mandatum *propter se*, et non propter illud quod mandatur, consulitur (Croix, n, 59; S. Alphons., VII, 38). Sed cedo, quando punit haec *propter se?* Sane, si lex punit solum mandatum, solum consilium, solam receptionem, res in aprico est; verum si eadem poena coercet utrumque; idest mandatum, consilium, etc., et id quod mandatur consulitur, etc., tenendum utique videtur, coerceri quasi accessoria, cum sint talia *per se*. Et vix non absurdum videtur, delicta huiusmodi, ante quam principalia, poenis teneri. Itaque dixerim, delicta accessoria tunc solum coerceri quasi delicta sui generis, cum poena in solos delinquentes accessorios legibus constituta est. Ceterum ea quae praestari possunt ante delicti consummationem (ut consilium, mandatum, auxilium) coerceri quasi accessoria, apud Nostros *communior* (Suar., 21, 2, 16; ibiq. Caiet.; Bonac., To. 3, Disp. I, Quae. 21, P. I, nn. 27, 28); ea quae post illud quoque consummatum non inutiliter praestantur; ut defensio, et receptatio, *probabilis* (Sanch., *Dec.*, II, 10, 9; Laym., *De Fide*, Cap. XIV, in fi.; Bonac., *l. c.*, Disp. I, Qu. IV, P. 2, n. 16) sententia est. Ad minimum, cum Suar. (*De Fide*, 24, 1, 14) fatendum erit, rem dubiam esse: atqui in dubio reis favendum est. Proinde si quis defenderit, vel receptaverit haereticum, ne caperetur, et ille nihilominus captus fuerit, tenendum est, effugere poenas latas in defensores, et receptatores haereticorum (Sanch. et Laym., *ll. cc.*): et ab omnibus regulis iuris recedit (Sayr., III, 5, 4) qui contra putat, eo quod *admodum probabile* sit, receptatores puniri quasi reos principales.

(25) L. 22, C. *De Poen.;* C. 2, *De Const.*

(26) L. 1, § 3, *Quod quisque iur.* - *Cogitationis poenam, in foro nemo patitur* (L. 18, *De Poen.;* CC. 33, 46, *De Simon*). - *Non habent latentia peccata vindictam.* (C. 23, 32, 5): velut ob simoniam mentalem (Cit. CC. 33, 46), ob haeresim internam (Suar., *De Fide*, 21, 2, 4; Lugo, *De Fide*, XXIII, 7, 11). Quid igitur, si Titius dicat, se *olim* mysterio, v. c., Trinitatis, non credidisse; vel Caius, se olim dedisse et accepisse aliquid intentione simoniaca, an excommunicationem incurrant? Et puto Titium non incurrere, sive nunc credat, quia nunc deest actus internus; sive non credat, quia non apparet: Caium incurrere, si non poenituerit, quia nunc denique animum prodit, qui tunc latebat.

manifeste (27); nec externus, si actus internus desit (28), vel non sit malus (29), et graviter malus (30); nec uterque, nisi utriusque idem fuerit obiectum (31). Demum 3° quia delictum consummatum fuisse oportet, eo nondum consummato, poena cessat (32). At,

(27) Ex L. 11, § ult., *De Reb. dub.* Ut ecce si quis dicat: *fabella est*, cogitans de Trinitatis mysterio (§ 146, n. 18); vel: *mysterium Trinitatis fabella est,* ex animo quidem, sed quasi audita referens, aut librum legens (Suar., n. 12; Croix, VI, II, 1652); non enim ipse loqui videtur: aut verius, si id dicere videatur ex ioco, etsi dicat ex animo (Victo., ap. Sayr., III, 4, 31); aut verbis aequivocis (Hurtado, Pal., contra Suar. et Lugon., *De Fide*, XXIII, 9), quia versamur in odiosis. Et si hominem haereticum, eumque necessarium tuum, receptaveris, nisi palam appareat te illum quasi haereticum receptasse, excommunicatio cessat.

(28) Ex C. 54, *De S. E.* Veluti si fidem neget ore tenus (Salm., 10, 1, 137; Suar., 43, 2, 2; Filiucc., XI, 176); si quis verbo tenus rebaptizet (Suar., 42, 2, 1).

(29) Navarr.; Filiucc., XI, 165; V. S. Alph., VII, 34, 273. – *Malus:* hinc non incurrit, v. c., poenas haereticorum, qui haeresim suam prodit consilii capiendi causa (Lugo, *De Fide*, XXIII, 12; Albit., *De Inconst. in Fide*, Cap. XIII, 15), vel dormiens vel in ebrietate perfecta (Croix, VI, II, 1650).

(30) Lugo, *De Poenit.*, XX, 5. Quia canones, regulariter, in gravia dumtaxat animadvertunt. Hinc, v. c., excommunicationem non incurrit qui clericum telo petit ex subita ira (§ 366; vel pacato animo, si telum vestes eius tantum attigerit (S. Alph.; VII, 34), aut leviter scarificaverit (Suar., 22, 1, 23). Nec poenas latas in fures incurrit is, qui surripit annulum aeneum, falso aureum putans (V. Less., II, VII; 27; Lugo, *De Iust.*, VIII, 57, 58, 63; S. Alph., III, 613). Ex hoc capite, eximuntur poenis venialia quae fiunt *mortalia* ex conscientia erronea, vel ex contemptu, vel ob damnum (§ 291). Quamobrem, e. c., excommunicationem, si quae alicubi lata est in fures, non incurrit is qui, sciens licet et volens, surripit acum sarcitori grave exinde damnum passo (Mazz., Disp. I, Q. I, Cap. V, § 3; Bonac., Q. I, P. 3, n. 11). Nec demum is, qui tuendi sui causa, invasorem lubentissime occidit (Sayr., VI, 17, 12; Salm., 10, 8, 45).

(31) V. § 299. Veluti si quis percusserit Seium clericum, Osium clericum putans.

(32) L, 56, § 2, *De Furt.;* L. 53, *De V. S.* Veluti si clericus ictum declinaverit, vel ab eo se defenderit (V. Suar., 22, 1, 23; Salm., 10, 1, 143). Proinde necesse est (§ 298) I. *in factis,* ut facto nihil desit, ut perfectus dici possit; v. c., ut *fur* rem abstulerit: itaque si, antequam e loco discederet, deprehensus fuerit, poena (ordinaria) cessat. Et si factum capit perfectionem ab effectu, necesse praeterea est, ut effectus secutus, et ex causa a te praestita, non aliunde, secutus fuerit (Suar., 4, 3, 7). Hinc homicidii poenas effugit qui aliquem vulneravit mortifere, si is per miraculum convaluerit (Suar., 44, 2, 2); aut medici negligentia (Ex L. 30, in fin., *Ad L. Aquil.;* Moli.; Less., II, 9, 102), vel alterius ictu (L. 11, § *Celsus, Eod.*), vel quo alio casu, velut naufragio, ruina (L. 15, *Eod.*), maturius interierit. Eoque magis si vulneratus non mortifere, ex neglecta vel mala medici curatione (Filiucc., XI, 173), perierit. II. In *actibus,* ut et facti sint iure, et exitum habuerint: ex hoc capite, eximitur poenis in iure statutis qui praedium ecclesiae vendit, penes nos, sine scriptis (V. C. It., 1314 § 1); qui indigno suffragium tulit, si is non fuerit electus (C. 7, *De Elect.* in 6°). Demum, III. in *omissis,* ut tempus

quando ex his omnibus nihil deest, in foro interno non proderit delinquenti, quod crimen lateat omnes omnino, et nec innotescere possit, quia id per accidens fit (33). Quaeri potest. an poena teneat delictum voluntarium tantum *in causa?* Non puto, quia delictum sine *dolo malo*, idest sine *proposito delinquendi*, non fit (34), nisi aliud in iure sit expressum.

312. Deinde ut sit sub iurisdictione eius cuius legem violavit (35). Ex hoc capite, his qui, in sua dioecesi, suae dioecesis legem transgreditur, coerceri potest a proprio Ordinario, etiam dum peregre abest (36); modo non desierit esse subditus; immo etsi desierit, si antea citatione praeventus fuerat (§ 86, n. 37). At is qui delin-

rei faciendae praefinitum praeterierit (§ 298, n. 23). Proinde qui, adepta Parochia, ad presbyteratum anno proxime non ascendit (CC. 14, 35, *De elect.* in 6°), eam non amittit tunc cum certum esse coeperit, ipsum amplius ordinari non posse, sed post annum denique exactum (Reiff., I, 14, 34). Nec his obstat L. 14. *Ad L. Corn. De Sicar.:* IN MALEFICIIS VOLUNTAS SPECTATUR, NON EXITUS; hoc enim vel ad artes magicas spectat (De Simoni, *Delitti di mero affetto*, P. I, Cap. II, § 6); vel post factum est accipiendum (Niccolini, *Del Tentativo*, Lez. I, § 10). Nihilominus fatendum est, olim in foro obtinuisse ea Farinacii, Clari, Carpzovii (illius aetatis in re criminali facile principum) doctrina: *Affectus et conatus ad delinquendum punitur, etiamsi non sequatur effectus* (Clar., Lib. V, § ult., 2, 91); et in eam interdum pedibus ivisse plures ex Nostris.

(33) Lugo, *De Fide*, XXIII, 9; Croix, VII, 48. Puta, si quis haeresim suam verbis prodat, nemine audiente; vel scripto, nemine inspiciente etsi scriptum illico igni tradiderit (V. § 146, n. 16). Quid, si lex in delictum manifestum *dumtaxat*, seu *notorium* animadvertat? Et manifestum, notorium, accipere debemus quod tale est *per sententiam* quae transierit in rem iudicatam (Navarr., 25, 73; V. § 122, n. 29); *vel per confessionem factam in iure* (ergo extra ius facta non nocet. Navarr. 27, 73; Sayr., VII, 12, 6; ib. Silvest., Tolet., etc.), *vel per probationem legitime notam, aut per evidentiam rei, quae aliqua tergiversatione celari non possit* (C. 10, *De Cohabit. Cleric.;* C. 24, *De V. S.*).

(34) V. § 297, n. 4. Et ita tenere debent omnes quotquot tenent, voluntarium in causa esse peccatum solum *denominative* (§ 157, n. 18). Itaque, si ebrius blasphemavit, licet id sanus praeviderit, non incurrit poenas blasphemantium (V. Azor., Par. I, Lib. I, Cap. VII, v. *In hac re*). Alii aliud putant.

(35) L. 3, *De Off. Praesid.;* C. 3, *De Paroch.;* C. 21, *De S. E.;* Clem., I, *De Sent. et Re Iudic.* Idest, ut in eo territorio, in quo deliquit, sit *incola*, aut *advena* (§ 85; S. Alph., I, 156; VI, 591; VII, 27); aut, quod mihi difficile est (V. § 86, n. 42), *vagus* (Schmalz., II, 2, 18; Thesaur., I, 26). Et nec Metropolitani in subditos suffraganeorum, praeterquam in causa appellationis, animadvertere possunt (C. 1, § 4, *De Foro Comp.;* C. 5, *De S. E.* in 6°); in ipsos autem suffraganeos (in eadem causa) animadvertere, eorum officialibus vetitum est (C. 1, § 1, *De O. O.* in 6°).

(36) Suar., V, 5, 5; Salm., 10, 1, 107; ibique Bonac., Diana, Conin., etc.; S. Alph., VII, 22. Licet in ea dioecesi quasi dumtaxat domicilium habet, si quid opinor (V. § 86, n. 35, § 205).

quit dum peregre agit, sive suae, a qua abest, dioecesis legem violaverit, sive alienae, in qua moratur, neutrius poenas incurrit: non suae, quia *ius dicenti extra territorium impune non paretur* (37), nisi forte delictum in sua dioecesi noceat (38); non alienae, quia non est subditus eius loci (39); ac proinde nec utriusque, si forte in utraque dioecesi eadem poena sit constituta (§ 205, n. 44). Nihilominus peregrinus factus subditus ratione delicti, etsi non teneatur poenis f. s., quae in eo loco vigent, quia legem naturalem (§ 86, n. 36) non poenalem (§ 296, n. 2) violavit, coerceri poterit (prout incola, et advena) officio iudicis ubi deliquit, si, antequam inde discederet, citatione praeventus fuerit (cit. § 86, n. 37).

(37) L. 20, *De Iurisd.;* L. 3, *De Offic. Praesid.;* L. 53, C. *De Decur.;* C. 2, *De Const.* in 6°; C. 1, *De Priv.* in 6° (Lugo, *Resp. Mor.,* VI, 22). Sed necesse est, ut in eo domicilium habeat, vel quasi domicilium (S. Alph., VI, 591, v. *Incurret*). Idem iuris est, si deliquerit in loco exempto (Ex C. 7. *De O. O* in 6°; C. 1, pr., *De Priv.* in 6°; Suar., V, 4, 5; S. Alph., I, 156, V. Not. II; VII, 24). Deliquisse autem quis intelligitur *ubi delicta vel commissa vel inchoata* sunt (L. 1, C. *Ubi de Crimin.;* Suar., V, 49; V. S. Alph., VII, 22). Et haec nemo dubitat, si Episcopus poenam tulerit *per statutum:* at si eam tulit per *sententiam universalem* (§ 306) multi putant, etiam delinquentes extra territorium poenam incurrere (Cf. Suar., Disp. 3, Sect. 5; Bonac., Disp. I, P. XI, nn. 6, 15). Scilicet, aiunt, hoc inter *statutum* et *sententiam* interest, quod illud obligat intra territorium dumtaxat, haec vel extra territorium obligat (Suar., n. 18). At quo iure, sodes, innititur haec distinctio? Nam haec verba *lex, statutum, sententia,* in iure canonico promiscue accipiuntur (V. C. 3, *De Paroch.;* CC. 21, 29, § 4, *De S. E.;* C. 2, *De const.* in 6°; C. 8, *De Privil.* in 6°), et ex ipsis Decretal. et Clementin. Titulis *De Sent. Excomm.*, palam apparet. Et eam distinctionem reiiciunt Panorm., in C. 1. n. 11, *De S. E.;* Navarr., 27, 273; Covarr., in C. *Alma*, P. 1, § 10, n. 3; Silvest., *v. Excomm.,* II, n. 5; Laym., IV, 5; Ronc,, Quaest. IV, q. 3. Et iure prorsus. Nam si vera esset, in *sola* legislatoris *voluntate* positum foret, subditos suos vel extra suum territorium suis legibus obligare; quod et a iure tum canonico, tum civili remotissimum est (V. §§ 161, 205), et ipsismet huius sententiae patronis merito displicuit (Bonac., n. 6). Verum hoc non pertinet ad Praelatos Regulares, quos (cum territorium non habeant) coercere posse suos subditos ubicumque existunt, recepta sententia est (S. Alph., VII, 20).

(38) V. § 205, n. 47. V. c., si parochus suam deseruerit ecclesiam (C. 11, *De Cleric. non resident.*).

(39) Ex C. 1, *De Raptor.;* C. 21, *De S. E.;* C. 1, *De Privileg.* in 6°; Bened. XIV, C. *Gravissimo*, 31 Oct. 1749; Suar., V, 5, 7; Engel, V, 39, 34; S. Alph., VI, 591. Quamvis lex et poena latae fuerint ab Episcopo *tamquam delegato Sedis Apostolicae,* si haec delegatio sit a iure, quippe recidit in potestatem ordinariam; utputa, si vetuerit sub censura colloqui cum monialibus (S. Alphons., VII, 243; V. § 73, n. 23). Sed is qui ante discessit, condemnari poterit in loco ubi domicilium habet, ad instantiam partis (Soto, Avila, Bonac.; Salm., 10, 1, 113). Porro haec nihil commune habent cum *reservationibus*, quae pertinent ad ab-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

313. Denique si officium iudicis intervenerit, ut sententia, seu condemnatoria, seu declaratoria, reum teneat, necesse est, ut is *rite* condemnatus fuerit (40). Ex hoc capite oportet: ut reus condemnatus fuerit a suo iudice; ut iuste; ut servato ordine iuris. – *A suo iudice;* eo, scilicet, cuius subditus est ratione domicilii, vel quasi domicilii; vel cuius subditus factus est ratione delicti (41). — *Servato* etc.; proinde necesse est, accusatum citare, eique contestari crimen, cuius reus postulatur (42): sententia autem continere debet delictum a reo perpetratum (43) et *speciem* poenae luendae (44); et in scriptis ferenda est (45); et in iure est publicanda, ac dein intimanda (46). Sed in primis necesse est, ut *iusta* sit con-

solvenda peccata iam perpetrata, et poenas forte iam incursas.

(40) L. 4, § *Condemnatum, De Re iudic.* - Ibi: *Condemnatum accipere debemus eum, qui rite condemnatus est, ut sententia valeat.* Secus, si poena est f. s., *poena* ipsa; sin est l. s., *sententia* in foro fori non intelligitur (V. Engel, V, 32, 9; ibiq. Navarr.).

(41) C. 2, *De Poen.* Ideo is qui suae dioecesis, in sua dioecesi, legem violavit, postquam in aliam dioecesim domicilium transtulit, nec ab illius (L. 1, C. *De requir. reis*), nec ab huius (C. 15, *De Foro Compet.*) Episcopo iudicari et puniri potest: nam *illius* subditus non est; *huius* nullam legem violavit. Idem iuris est, si in ea quasi domicilium fovebat, hoc relicto. Item, si factus subditus ratione delicti, discessit, nondum citatione praeventus: et patet ex dictis.

(42) L. 3, *De accusat.;* L. 3, § 1, *De Requir. reis;* C. 4, *De Accusat.*

(43) Ex cit. L. 3, et C. 24. Sed non est opus exprimere *causam* (rationem) iudicandi, quae nempe iudicem movit (C. 16, *De sent. et re iudic.*). Dixi *rationem,* nam alias causa est delictum, propter quod poena irrogatur (C. 1, *De S. E.* in 6°): quae duo permiscere videtur (Suar., 3, 13, 5).

(44) Suar., 3, 2, 7. – V. c., *suspensionem, excommunicationem* (S. Alph., VII, 53). Nec satis est declarare crimen cui poena cohaeret (Ex L. 3, *De Sent. et Interloc.*): v. c., Titium incidisse in crimen haeresis (V. Lugo, *De Fide,* XXII, 5, 8); licet adieceris, eum idcirco incurrisse omnes poenas, vel censuras in iure statutas (V. Salm., 10, 1, 62; 3, 15). Et si disiunctivam poenam continet, v. c., *subiaceat excommunicationi, vel interdicto; sit suspensus ab officio: vel beneficio,* utrum valeat, incertum est (V. S. Alph., VII, 62); et ideo neutra tenebit (§ 309, n. 3). Quid si poena, non officio iudicis lata fuerit, sed praecepto aliquo; v. c., si iussus fuerit, aliquid facere sub poena suspensionis vel interdicti, nec obtemperavit? Sayrus et Bonac. utramque poenam eum incurrere putant; contra Navarr. et Silv. neutram; Salm. et S. Alph. (*l. c.*), una earum spreta, alteram deberi putant: prior sententia incivilis est, quia in obligatione alternativa unum debetur (L. 27, *De Legat.,* II); secunda S. Alph. (*l. c.*) probabilis; tertia verior (§ 248, n. 1).

(45) C. 5, *De Sent. et Re Iudic.* in 6°.

(46) Cit. C. 5, Idest recitata palam in iudicio (L, 5, C. *De Sent. et Inter.*); vel quo alio loco Episcopus maluerit (Ex C. 7, *De O. O.* in 6°). *Intimanda* ex *Instruct.* S. C. Epp., confirmata a SS. D. N. Leone XIII, 11 Iun. 1880, art. 36 (V. S. Alph., VII, 60, etc.).

demnatio: erit autem iusta, si iudicatum sit ex actis et probatis, ex rei veritate, et ex iure (47). Quamobrem si quis condemnatus fuerit ex actis quidem et probatis, sed non ex rei veritate, sententia erit iniusta *materialiter;* sin, contra, ex rei veritate, sed non ex actis et probatis, erit iniusta *formaliter,* ideoque neutra in conscientia tenebitur (48): eoque minus tenebitur, si haec lata fuerit contra legem manifestam (49). Amplius, etsi condemnatio fuerit iusta, si condemnatus intra decem dies a sententia appellaverit, iurisdictio eius, qui sententiam dixit, in suspenso est ipso iure; ac proinde sententia quasi pro non lata erit; nisi aliud in iure sit expressum (50); et, si fuerit revocata, evanescit.

(47) V. Engel, V, 39, a n. 106.

(48) Soto, III, IV, Art. 5; Suar., IV, Disp. 7; S. Alph., VII, 68, 334. Ita TT. contra I. C. existimantes, in priori casu sententiam valere (V. Sayr., I, 17, 7). Sed rectius Nostri; nam si iudex reum condemnavit ex actis et probatis, sed non ex rei veritate, innocentia condemnatum tuetur (Ex C. 1, *De Sent. et re iudic.* in 6°); sin ex rei veritate, sed non ex actis et probatis, non videtur quasi iudex sententiam dixisse, quia excessit fines mandati (Ex C. 75, 11, 3). Itaque sententiis huiusmodi non paretur impune; dummodo omne hallucinationis periculum, et omne scandalum absit (S. Alph., IV, 279; VII, 68). Verum quae est tantum materialiter iniusta, in foro externo servanda est (Tolet., I, 11, 3); nam, quod ad iudicem pertinet, iusta est (Engel, n. 107): nec sine contemptu publicae potestatis violatur.

(49) L. 19, *De Appellat.;* C. 1, *Eod. tit.;* C. 1, *De Sent. et re iudic.;* C. 4, *De Iudic.* Haec sententia nullius momenti est ipso iure, prout ea quae fertur a iudice incompetenti: et ideo utraque dicitur *nulla* (V. Tolet., I, cap. XI).

Nihilominus scandalis cavendum est: quamobrem si publice existimetur, sententiam rite latam (vel praeceptum iustum) fuisse, grave est illam, vel hoc violare. Verum, quia is qui haec violat, solam caritatem laedit, poenas, quae haec violantibus constitutae sunt, non incurrit; atque ideo, v. c., sacerdos excommunicatus vel suspensus, si celebrat, non fit irregularis (Salm., 10, 1, 207; S. Alph., VII, 68).

(50) C. 40, *De appellat.;* C. 10, *Eod. tit.* in 6°. Et velut extinguitur (L. 1, § ult., *Ad S. C. Turpil.*): ideo nihil innovari potest post eam interpositam (L. Un., *Nihil novar. appellat. interpr.*); immo nec medio tempore, idest inter sententiam et appellationem (C. 7, *Eodem*). Porro appellatio definitur a *iudice inferiori, ob gravamen illatum vel inferendum, ad superiorem iudicem, vel ad Rom. Pont. facta provocatio* (V. Reiff., II, 28, 3), Sed interponenda est intra *decendium,* seu decem dies (C. 15, *De Sent. et re iudic.*), continuos (V. Reiff., n. 160), a die, non latae *(publicatae)* seu recitatae (contra C. 53, § 1, *De Appellat.*), sed denunciatae sententiae (Cit. Decret. S. C. Epp., 11 Iun. 1880, art. 38), civiliter (Regulament. Greg. XVI, Art. 338), et non naturaliter (V. § 39, n. 6), computandos. Appellatione in Curia iudicis *a quo* interposita, is necesse habet acta omnia ad iudicem *ad quem,* seu *appellationis,* STATIM remittere; isque, visa appellatione, appellanti denunciare, ut intra dies 20 (a denunciatione) defensorem constituat: quibus inutiliter elapsis, appellatio *deserta* erit pronuncianda (Cit. Decr. 1880, AA. 40-42; V. C. 14, *De S. E.* in 6°).

ART. III. *De poenis a reo subeundis.*

314. Quae hic dicturi sumus, pertinent cum primis ad poenas latae sententiae: in his igitur ante omnia dispiciendum est, utrum poena sit positiva an negativa. *Positiva* ea dicitur quae *in facto* consistit; idest, quae sine facto aliquo nostro, vel alterius, subiri non potest; ut puta, publicatio bonorum, carcer, exilium, mulcta: *negativa* ea est, quae consistit *in iure;* idest, quae vel privat aliquo *iure quaesito*, velut officio, beneficio, iurisdictione, iure suffragii (51); vel eo acquirendo facit inhabilem, idest, quae, in odium patrati criminis, nobis *adimit capacitatem,* seu canonicam, seu civilem, seu naturalem, faciendi, acquirendi, contraendi (52): quibus prope accedunt quae, in odium admissi delicti, licet ab alio fuerit admissum, id, quod actum est, irritum infectumque esse iubent (53).

315. Principio igitur, cum et humani legislatores praecipere nequeant ea quae sunt nimis ardua et difficilia, et poena in patiendo, non in faciendo, suapte natura consistat, poenae positivae non tenent ante sententiam iudicis (54): etsi in lege cautum sit, ut incurrantur *ipso facto*, *ipso iure*, immo etiam *nulla declaratione praemissa* (55) (nisi aut leviores sint, aut eiusmodi quae officio iudicis

Si causa acta fuerit penes SS. Urbis Congregationes, resolutione Partibus per R. D. Secretarium significata, pars victa potest intra decem dies postulare, ut iterum audiatur (S. C. Epp., 5 Sept. 1834, AA. n. 12). Verum haec ad mandata et provisiones Ordinariorum non pertinent (§ 94. n. 30).

(51) Suar, *De Legib.,* V, 8, 2; Salm., 11, 2, 58; S. Alph., III, 112, q. 3.

(52) Salm., n. 62; Suar., n. 8. *Canonicam;* ut puta, quae haereticos (C. 2, *De Haeret.* in 6°) vel simoniacos ad Parochias examinatores (Trid., XXIX, *R.,* 18) reddit inhabiles ad obtinenda beneficia ecclesiastica. *Civilem;* veluti quae mortuos civiliter prohibet foro, et muneribus publicis (§ 118). *Naturalem;* ut puta, quae matrimonium inter reos *criminis,* vel inter raptorem et raptam, consistere vetat.

(53) Sanch., *M.,* III, 4, 9; IX, 32, 18; Suar., *De Legib.,* V, 19, 7; Salas, *De Legib.,* XVI, 2. Ut in C. 27, *De Elect.* in 6°. Quidam negant, esse poenas; sed minus recte (V. CC. 20, 48, Eod.; C. 20, *De Rescript.*).

(54) Ex C. 19, *De Haeret.* in 6°; L. 29, *De Iure Fisci;* Sot., *De Iust.,* I, VI, 6, ubi latissime; D. Th , 2, 2, 62, 3; Suar., *De Legib.,* V. 8, 3; S. Alph., I, 148; III, 112. Q. 3. Et de his, quae sine facto nostro irrogari non possunt, tenendum est, non aliter obligare ad eas sponte sua subeundas, quam si lex tam evidenter id iubeat, ut aliter interpretari nequeat *sine corruptione, vel magna extorsione verborum* (Suar., *De Legib.,* V, 7, 5). Huc pertinent leges, quae iubent restitui accepta ex turpi causa, vel lege prohibente; ut puta simoniace (Suar., *De Simon.,* 59, 23; V. Salm., 13, 1, 154).

(55) S. Alph., III, 112, q. 3; 472. *Et est commune inter Doctores*

irrogari non possunt, vel irrogari (56) non solent): nec post sententiam reus cogitur, sese eis luendis offerre (57). Negativae, siquidem officium, aut ius aliquod quaesitum adimunt, ipsae quoque egent sententia iudicis (58); exceptis censuris, et irregularitatibus, de quibus propediem. De his, quae acquirendi capacitatem adimunt, non satis convenit: nam quidam tenent, nulla indigere sententia iudicis declaratoria; alii contra putant (59). Mihi prior sententia videtur *verior* (a qua in foro externo vix recedimus, aut ne vix quidem); posterior *tuta* in foro conscientiae. Et idem de poenis irritantibus quoque tenendum puto.

(Salm., 11, 2, 61). Ut in Cap. 1, *De Homic.* in 6°. Extr. *Ambitiosae.* - *Etsi millies id dicant* (Sot., *loc. cit.*). Licet poena subiri possit citra omnem infamiam (S. Alph., III, 512, 3). Scilicet, 1° quia nemo potest inauditum reum condemnare (C. 1, *De caus. poss.*); 2° quia a naturali aequitate alienum est, ut idem sit reus, et iudex, et vindex (Sot., VI, 1, 6, Concl. 1); demum, 3° quia haec lex *esset nimis acerba, vel iniqua* (Suar., *De Legib.*, V. 5. 8): vel saltem *durissima esset, et ad nihil aliud utilis, quam ad illaqueandas animas* (Lugo. *De Iustit.*, XXXVII, 134), Itaque dicendum est, aut aliter interpretandam esse, aut non esse usu receptam (Lugo, n. 135; Sanch., *D.*, II, 22, 20). Nec ideo supervacanea sunt ea verba *nulla declaratione*, etc., nam etsi nulla declaratione *poenae*, at certe *criminis* declaratione opus est (S. Alph., I, 148).

(56) Suar., *De Legib.*, V. 6, 16; S. Alph., VI, 1074, 10. Velut ieiunium, recitatio precum etc.: ut ea quae privat coniugem incestuosum iure petendi (Sanch., *M.*, IX, 20, 14); vel mortuum sepultura ecclesiastica: scilicet alias derisoriae essent huiusmodi poenae.

(57) Thesaur., P. I, Cap. 37. Nec, verius, eis exequendis cooperari sponte sua (Cf. Suar., *l. c.*, Art. 5, 10, etc.).

(58) Ex L. 15, *De Donat.*; S. Alphon., III, 472. *Probabilissima* (S. Alphon., III, 112, q. 3). Acquisitum, *vel quod acquiri coeptum est* (Salm., 11, 2, 59); utputa, quae privant voce activa, aut passiva (Molina, II, 96; Sot., VI, I, 6, Concl. 2; Sanch., *M.*, IX, 30, 2; Less., II, 35, dub. 26; Thesaur., I, 85; Filiucc., X, 264). Lugo, licet in Tr. *De Fide* (XXIII, 138) dixerit, nolle se quidquam *decidere*, in Tr. *De Iust.* (XXIV, 69) tenet, eos, qui ob aliquod crimen testamentum facere prohibentur, iure sive civili, sive canonico, testamenti factionem *ante condemnationem* non amittere, Eoque minus tenent ante sententiam iudicis illae, quae aliquid poenae positivae habent admixtum (Suar., *De Legib.*, V, 8, 3); v. c., quae adimunt beneficium aliquod (Suar., 40, 2, 22), munus, officium (S. Alph., *H. A.*, II, 25), ius patronatus; ut Trid., XXII, *R.*, 11 (Suar., *De Legib.*, V, 8, 7). Alii contra putant; alii distinctionibus utuntur (V. Thesaur., I, 28, q. 3, 29, 2, 1).

(59) V. Soto, I, VI, Art. 6; Suar., *De Legib.*, L. V, Cap. IX; Thesaur., Par. I, Cap. 35; S. Alph., I, 149, priori; VII, 54, posteriori adhaesit, ex Croix (VII), qui hanc tenet verbis disertissimis; et Sanch., contrariae patronus (*M.*, IX, 30, 4), eam probabilissimam vocat. Itaque exceptis censuris, irregularitatibus, et his poenis quae officio iudicis irrogari non possunt, vel irrogari non solent, utrum alia poena sit, quae non egeat sententia iudicis saltem declaratoria, satis incertum est.

316. In poenis conventionalibus non idem prorsus iuris est. Nam, cum et poenae et pacti habeant aliquid, ex uno capite poena conventionalis non incurritur sine peccato letali (60); ex altero vero incurri ante omnem sententiam verius est (61). Nihilominus, si in positivam recidit, prout illae quae nos *damno* aliquo afficiunt (§ 306, n. 9), neque hanc tenere ante sententiam iudicis, aut verius est, aut aequius certe (62). Ad ultimum, cuiuscumque generis poena sit, cum non teneat nisi postquam delictum consummatum fuerit, vel habuerit effectum (§ 298, nn. 26, 27), reus, quamdiu de hoc certus non est, non cogitur in foro conscientiae poenam subire. Verum de hoc paullo latius agendum est.

317. Itaque in poenis et maxime in censuris) dubiis semper pro reo respondendum est (§ 309), seu factum (delictum), seu ius dubium sit; seu positivum sit dubium, seu negativum (63). Et I. si *factum*; nempe si dubites: 1° utrum deliqueris, vel utrum graviter (64); sive, 2° utrum delictum consummatum fuerit, vel utrum habuerit effectum (65); sive demum 3° si poena est f. s., utrum sententia lata fuerit, an minus (66). II. *Ius*, idest, 1° cum non

(60) V. Less., II, 34, 100; Suar., *De Legib.*, V, 8 a n. 10; Lugo, *De Iust.*, XXII, 398.

(61) Suar., *De Legib.*, V, 8, 9, etc.; S. Alph., I, 149.

(62) Ex C. 19, *De Haeret.* in 6°; V. Lugo, *l. c.*, n. 408. Dixi *quae damno*, etc.; nam quae lucro nos prohibent, cum plus pacti habent (§ 306, n. 9), vix poenae dici possunt: ac proinde accepta ante omnen sententiam restituenda sunt (Alex. VII, 20): nempe quasi *ob* causam promissa, causa non secuta (Ex LL. 1 et seqq., *De Condict. caus. data*).

(63) S. Alph., VI, 600; VII, 67. Porro dubium facti, et dubium iuris, cum lex est incerta (non cum obscura), recidunt in ignorantiam.

(64) V. D. Th., Quodl. IV, 14. - *Utrum deliqueris* (L. 1, § *Item, Ad S. C. Syllan.*). *Poena ex dubio delicto non oritur* (Suar., 40, 6, 5): *Nec recedendum est ab hac regula tam rationi consona* (S. Alph., VII, 347). Item, si censura adnexa sit adulterio, qui mulieri commiscet, dubitans an sit aliena, non tenetur censura quamdiu ignorat nuptam fuisse (Spor., *De Poenit.*, 733). Vel *utrum graviter* (S. Alph., *ll. cc.*); sive circa *actum internum* dubium versetur, idest si *merito* dubites, an feceris compos tui , vel plena animi deliberatione (Salm., 6, 13, 15); sive circa *actum externum*, v. c., in dubio probabili, an clericum percusseris graviter (S. Alph., VII, 67).

(65) Salm., *l. c.* Ut puta, si quis mandaverit Caio dare abortivum puellae praegnanti, non tenetur *excommunicatione* quamdiu ignorat datum fuisse; et, si constet datum esse, quamdiu ignorat mulierem eiecisse; et si eiecisse constat, sed non appareat, utrum fetus inanimatus fuerit, an animatus, cessat *irregularitas* (S. Alph., III, 396): si aliquem vulneraveris, quamdiu ignoras fuisse interemptum; nisi probabilissimum sit, interemptum fuisse (S. Alphon., VII, 347, d. 3; V. § 130, n. 30).

(66) V. Salm., n. 210. Et si lata fuit sub conditione, vel in diem, utrum conditio, vel dies extiterit (S. Alphons., VII, 66).

satis appareat, utrum poena sit adnexa delicto a te perpetrato (67); vel, si constet esse adnexam, 2° utrum tu legi, vel poenae huiusmodi sis obnoxius (68); vel, si ei es obnoxius, 3° utrum sit latae, an f. s. (69). At vero si poena irrogata fuit praecepto aliquo, vel officio iudicis, pro eo respondendum erit, quia in possessione est, atque ideo contra reum, 1° quoties non apparet manifeste, praecipienti vel iudici defuisse potestatem, vel praeceptum, aut sententiam fuisse nullam vel iniustam (70); 2° quamdiu ignoratur, utrum suo tempore appellatum fuerit (71), vel utrum fueris absolutus (72); et, si absolutus fuisti sub conditione suspensiva, 3° quamdiu dubitatur utrum haec fuerit impleta; et planum est.

318. Ad haec, multa sunt quae reum excusant a poenis vel incurrendis, vel subeundis. Ab incurrendis excusat, naturali iure, quidquid excusat a peccato letali (in levia vix animadvertitur). Iure positivo, excusat metus qui a lege humana excusat (73); idest iniustus, et gravis, seu absolute seu relative (74). Denique, ex indulgentia iuris canonici, excusant aetas, et ignorantia. Aetas

(67) Salm., 10, 1, 208. V. c., si receptaveris haereticum, qui nihilominus deprehensus fuit (§ 302); si alium clericum pro alio (§ 366), vel eremitam (§ 365) percusseris.

(68) V. S. Alph., VII, 27. Peregriuus forte, vel exemptus, vel impubes.

(69) Salm., 10, 1, 210; S. Alph., VII. 66. Verum, in casibus supra recensitis, is qui dubitat, inquirere debet, utrum revera poenam (v. c., excomm., irregularitatem) contraxerit, si quid facere velit, quod facere per eam non licet (v. g., celebraturus, vel ordinandus), ne rei forte illicitae faciendae periculo se committat.

(70) D. Th., Quodl. IV, 14; Sayr., I, 17, 14; Salm., 208; S. Alph., VII, 67, 68.

(71) Salm., 10, 1, 210; S. Alph., VII, 66.

(72) Croix, VII, 123; S. Alph., *l. c.* Ceterum asserenti se absolutum fuisse, in foro interno (§ 25, n. 17) fides adhibenda est (S. Alph., VII, 160, IV).

(73) Ex CC. 15, 28, *De Sponsal.* Scilicet, poena adnexa est legi humanae (§ 296), cuius nulla, regulariter, est obligatio cum incommodo gravi. Atque ideo excusat, etsi non excuset a peccato letali, si id, quod quis admisit, vetitum sit etiam naturali iure (V. Suar., Disp. VI, 3); ut puta, si quis clericum occiderit iussus, alias ipse occidendus (Salm., 10, 1, 204; S. Alph., VII, 46). Unus casus excipitur, si velit aliquid extorqueri in contemptum Clavium (C. 5, *De iis quae vi;* Suar., S. Alph., *ll. cc.*).

(74) V. § 138. Nempe, cum poena subeunda est ab eo qui metum patitur: nam si lex poenis animadvertit in eum qui metum facit, isque metum incusserit *per se* levem, licet *relative* gravem, eximitur poenis, quia, usu iuris, metus gravis intelligitur qui *per se* talis est: et nos accipire debemus quod favorabilius est reo (Suar., 23, 4, 11; Sanch., *D.*, IV, 4, 4). Quidam putant, metum non excusare in his, quae ex voluntate nostra statum capiunt (Suar., 2, 5, 4; Salm., 10, 8, 61); ut ecce, si aliquem rebaptizaveris, quia poteras interius nolle: vereor ne verum sit; primo quia simulatio illicita est, deinde quia vix TT. de hoc cogitant, et forte, in ea perturbatione, ne TT. quidem.

excusat impuberes (75). Ignorantia potest esse vel facti, vel iuris, vel poenae. Ignorantia facti, vel iuris, excusat (76) etiam in foro externo, quippe ad hunc forum cum primis canones pertinent: *nempe ut animarum periculis obvietur* (77); atque ideo, etsi ignorantia letali non careat; quae verior sententia est (78). Scilicet vincibilis semper (79); crassa, lata, supina, quoties poena lata est in eos qui *temere* aliquid faciunt, vel facere *praesumunt* (80): immo

(75) CC. 1, 2, *De Delict. puer.;* CC. 1, 60, *De S. E.;* S. Alph., I, 155; VII, 14; Sanch., *D.*, 1, 12, 8; ibiq. Sotus, Suar., etc.; Berardi, *I. E. U.*, Lib. IV, Par. II; Diss. III, Cap. IV, in fi. Nisi aliud in jure sit expressum; ut in violantes clausuram monialium (Trid. XXV, R., 5.).

(76) CC. 4, 5, Cau. 1, q. 1; C. 48, § 1, *De S. E.;* Trid., XXIV, *R. M.*, 5; Sayr., VII, 8, 16. - *Facti;* veluti si quis percutiat Clericum, laicum putans (C. 4, *De S. E*). *Iuris* (Ex L. 38, § *Nam si, Ad L. Iul. De Adult.*); eius, inquam, a quo poena constituta fuit. Sed in foro externo ita demum excusat, *si probabilis,* idest verosimilis, videatur (§ 183, n. 30); ut puta, si saepta monasterii ingrediatur quis, nesciens id vetitum esse (Ex C. 9, *De Cler. excommun.*): etsi rem fecerit vetitam naturali iure, et sciens volens fecerit; e. g., si adulteravit (C. 2, Dist. 82; Salm., 49; S. Alph., VII, 43, 350; VI, 1072).

(77) Ex C. 2, *De Const.* in 6°; Bonif. VII. Hoc multo antea constitutum fuerat a S. Greg. VII favore eorum, *qui, partim ignorantia ... partim timore,* cum excommunicatis communicabant (C. *Quoniam,* 3, Cau. 11, q. 3). Porro licet Greg. VII declaraverit verbis disertissimis, se hos subtrahere vinculo excommunicationis, *Apostolica auctoritate,* nihilominus veteres quidam TT., quibus accessit Suar., haec de ignorantia *inculpabili* intellexerunt; nempe, eo quod alias *multum derogatum* fuisset *severitati excommunicationis* (Suar., 15, 3, 3). Quorum sententia aliis, et in primis S. Alphonso, merito displicuit, *quia ignorantes inculpabiliter ipso iure naturae excusantur* (S. Alph., VII, 203).

(78) Sanch., *M.*, IX, 32, 31. Negant alii, in his S. Alph., VII, 45. Sed en cit. C. 2: *Ut* ANIMARUM PERICULIS *obvietur..., ligari* NOLUMUS *ignorantes, dummodo eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina.* Ait Pontetifex *nolumus*: ergo ignorantia excusat ex indulgentia legislatoris: atqui *ignorantia quae excusat a culpa* mortali, excusat ipso naturali iure (Suar., 31, 1, 59; S. Alph., VII, 205, 348) - Ait iterum: *Ut animarum periculis obvietur:* sed *nullus perit ex ignorantia* quae levem culpam non excedit (Ex S. Alphons., VII, 205). Paucis: legislator ignorantiam aut levem, aut gravem intelligit: si levem, verba dat, quia si levis est culpa, ignorantia excusat per se, nam poenae regulariter cessant ubi levis est culpa (S. Alph., VII, 31, 34): ergo gravem, idest letalem, intelligit. Ad ultimum, quod a S. Greg. VII in *uno* casu cautum fuerat, hoc a Bonif. VIII, ob eamdem prorsus rationem, ad *omnes* productum est: quidni igitur, si in illo excusat *ignorantia culpabilis* ET CRASSA (S. Alph., VII, 205), idest *letalis* (V. § 132, n. 45; S. Alph., VII, 45), et in aliis excuset? Porro cit. C. 2 loquitur de poenis statutis a locorum Ordinariis, sed et ad eas quae statutae sunt iure canonico trahendum est (Engel, V, 39, 18; Silvest.; Navarr., 27, 16): eadem est ratio.

(79) Silv., v. *Excomm.*, q. 3; Palaus et Sanch., *l. c.;* Ex cit. C. 2.

(80) Suar., *De Legib.*, V, 12, 14; S. Alph., VII, 47. Scilicet PRAESU-

et affectata, si poena constituta est adversus eos, qui *consulto*, qui *scienter* aliquid fecerint; quae plurium sententia est (81), et mihi verior. Quoties autem excusat ignorantia, inadvertentiam quoque et oblivionem excusare, ex alias dictis palam est (82). At ignorantia poenae nullam excusationem habet (83) (nisi forte poena sit ex-

MERE hoc loco est *audere, attentare aliquid contra ius* (Duard., L. II, Can. 13, q. 8); et *dolum ac scientiam denotat* (Id., III, § 3, q. 3, n 2, Sanch., *M.*, II, 40, 4; ibique Silvest., Navarr., etc.; S. Alph., VII, 47). TEMERE autem *id fieri dicitur, quod scienter perpetratur* (Duard., Lib. II, Can. 9, q. 33, n. 2; ibiq. Silvest., ex C. 13, *Qui filii sint legit.*); et ideo necesse est, ut fiat *ex certa scientia, et directa voluntate* (Suar., 37, 1, 1); *ex contemptu regulae dirigentis* (D. Th., 2, 2, 53, 3 ad 2). In summa, ad incurrendam poenam latam in *praesumentes* facere, vel *temere* facientes, opus est, ut quis delinquat sciens. prudens (Sanch., *M.*, IX, 32, nn. 35, 38; Bonaci., To. 3, Disp. II, Quae. 3, P. 31, n. 48; Thesaur., Par. II, v. *Homicidium*, Cap. IV, v. *Quarto*); et Duard. (III, § 3, q. 3, n. 2) reprehendit Ugolinum contra sentientem. Nisi eius ignorantia adeo crassa et supina sit, *ut ingens temeritas videatur* (Sanch., *M.*, II, 40, 4; IX, 32, 39). *Communissima:* idest, nisi facienti probabilissimum sit, se legem violare (V. § 130, n. 30).

(81) Salm., 10, 1, 199, ibique Silvest., Sanch.; Lemk., II, 886. Quaestio elegans est, utrum ignorantia affectata sit aequiparanda scientiae (V. S. Alph., I, 169; VII, 48). Affirmant Suar., Palaus, aliique, quia dolo non caret: negant alii sane multi, in his Hurtado (*De Censur. in Comm.*, Diff. 21, 92), Duard. (*Comm. in B. Coenae*, Lib. II, Can. I, q. 37, a n. 5), Sanch. (*D.*, II, 10, 38), qui prius affirmantium sententiam probaverat; Diana (To. V, *Resol.* 36 2; ibiq. Filiucc.), Bonaci. (To. I, Disp. I, Quae. 2, P. 1, n. 11), Silvest., Avila, Sotus, Henriquez, Azorius, Roncaglia. Hanc sententiam S. Alph. (*H. A.*, XIX, 8) *reapse non improbabilem* dicit: sed quidni, cum Diana, aeque probabilis, immo cum Bonacina et Salm. (*ll. cc.*) probabilior dici possit? Etenim *certum est, quod qualicumque ignorantia quis aliquid faciat, non facit scienter* (Navarr., 27, 141), quia *ignorantia, undecumque proveniat, tollit scientiam* (Lugo, *De Fide*, XXI, 104). Quid, quod is, qui legem transgreditur sciens prudens, legem aperte contemnit (Lugo, *De Poenit.*, XV, 183; Salm., *l. c.*), qui causat ignorantiam illam adhuc vereri videtur? Sed et ipsum ius canonicum haec distinguit in C. 3, § *Si quis, De Clandest. Despons.;* et in C. 1, *De ordinat. ab Episc. qui Episc.* Existimo ergo, hanc sententiam omnino, quia versamur in odiosis, tenendam esse; nisi forte canones expresse coerceant eum, qui delinquit *scienter, seu affectata ignorantia;* ut in C. 2, *De Temp. Ordin.:* quae *exceptio firmat regulam in contrarium.* Dices: ignorantia affectata non caret dolo, dolus autem nemini patrocinari debet. Ita porro, cum agitur de fraudando iure alterius, aut leges, aut praecepta; atqui heic agitur de poena evadenda, quod nulli non licet.

(82) Suar., VI, 2, 12. *Communissima* (Laym.; Schmalz., IV, 7, 60; Salm., 10, 1, 189; 18, 4, 10; Sanch., *D.*, 1, 16, 8; Thesaur., 1, 15, q. 1; S. Alph., VII, 350, v. *Idem*). Et planum est, quippe aufert voluntarium (§§ 147, n. 24; 132, n. 46). Secus in foro externo (C. 32, *De S. E.*): in quo nec cetera excusant, nisi palam appareant (§ 25, n. 16).

(83) Suar., *De Legib.*, V, 12, 11; Alas., *De Legib.*, IV, XII, 17; Salm., 10, 1, 193.

traordinaria (84), aut medicinalis), nec is qui delinquit eximitur poenae, eo quod forte ipsum delicti poenituit ante effectum secutum (85); quia poenae ad exemplum aliorum, et ad remp· quoque tuendam pertinent. Hactenus de his quae excusant a poenis incurrendis: ab eis subeundis, si delictum latet, excusat infamia; idest, si quis, sponte eas subeudo, seipsum proderet (86). Ad ultimum, si poena lata fuit sub conditione aliqua, vel ex die, tenendum est, poenam, fictione iuris, tunc irrogari cum subeunda ea est, idest, cum conditio, vel dies extiterit: itaque si lege, aut praecepto aliquo lata fuit, cessat si medio tempore, *illinc*, lex abrogata fuerit, vel, *hinc*, resolutum fuerit ius praecipientis; utrobique vero, si reus subditus legislatoris, vel praecipientis esse desierit; v. c., mutato domicilio (87).

CAPUT III.

De Poenis tollendis.

319. Superest ut videamus, quomodo poenae, cum semel fuerint incursae, tollantur. Non loquimur de his quae irrogatae fuerunt sub conditione resolutiva, vel in diem; de his enim expedita

(84) Ex L. 6, *De Decret. ab ord. facien.;* Sayr., 1, 18, 38; Thes., 1, 35; S. Alph., VI, 1074; VII, 351. Et hoc, quod olim Suaresio tantum probabile fuit, hodie *instar regulae est* (Schmalz., V, 37, 109). Porro extraordinariae sunt (V. § 307) poenae inhabilitantes et irritantes; velut inhabilitas ad celebrandum, qua in sollicitantes animadvertitur (S. Alphons., VI, 705. Sed V. § 214, n. 16); et poenae conventionales: quamobrem si, e. g., voveris ieiunare, si posthac luseris aleis, et luseris immemor voti, non teneris ieiunio (Diana, To. V, Tr. I, Resol. 32, n. 5; ibique Sanchez).

(85) Suar., 44, 3, 5; S. Alph., VII, 368. Contra Azor. et Salm. Sed, quia horum sententia extrinsece improbabilis dici nequit, reor non esse inquietandos qui eam sequuntur in his delictis quae habent tractum successivum: v. c., beneficiatum, qui navigans, breviario in mare proiecto, horas canonicas, in ea navigatione, recitare nequivit, si postea facti eum poenituit, et ex hoc tempore fructus non restituerit (V. Salm., 16, 3, 40; ibiq. Caiet., Silvest., Sot., Suar., Sanch., etc.).

(86) S. Alphons., III, 112, q 3· – *Omnes.* Puta, si occulta excomm. irretitus a celebrando – a suffragio ferendo – ab officio acceptando – ab ordine suscipiendo abstinere nequeat, quin de se gravem suspicionem ingerat: *Nemo tenetur prodere seipsum.*

(87) Suar., 3, 4, 10, etc; V. § 249, n. 10. Sed is bifariam hoc limitat: 1° si poena in lege statuta sit; nam per legem, quae perpetua est, quasi praeventus intelligitur (iura quae allegat non cogunt); 2° si poena lata fuit ob delictum iam consummatum, v. g., ob furtum, quia factus est subditus ratione delicti, ex C. ult. *De Foro Comp.;* sed neque hoc recte (V. § 86, n. 37).

res est; nam cessant ipso iure, impleta conditione (1), vel die elapso (2); sed de his tantum quae egent absolutione, vel dispensatione. Porro *dispensatione* egent poenae, quae aliquod impedimentum praestant, uti irregularitates, et suspensiones; quae nihil praestant huiusmodi, e. g., censurae, *absolutione* solvuntur (3). Inter dispensationem vero, et absolutionem hoc distat, quod dispensatio contra legem est, absolutio secundum legem (4): atque ideo illa strictam potius, haec potius latam interpretationem recipit (5). Nobis de ea solum dispensatione, vel absolutione agendum est, quae datur in foro interno; seu conscientiae, seu sacramentali.

320. Principio igitur poenae ad forum cumprimis externum pertinent; ideo dispensari, absolvi nequeunt, nisi ab his qui habent iurisdictionem in foro externo (6). Eiusmodi vero, praeter R. P., sunt Episcopi, et, verius, quotquot episcopali iurisdictione censentur (7). Hoc primum: deinde, quia eius est solvere, cuius est ligare (§ 92, n. 16), non ab omnibus tolli possunt, licet externa iurisdictione praeditis, sed regulariter ab eo tantum qui illas tulit, vel superiore eius, vel successore, vel delegato (8). Dixi regulariter, quia hoc perpetuum non est; sed refert, utrum poena sit a iure, an ab homine.

321. Nam si est a iure, qui episcopali iurisdictione praediti sunt,

(1) Thesaur., *De Poenis,* I, 26.

(2) L. 8, *De Postulan.* Utputa, in casibus § 395, nn. II, III. Vel si quis suspensus fuerit – *quoad restituerit* – *ad mensem* – *ad annum* (Salm., 10, 5, 53), licet eo tempore, v. c., eo mense, aliquoties illicite celebraverit (Suar., 29, 1, 12). Et si plures eiusdem speciei temporarias poenas l. s. successive incurreris, vel tibi irrogatae fuerint (v. c., plures suspensiones ad mensem), tempus posterioris poenae iniri debet, non a finito prioris tempore, sed a delicto admisso, vel poena irrogata (Suar., n. 2; Sanch., *M.*, III, 50, 3); quia cum poena non *ex die* irrogatur, statim deberi incipit (§ 40, n. 22); et cum irrogatur ad certum tempus, v. c., ad mensem, mensis proximus (cit. § 40, n. 18) intelligitur.

(3) Suar., 41, 1, 4. Duo haec multi incaute permiscent (V. Suar., *De Legib.*, VI, 10, 9), seque, nosque implicant.

(4) Suar., *De Legib.,* VI, 10, 9; *De Censur.,* 29, 1, 18. Illa enim est actus gratiae, haec iustitiae (Croix, VII, 127): illa proinde causam iustam, haec poenitentiam, et satisfactionem desiderat (Salas, *De Legib.*, 20, 7, 70).

(5) Suar., 29. 1, 18.

(6) Ex C. 29, *De S. E.;* V. Suar, VII, 4, 8.

(7) Sanch., *D.,* II, XI, 5; Salm., 10, 2, 54; S. Alph., VI, 593. Ut Vicarii Capitulares, et Abbates *vere nullius* (S. Alph. *l. c.,* et Lib.. I, App. II, n. 31; Lib. VII, 79); et Praelati regulares, quoad subditos suos, ex privilegio eis concesso a S. Pio V, 21 Iul. 1571 (V. Salm., 10, 2, 62).

(8) C. 51, *De Poenit.,* Dist. 1. Quod autem ad delegatum pertinet, is cui potestas absolvendi, quae maior est potestate dispensandi, concessa fuit, vel adempta, non ideo altera, *illic* concessa intelligitur (C. 32, v. *Primo, De I. E.), hic* adempta (§ 226, n. 29): *a disparatis non fit illatio.*

quandoque absolvere possunt etiam ab his, quae iure canonico sunt introductae: nempe, 1° ex iure Decretalium in poenis l. s. incursis ob adulteria, et crimina his minora (9); 2° ex ipsa natura legum humanarum, quarum nulla est obligatio cum incommodo gravi, quoties gravis necessitas urget, et R. P. sine gravi incommodo adiri non potest (10): quoad censuras tamen reservatas V. §§ 349-350; 3° ex potestate a Concilio Tridentino eis concessa, in casibus occultis. De *illis* et *islis* expedita res est; de potestate a Trident eis decreta, nonnihil impicita: videamus igitur, 1° quidnam in potestate concessa a Conc. Trid. contineatur; 2° quomodo sit exercenda; 3° cum quibus exerceri possit.

322. Principio igitur, duplex est potestas huiusmodi; dispensandi, et absolvendi (quas multi incaute permiscent): illa pertinet ad omnes *irregularitates* et *suspensiones* ex delicto occulto, et nondum deductas ad forum contentiosum (V. § 242); haec ad omnes *casus* occultos R. P. reservatos pertinet (11), exceptis reservatis Ei *speciali modo in Const. Apostlicae Sedis* (12). Deinde, exercenda est *in propria dioecesi;* verum quia haec verba, et illa — *in foro conscientiae tantum* — ad absolutiones, non ad dispensationes pertinent (13), dubitandum non est (V. § 75), posse aliquem dispensare

(9) C. 4. § 1, *De Iudic.* Quae vero maiora, quae minora sint, aestimatur ex poenis, quibus in iure coercentur (Abb., in cit, C. 4, n. 7). Itaque minora sunt furta, sacrilegia, periuria; maiora homicidium, simonia, haeresis (Thesaur., I, 23, v. D. 4).

(10) Sanch., *M.*, II, 40, 2; Salas, *De Legib.*, XX, 3, 25; Barbo, *De Potest. Episc.*, 32, 26. Haec potestas cohaeret officio, ideoque est ordinaria; et delegari potest vel generaliter (Salm., 10, 25, 4), v. c., omnibus Vicariis foraneis.

(11) Conc. Trid., Sess. XXIV, Cap. *Liceat*, 6, *De Refor.* En eius verba: « Liceat *Episcopis* in *irre-* « *gularitatibus* omnibus, et *suspen-* « *sionibus* ex *delicto occulto* pro- « venientibus, excepta ea quae ori- « tur ex homicidio voluntario, et « exceptis aliis *deductis ad forum* « *contentiosum,* dispensare; et in « quibuscumque *casibus occultis* e- « tiam Sedi Apostolicae reservatis, « delinquentes quoscumque sibi *sub-* « *ditos in Diocesi sua* per seipsos, « aut Vicarium ad id *specialiter* de- « putandum, *in foro conscientiae* « gratis absolvere » (V. Fagnan., in C. *Dilectus*, 15, *De Tempor. ordin.*). Porro Trident. non venit in diminutionem, sed in augmentum potestatis Episcoporum (Garz., *De Benefic.*, Par XI, Cap. 10, n. 8), ideoque ei, qua iam praediti erant, nihil detraxit (Sayr., IV, 17, 20). *Exceptis deductis,* etc., ergo etsi nondum forte innotuerint. Nec refert utrum deducti iure an iniuria; hoc enim solius iudicis fori exterioris arbitrium est (Suar., 41, 2, 6).

(12) V. § 390. Quaestionis olim fuit utrum excipiendi essent etiam casus R. P. post Trident. reservati (V. S. Alph., VI, 594; VII, 79); in qua, cum hodie hi exsulent, immorari nec iuvat nec vacat.

(13) Suar., 41, 2, 10; Sanch., *D.*, II, XI, 12; Croix, VII, 472; ibique Pignatell., Pal., etc.; S. Alph., Lib. 1, App. II, n. 32, in fin.; VII, 81. Qui contra putant utrasque permiscent.

vel extra suum territorium; sive ipse, sive is qui dispensatur, sive uterque extra illud versetur (14). At vero nemo dispensare, absolvere potest, nisi *suos subditos:* ideoque cives, incolas, advenas tantum (15), et vagos (§ 86, n. 42). Porro utraque potestas ordinaria est, quippe cohaeret officio (§ 73), ideo delegari potest (16). Scilicet, potestas dispensandi delegari postest *generaliter* (17); at potestas absolvendi *specialiter* deleganda est (18). Verum de potestate *absolvendi* latius infra.

323. Hactenus de poenis a iure: si autem poena est ab homine per *sententiam particularem* (V. § 306), intererit, utrum irrogata fuerit a superiore per modum praecepti, an officio iudicis per modum sententiae; *illa* enim dumtaxat ab eo qui eam irrogavit, vel superiore eius, aut successore, aut delegato (19); *haec* a legislatore dumtaxat (20) remitti potest. Nec proderit ei, qui sive has sive illas iam contraxit, quod subinde desierit subditus esse eius qui eas

(14) Sanch., *l. c.;* S. Alph., *l. c.*, et VII, 81.

(15) V. § 86. De civibus, et incolis nemo dubitat; de advenis negat S. Alph., VI, 593; VII, 93, ex Declarat. Greg. XII. Huius declaraitonis testis est Fagnan. (*l. c.*, n. 36). Verum de ea non constat authentice (Mazzo., *De Legib.*, Qu. 1, Cap. III, IX, 2); et ipsemet S. Alph. (I, 158) de ea subdubitat, vel saltem non communiter receptam putat. Nec Auctoribus eas proferentibus, licet probatissimis, facile credendum est,qui vel ipsum Bened.XIV (V. *Notif.* 87, n. 69, et Const. *Etsi Matrimonialis*), et S. Alph., (VI, 1110, v. *Obiicit*) fefellerunt. Quid quod, ex doctrina ipsius S. Doctoris publicari debuisset? (S. Alph., I, 200, v. *His positis;* III, 1027, v. *Sed*). Verum denique ipsemet S. Doctor (I, 158, in fine) id concedit.

(16) Salm., 10, 2, 54.

(17) Suar., 41, 2, 8; Thesaur., I, 20, ubi late; S. Alph., I, App. II 34; VI, 594, d. IX; VII, 93. V. c., omnibus Parochis.

(18) Suar.; S. Alph., VII, 93. Ceterum, potestas haec a Tridentino decreta his, qui episcopali iurisdictione gaudent, exsulat ubi Conc. Trid. *nunquam* receptum fuit (S. C. C., ap. Fagn., *l. c.*, n. 25); quia onerum et favorum par est ratio (Suar., 41, 2. 6.): non item ubi receptum, postea repudiatum est (Sanchez; Lugo, *De Fide*, XXIII, 54).

(19) Ex CC. 8, 11, *De O. L.;* V. Suar., VII, 2, a n. 10; Thesaur., P. I, Cap. 24; Reiff., V, 39, 242, 250. Per *sentent. particularem,* nam si lata fuit per sentent. universalem, perinde est, ac si *a iure* lata esset (S. Alph., VII, 73; V. § 306, n. 7).

(20) L. 14, C. *De Poenis* Scilicet, *iudex, posteaquam sententiam dixit, iudex esse desiit* (L. 55, *De Re Iudic.*). Licet sententia lata in eum fuerit sub conditione, vel ex die, et his pendentibus alio domicilium transtulerit (V. § 86, n. 39). Ab ipso autem legislatore, v. c., ab Ordinario, absolvi potest etiam post interpositam appellationem (C. 10, *De Appellat.* in 6°; Sayr., II, 20, 3; Filiucc., XI, 206); immo iure canonico, verius, et a delegato, et quia lex non distinguit (Suar., 7, 2, 38), et quia appellatio favore appellantis introducta est (V. § 86, n. 37).

irrogavit: ut puta, si alio domicilium transtulit (21), si Instituto Regulari nomen dedit (22). Et si quis deliquerit in territorio alieno et is qui in eo territorio iurisdictionem habet, poenis in ipsum iure animadverterit, ab eo tantun potest absolvi (23).

324. Porro inter delicta nulla est connexio; ideo is qui plura delicta perpetravit, licet eiusdem speciei, a singulis seorsum solvi potest (24). Et si petat dispensationem vel absolutionem ab omnibus una simul, sat erit dicere, se *pluries* ea perpetrasse; immo, in actionibus eiusdem speciei repetitis in eodem subiecto, in quibus iuris effectus (impedimenta, vincula, poenae) ex repetitis criminibus non multiplicantur, quia *in his accidens fit unum moraliter* (25), etsi peccata multiplicentur, satis erit dicere, se talia vel talia crimina perpetrasse (26).

TITULUS III.

De censuris.

SECTIO I.

Communia de Censuris.

CAPUT I.

QUID SIT CENSURA, A QUIBUS ET IN QUOS FERRI POSSIT, QUO FACTO OPUS SIT AD EAM INCURRENDAM, ET AN PLURIBUS CENSURIS OBNOXIUS QUIS FIERI QUEAT.

324bis. Censura est *poena medicinalis, qua christiano delinquenti et contumaci usus quorumdam bonorum spiritualium aufertur* (1). Est poena, quippe qua in *delinquentes* animadvertitur;

(21) Ex C. 19, *De Foro compet.;* Suar., 7, 2, 26; Sayr., II, 20, 4.

(22) Suar., 7, 2, 29. Multi contra putant (V. Sayr., II, 20, 6; Filiucc., XI, 305).

(23) Suar., n. 29; Sayr., n. 4; V. S. Alph., VII, 72. *Eius est solvere, cuius est ligare.*

(24) V. Suar., *De Legib.,* VI, 24, 10.

(25) Henriq.; Navarr.; Salm., 10, 8, 61.

(26) Sanch., *M.,* VIII, 24, 7; Pal., VI, 7, 3; ibiq. Suar., Conin., etc. Ut puta, si quis pluries eamdem consanguineam cognoverit; ei Sacerdos irretitus censura pluries celebraverit, etc. (Sanch., *l. c.;* S. Alph., VII, 353).

(1) Engel, V, 39, 1; Suar., Disp.

et poena cum primis fori exterioris est (2): et ad poenas privativas pertinet. Est poena spiritualis, quia adimit bona spiritualia. Est poena cum primis, immo suapte natura medicinalis (3); quia uti medicina morbos, ita haec peccata aut cavet, au curat: cavet antequam admittantur, curat cum fuerint admissa: et ex hoc capite, est poena sui generis (v. § 305). Hac re, 1° censurae, non in perpetuum, nec in diem certam, vel arbitrio eas ferentium inferri possunt, sed simpliciter inferri debent, ut, cum reus se emendaverit, absolvi possit. Quamobrem, 2° non ipsa bona spiritualia adimunt reo, sed *usum* eorum tantum, donec resipuerit (4); sive, ut in scholis loquimur, donec reus *a contumacia recesserit*. Est autem triplex censura: excommunicatio, suspensio, et interdictum (5).

325. Cum autem censura sit poena fori exterioris, patet 1° *eos solos* censuras ferre posse, qui, in Ecclesia, externa iurisdictione pollent; in primis R. P., et Episcopos (6). Feruntur autem aut lege, aut praecepto aliquo; nec interest utrum in scriptis (7): lex enim scriptis non eget, praeceptum autem singulare quasi privata lex est. Patet 2° *in eos* tantum ferri posse censuras, qui iurisdictione eas

I, Sect. 1, n. 5; Laym.; Sayr., I, 1, 10. Est poena iure canonico constituta, ex potestate a Christo Ecclesiae nominatim tradita (*Matth.*, XVIII, 17); qua ipsi Apostoli usi sunt (I *Corinth.*, V, 3, etc.). *Censurae* vocabulum a *Censoribus* deductum fuit: scilicet *nota*, qua hi inurebant cives non bene moratos, censura dicta est; quae in privatione temporanea alicuius iuris, vel dignitatis constitit (V. Bodin., *De Rep.*, Lib. 5. Cap. 26). In iure canonico nullus est titulus *De Censuris*, sed *De S. E.* (*Sententia excommunicationis*). Verum quae his titulis de excommunicatione constituta sunt, ad omnes censuras, sive irrogandas, sive absolvendas, pertinent (Suar., VII, 3, 2); quia excommunicationis appellatione omnis censura olim venit (Berar., *I. E. U., h. t.*, in pr.; et pluribus demonstrat in C. 50).

(2) C. 2, *De iis quae vi;* Salm., 10, 1, 3; Navarr., 27, 5. Quod velim ne excidat.

(3) C. 1, *De S. E.* in 6°.

(4) Ex C. 11, *De Constit.*; Suar., 6, 1, 5; 25, 1, 3. Sane, medicinae nec in perpetuum parantur, nec in definitum diem, nec quamdiu videbitur medico; sed quoad aegrotus sanitatem receperit: atque ideo censurae toto coelo distant a depositionibus, degradationibus, et irregularitatibus ex delicto (V. Engel, V, 39, 2).

(5) C. 20, *De V. S.*, Sayr., I, 1, 5.

(6) C. 15, *De Elect.* Eorumque Vicarii Gener. (§ 96). Sed et delegati ad certam causam suspensionem et interdictum ferre possunt (C. 11, *De O. D.*); licet hoc in mandato non fuerit expressum (C. 5, *Eod.*); non item excommunicationem, quippe haec est poena omnium maxima, et iudici civili modica tantum (§ 71, n. 2), sive, ut dicitur in C. 29, *Eodem, aliqua* coercitio permissa est.

(7) S. C. Epp., 2 Mart. 1866, (*Acta*, II, 684); Salm., 10, 1, 74; S. Alph., VII, 61; Sayr., I, 13, 2. Porro olim non licuit Episcopis censuras in presbyteros ferre, inconsulto Capitulo (C. 1, *De Excessib. Praelat.*): hodie hoc iure non utimur (V. C. 3, *De Consuet.* in 6°).

ferentium continentur; ideoque in christifideles tantum: nempe (nisi a R. Pontifice latae fuerint) non exemptos (8), nec peregrinos (§ 312, n. 37). Nec demum in *personas morales,* quippe quae, cum existant fictione iuris, iuribus quidem, quibus gaudent, interdici possunt, poenis spiritualibus, ut resipiscant, coerceri non possunt (9). Porro excommunicationi, et interdicto omnes sunt obnoxii; suspensioni clerici tantum. Amplius, censuris iure canonico latis non sunt obnoxii, nisi expresse comprehensi fuerint, S. R. E. Cardinales, et Episcopi, excepta excommunicatione (10); nec impuberes (V. § 318, n. 75), sive Pontificiae censurae sint, sive dioecesanae, ne excommunicatione quidem excepta (11). Et, quia in odiosis versamur, quae latae sunt in populum, clerum non tenent; et, contra, non tenent populum quae latae sunt in clerum (12): latae in clericos non tenent regulares; latae in regula-

(8) C. 40, *De O. D.* Christifideles nempe subditos sibi, et dum subditi manent. Lata igitur in non subditum officio iudicis nulla est; nec ratihabitione eius, cuius is subditus est, convalescit (Sayr., I, 5, 20). *Non exemptos* (V. Barb., *De O. Episc.,* Alleg. 105); seu iure singulari exempti sint, ceu Regulares; seu speciali privilegio, ceu quaedam Religiosae Congregationes. Nihilominus, IN HIS *in quibus a iure communi, vel a S. Conc. Trident., vel a Constitutionib. Apostolicis tributa est Episcopo iurisdictio in Regulares, potest illos etiam per censuras ecclesiasticas compellere* (S. C. C., 17 Febr. 1632, ap. Ben. XIV, *De Syn.,* IX, 15, 5). Exceptis his Regularibus, quibus ea *specialis* exemptio tributa est, ut ab Episcopis censuris (etsi aliis poenis) coerceri, nec IN HIS possint (C. 1, § *In eos, De Priv.* in 6°); cuiusmodi sunt, teste S. Alphonso, Mendicantes (V. § 102, n. 4), et PP. S. I. (S. Alphons., VII, 241): in hos Episcopi uno tantum, uti videtur, casu possunt etiam censuris animadvertere; idest, si *in alienis Ecclesiis, aut quae suorum ordinum non sunt, absque Episcopi licentia; et in Ecclesiis suis, aut suorum ordinum, non petita illius benedictione, vel ipso contradicente praedicare praesumpserint* (Greg. XV, C. *Inscrutabili*). Amplius; hi qui ex privilegio speciali recepti sunt in *proprios Ecclesiae Romanae filios,* a suis Ordinariis excommunicari, suspendi, vel interdici prohibentur (C. 1, § ult., *De Privil.* in 6°).

(9) V. C. 49, *De S. E.;* CC. 5, 16, *Eod. tit.* in 6°; Covarruv., To. II, *Var. Resolut.,* Lib. II, Cap. VIII, n. ult.; Engel, V, 39, 37; Tolet., I, 8, 3; Suar., 5, 1, 29; 18, 2, 2; 28, 3, 2; V. §§ 351, 352. Sed in primis Berardi, Cap. 3, v. *Praeterea.* At in singulos, quibus constat persona moralis, censuris animadverti posse, nulla dubitatio est.

(10) C. 4, *h. t.* in 6°. Et ne hac quidem excepta, si excommunicatio lata est in clericos (Sayr., V, 4, 26; Ferrar., v. *Clericus,* n. 19; V. § 88, n. 3).

(11) Ex CC. 1, 60, *De S. E.;* Salm., 10, 1, 168; S. Alph., VII, 14. Excepta hodie sola violata monialium clausura (Trident., XXV, *Ref.,* 5). *Sive,* etc. (Lugo, *De Poenit.,* XV, 150). Sed si in eos ab homine lata fuerit, rata est (Suar., 5, 1, 19).

(12) C. 16, *De S. E.* in 6°. Ideo, quoad religiosos, *illae* eos non tenent, etsi clerici non sint, quippe gaudent privilegiis clericorum; *hae,* verius,

res, tenent eos tantum qui vota solemnia nuncupaverint (V. §§ 103, 107).

326. Uti autem latam, seu iure, seu quovis praecepto, censuram incurrere aliquis possit, opus est delicto, et contumacia. *Delicto,* naturali iure, quia poena est; eoque gravi, sive per se, sive per accidens, quia censura est gravis poena (13). *Contumacia,* iure canonico, quia censurae introductae sunt ad contumaciam cum primis coercendam (14). Contumacia (a contemnendo) heic est *contemptus censurae* (15): porro non potest contemni quod non est; ideo nisi censura antea in delictum lata (*comminata*) fuerit lege aliqua, vel praecepto, eius contemptus (ac proinde contumacia) ne intelligi quidem potest. Quisquis igitur factum aliquod, vel omissum, censuris punire vult, necesse habet, eas comminari, ut mox dicam, idest illud prius vetare, hoc praecipere sub censura (16), eaque specifica (17). Itaque nulli censurae obnoxius est is, qui transgreditur legem aut praeceptum, cui nulla censura adnexa erat (18): atque ideo non potest censuris animadverti in transgressiones huiusmodi, etsi longe gravissimas; nisi forte habeant *tractum successivum,* et denunciata prius censura, a reo in eo casu, nisi mandato intra certum tempus paruerit, incurrenda (19).

tenent eos clericos, nam si populi partes non sunt, cleri partem esse oportet. Sed V. § 102, n. 6.

(13) Ex Trid., XXV, *R.* 3; Salm., 10, 1, 131. Alias censura erit nulla (S.Alph.,VII, 31, 321): verum,in dubio utrum culpa sit gravis, an levis, tenet censura (Salmant., 10, 1, 132; S. Alph., n. 32), quia possidet lex. Ad haec, opus est delicto admisso in proprio, nec exempto, territorio (V. § 205, n. 42); externo, et consummato (§ 298).

(14) C. 1, *De Except.* in 6°; C. 3, *De S. E.* in 6°; Salm., 10, 1, 120; V. S. Alph., VII, 53. Nempe delicto quasi causa, contumacia vero quasi conditione, opus est, ut censura irrogari possit: etenim propter delictum, et non propter contumaciam (idest ad contumaciam coercendam), irrogatur censura; alias tolle censuram, et contumacia ne intelligi quidem poterit.

(15) C. 23, *De V. S.;* Ex L. 38, *Ad L. Iul. De Adult.* Et sufficit contemptus virtualis (Reiff., V, 39, 14; V. § 271, n. 4).

(16) Ex C. 11, *De Const.*: CC. 3, 9, 13, *h. t.* in 6°; Suar., III, 8, etc.; IV, 5, 6. Nempe ex illo *Matt.*, XVIII, 17: *Si Ecclesiam* NON AUDIERIT, *sit tibi tamquam ethnicus, et publicanus.* Ad haec, quando omnes qui censuram contrahebant, erant vitandi (V. § 77, n. 53), necesse praeterea fuit, sententiam quoque in reum latam palam, et vicinis Episcopis denunciare (C. 20, Can. 9, 3; V. Suar., *l. cit.,* c. 14).

(17) C. 26, *De Appellat.;* Suar., 3, 8, 2; S. Alph., VII, 62; V. § 313, n. 44.

(18) Pirhin., V, 39, 32; Schmalz., V, 38, 67; S. Alph., VII, 54.

(19) Ex C. 5, *De S. E.;* C. 23, *De V. S.;* Salm., 10, 1, 120; S. Alphons., *l. c.* - *Tractum* etc., uti furtum, detractio, damnum iniuria datum, etc. Itaque si Episcopus, v. g., velit in furem, vel in clericum concubinarium censuris animadvertere,

327. Quaeri potest, an aliquis possit obnoxius fieri pluribus censuris; etenim censurae adimunt bona spiritualia, quod autem semel ademptum est, adimi amplius non potest. Et propter *idem* peccatum, ab *eodem* legislatore, pluribus *eiusdem* speciei censuris obnoxium fieri, a regulis iuris alienum videtur (20). Aliter potest, quia censura instar cuiusdam *vinculi* esse intelligitur; seu 1° plura sint peccata, sive diversae, sive eiusdem speciei, etiam unico actu perpetrata (21); seu 2° plures sint legislatores (22); seu demum 3° censurae sint diversae speciei, licet idem peccatum sit, idem legislator (23). Nunc videamus, quomodo sint irrogandae.

CAPUT II.

QUANDO CENSURA INCURRITUR ET QUOMODO IRROGANDA SIT.

328. Porro omnis censura aut l. s. est, aut s. f.: illa, delicto admisso, continuo, statim incurritur; haec incurritur post sententiam iudicis eam irrogantis. At vero, seu f. s. illa sit, seu l. s., si velit irrogari officio iudicis per sententiam (seu condemnatoriam, seu declaratoriam), ut *sententia* reum teneat, RITE (§ 313, n. 40) *ferri debet,* idest, servato, etsi non ad unguem, ordine iuris (24).

necesse habet prius illi intimare, ut intra definitum tempus ablata restituat, concubinam dimittat sub poena, v. c., excommunicationis, vel ipso facto incurrendae, vel in eum ferendae (Ex cit. C. 23, *De V. S.;* Filiucc., XI, 86; Suar. et S. Alph., *ll. cc.*).

(20) Ex L. 14, *De Accusat.;* C. 4, *De Iudic.* Ex S. U. I., 8 Iulii 1874, Acta S. Sedis IX, 315. Ideo, v. c., licet Seius qui favet haeretico (§ 390, I), et Caius qui communicat cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso (§ 391, XVI), uterque excommunicationem incurrat; nihilominus, si Osius opem ferat haeretico, quasi haeretico (excommunicatoque nominatim a Rom. Pont.); licet et ei faveat, et cum eo communicet in crimine criminoso, unam excommunicationem incurrit.

(21) CC. 27, 42, *De S. E.;* Salm., 10, 1, 173. Ut puta, si quis clericum caedat, et praedium Ecclesiae emat ab usurpatore; vel uno ictu plures clericos confodiat, una emptione plurium Ecclesiarum plura emat praedia (Salm., 178, 175; S. Alph., VII, 28; V. Suar., V, 2, 4).

(22) Ex C. 42, *De S. E.;* Suar., n. 13; S. Alph., VII, 28. Veluti, si iure dioecesano statuta sit suspensio adversus sacerdotes se invicem percutientes. Item si clericus censuris coerceatur ab Episcopo beneficii, et ab Episcopo domicilii (Salm., n. 176). Ratio est, *ex parte delinquentis,* quia duplex formalis (etsi una materialis) contumacia intelligitur (Bonac., D. 1, Q. 1, P. 5, n. 11); *ex parte legislatoris,* quia unius iurisdictio alterius iurisdictionem non consumit (Suar., cit. n. 13).

(23) Ex C. 30, *De Rescript.;* Suar., n. 9; Bonac., n. 3.

(24) Suar., 3, 13, 11, Ibi: *Cum censurae sint poenae medicinales, de his censendum est tamquam de*

Itaque opus est citatione et sententia. Quid utramque continere oporteat, qua censura est *poena*, superius dixi (Cit. § 313); hic videamus, quid continere praeterea debeat, qua est poena *medicinalis*.

329. Censura sine contumacia, haec sine comminatione censurae ne intelligi quidem potest (§ 326, n. 14). Age modo: comminatio haec vel a iure est, vel ab homine. *A iure,* quae continetur in lege, vel praecepto, quo aliquid iubetur aut vetatur: *ab homine (ex persona)*, ea est, qua reo praecipitur, aliquid praestare intra certum ac definitum diem (v. c., intra triduum restituere, raptam aut concubinam dimittere), secus tali censura, v. c., excommunicatione, plectendus: haec est, quae vulgo *monitio canonica* dici solet. Principio igitur, si censura, quae irrogari vult, in lege vel praecepto comprehensa non est, citatio debet eam comminari (25). Quid, si iam comminata fuerat? Et siquidem *lege,* quidam putant, non esse novam monitionem necessariam, ut sententia valeat, quia lex monet pro homine (26); quidam contra, quia, cum censura a persona irrogatur, monitio quoque *ex persona* esse debet (27): sin *prae-*

quibusdam mandatis ecclesiasticis, et medicinis quibusdam; quae magis ad emendationem, quam ad punitionem applicantur. Dixi *ut sententia,* non ut censura, reum teneat; nam si censura est l. s. palam est, reum ea teneri, licet sententia nulla infectaque fuerit (Ex C. 26, *De Appellat.;* et Suar., 3, 10, 13).

(25) C. 26, *De Appell.;* C. 24, *De S. E.;* C. 5, *Eod. tit.* in 6°. Haec *monitio,* superioris nomine, facienda est; alias, qui ei non paret, inobediens, et contumax dici nequiret (Suar., 3. 11, 1; Salm., 10, 1, 95). Et trina esse debet; sed hoc ad validitatem non pertinet (Ex C. 48, *h. t.;* Engel, V, 39, 101; S. Alph., VII, 58); vel una pro tribus, servato inter ipsas saltem *duorum,* vel, inter hanc et sententiam, saltem *sex* dierum intervallo (Ex C. 9, *De S. E.* in 6°; L. 12, *De Testib.*): nisi ex urgentissima causa censura protinus irroganda sit (Ex cit. C. 9, in fin.). Debet autem fieri reo, si in certam personam fertur *personaliter,* ex communi sententia DD. (V. Suar., *l. c.,* nn. 4, 5); coram testibus, ut probari possit (C. 48, pr., *De S. E.*), saltem prima vice (Bonac., *D. I.,* Quae. 1, P. 9, n. 12; V. Salm., 10, 1, 96). Nihilominus, fieri poterit ad domum, si reus *se absentaverit* (C. 3, *De dol. et contum.*); vel (si domum non habeat, aut non *potuerit inveniri*) edictis, penes ecclesiam eius, propositis (C. 10, *Eod.*), vel quo alio loco publico (Salmant., *l. c.*). Ceterum, validam puto, sive in faciem, sive ad domum facta fuerit (Ex L. 15, § *Qui autem,* 2, *De Excusat. Tut.*). Et satis est, si ille eam postea utcumque cognoverit (Ex Clem., 3, *De Elect.* in fin.; Suar., *l. c.,* n. 6). Fieri autem solet in scriptis, sed oretenus facta valet (Salm., n. 73), quia nusquam in iure scriptura desideratur (Suar., 3, 11- 2).

(26) Sanch., *M.,* II, 24, 28 (obiter); S. Alph., V, II, 55; ibiq. Abb., Bonaci., Filiucc.

(27) Suar., III, 10, 20; Salm., 10, 1, 95; Caiet., Pal., Laym., ap. S. Alph., *l. c.;* ex C. 26, *De Appellat.* Haec sententia congruit re-

cepto, omnes conveniunt non esse monitionem necessariam, quia praeceptum monet (28). Sententia vero ostendere debet, 1° reum; sed satis est, condemnare *eum qui tale crimen admisit,* non expresso eius nomine (29); 2° causam, idest crimen ab eo perpetratum (30). Et in scriptis ferenda est, sub gravi (31); nihilominus, oretenus lata valet (32). Et ferri potest ex die, vel sub conditione; et nedum suspensiva, quod nemo negat; sed etiam resolutiva, quod est verius (33). At, cum lata fuit, *executionem secum trahit;* idest, ab ipsa *publicatione* reum tenet: et in devolutivo tantum recipit appellationem (34). Sed nunquam transit in rem iudicatam: nam, etsi post decem dies ab ea amplius appellari nequeat; nihilominus, recursus ad S. Sedem contra eius iniustitiam semper admittitur (35).

gulis iuris communis (V L. 32, pr., *De Usur.*); et est aequior, quia censurae, legibus comprehensae, plerumque ignorantur. Dixi *ut sententia valeat,* non ut censura: nam si haec est *l. s.,* cum iam fuerit incursa, non esse necessariam, definiti iuris est (Cit. C. 26).

(28) S. Alph., VII, 55.

(29) V. Salm., 10, 1, 66, S. Alph., VII, 59. Nomen, vel quod nominis loco esse potest, tunc solum necessario exprimendum est, cum iudex vult eum *vitandum* declarare (Salm., 10, 3, 13; S. Alph., VII, 136).

(30) C. 1, *De S. E.* in 6°. Nempe, ut reus sciat, quid oporteat emendare (Salm., 10, 1, 75; Suar., 3, 13, 5).

(31) C. 1, *De S. E.* in 6°. Quo iudices, secus facientes, puniuntur interdicto ab ingressu Ecclesiae, et suspensione ab officio per mensem. Verum, haec poena non tenet Episcopos (V. § 225, n. 10; Tolet., I, 10, 6); et cessat, quando periculum est in mora (Ex C. 9, in fi., *De S. E.,* in 6°; Navarr., 27, 8).

(32) Sayr., I, XIII, 2, 7; Salm., 10, 1, 73; Ex cit. C. 1. – Ibi: *Superior* RELAXET (Suar., 3, 13, 8; S. Alphons., VII, 63).

(33) C. 40, *De Appellat.;* S. Alph., VII, 63. – V. c., *Nisi infra mensem restitueris* (Salm., 67), vel *donec satisfeceris* (Suar., 7, 1, 10; Laym., VII, 1). Nec obstat (V. Suar., 3, 4, 7) C. 5, § *Caveant, De S. E.* in 6°. Lata sub conditione suspensiva, vel ex die, non intelligitur, quoad conditio, vel dies extiterit; et si dies vel conditio apposita fuit in favorem tertii, in potestate huius est, eam prorogare (Suar., 3, 6, 8; Salm., n. 70); nempe, pendente conditione, vel die; nam, cum censura fuerit incursa, tolli, praeterquam absolutione, non potest (V. Suar., VII, 8, 23). Sed utrum ad eam prorogandam opus sit auctoritate eius qui censuram tulit, quia est actus iurisdictionis (Silvest.; Navarr., 27, 15): an minus, quia contumacia, ob quam contrahitur, est, si, quod iussus fuerit, suo tempore non praestiterit, quae heic, creditore consentiente, non intelligitur? (Suar., 3, 6, 9). Hoc mihi et aequius, et, nisi cavillamur ex apicibus iuris, verius est.

(34) CC. 37, 53, *De Appellat.* Quod heic singulare est (Suar., 3, 6, 5). Quamobrem, non prohibetur iudex *a quo* condemnatum vitandum declarare (C. 53, § 1, *Eodem*).

(35) Ex C. 48, *De S. E.;* C. 36, *De O. D.;* C. ult., *De Poenis;* Suar., 1, 1, 8.

CAPUT III.

DE EFFECTIBUS CENSURAE, ET QUAENAM AB EA EXCUSENT.

330. Effectus censurarum omnes ex iure canonico, quo censurae sunt introductae, petendi sunt. Age nunc, censurae adimunt *usum* bonorum, regulariter, spiritualium tantum: nec omnium, sed eorum quae communione fidelium (ideoque Ecclesiae dispensatione) sive externa, sive interna (1) continentur (§ 108): et praeterea clericis adimunt usum eorum, quae sunt clericorum propria. Et excommunicatio haec omnia prorsus adimit; interdictum, et suspensio aliqua tantum (2). Nec una est, in eis ferendis, earum dissimilitudo: nam, 1° ex his quae unaquaeque adimit vi sua, excommunicationem solus R. P. sic irrogare potest, ut auferat aliqua tantum, vel tantum ad certum tempus; interdictum et suspensionem potest quisquis ea irrogandi potestatem habet (3). 2° *Illa*, cum semel lata fuerit, deinde suspendi non potest, praeterquam a R. P.; *istud* et *haec* suspendi possunt etiam ab eo, qui ea tulit, ordinario iure suo (4). 3° Demum *illa* eorum, qui sunt vitandi, communione nos prohibet; *istud* et *haec* non item (5).

331. Itaque is qui censuram contraxit, spiritualia haec, quae sibi adempta sunt, nec petere sibi, nec praestare aliis potest; sed eis abstinere debet, prout antiquitus; nec distinguitur, utrum sit

(1) Suar., 6, 1, 3; Salm., 10, 1, 8. *Fidelium,* non Sanctorum (cit. § 108). *Regulariter,* nam excommunicatio nonnulla quoque ex his adimit, quae ad civilem, et naturalem societatem hominum pertinent. *Usum bonorum,* non res ipsas; ideoque nec iura, seu realia, seu personalia; eoque minus capacitatem personalem adimunt; sive eam, quae consistit ex iure naturali, velut potestas emendi aut vendendi; sive eam quae consistit ex iure civili, ut potestas testandi; immo nec eam, quae consistit ex iure canonico, ut puta, capacitas acquirendi beneficia, vel officia ecclesiastica, vel ad ea eligendi, praesentandi; nisi id in iure sit expressum; excepta excomm., de qua postea. Plerique ex Nostris et Canonistis, inter effectus censurae, plerumque indignitatem recensent, v. c., ad ordines, ad beneficia ecclesiastica suscipienda. Hoc, absit verbo invidia, devium est: indignitas enim profluit, non ex censura, sed ex delicto; et non canonico, sed naturali iure profluit; et in aestimatione boni viri posita est (V. Sayr., IV, 16, 23).

(2) Laym., *De Interd.*, I, 3; Salm., 10, 5, 10. Dices: ergo interdictum et suspensio in excomm. quasi partes continentur. Minime; etenim excommunicatio, reo foras eiecto, omnia ei adimit quasi *per consequens:* at interdictum participatione, suspensio administratione rerum sacrarum, *per se et directe* nos prohibent.

(3) Bonac.; Salm., 10, 2, 3; 5 10; 6, 99.

(4) Sayr., I, V, 10; Salm., 10, 5, 4.

(5) Suar., 28, 5, 4; Salm., n. 14.

vitandus, an toleratus (6). Ast alii, quamdiu ipse toleratus est, perinde eum habere possunt, quasi nulla censura irretitus esset (7); atque ideo, *ex hoc capite*, non prohibentur spiritualia ei dare, velut sacramenta; vel ab eo petere, etiam nulla necessitate, vel utilitate cogente (8). At, postquam vitandus esse coeperit, ab excommunicato in omnibus est abstinendum; et solum in mortis periculo licet ab eo petere baptismum et poenitentiam (9). Ab interdicto, vel suspenso (quia hi non separantur a communione fidelium) non item; sed ab ipsis in his tantum abstinendum est, a quibus ipsi per censuram prohibentur: haec nefas est ab eis petere - vel suadere ut faciant - vel facientibus cooperari (10). Porro censura, tum quia adimit ea quae cohaerent statui personae christianae, vel clerici; tum quia vim suam capit a iure canonico, quod viget ubique, cum fuerit contracta, reum sequitur ubique locorum (§ 22, n. 1), prout, ceu vulgo dicitur, *umbra corpus, et lepra leprosum* (11).

(6) Mart. V, B. *Ad evitanda*; qua protestatur, nolle se hos *in aliquo relevare, nec* eis *quomodolibet suffragari*. Nihil igitur quoad ipsos mutatum est.

(7) Ex cit. B.; S. Alph., VII, 139. Notorium quoque: lex non distinguit (V. S. Alph., 139): et in foro externo, *nemo est reputandus censura innodatus, absque sententia criminis declaratoria* (Ben. XIV, *De Syn.*, 10, 1, 5). Verum, cavenda sunt scandala, et offensiones fidelium (Engel, V, 39, 63).

(8) Sanch., *M.*, VII, 9, 8; Sayr., IV, 11, 2; Lugo, *De Sacram.*, VIII, 229; S. Alph., VII, 139. Quae idcirco ipse licite aliis praestat, rogatus expresse vel tacite (Regin., I, 116; S. Alph., VII, 139, 140): nam si, praestando ea, peccaret, caritas non sineret ab eo peti; atque ideo nihil prodesset aliis ex hac parte B. *Ad evitanda* (Sayr., II, 12, 10; Lugo, n. 224; Filiucc., XII, 70; S. Alphons., VII, 139; Salm., 10, 3, 23). Porro tacite rogatus semper intelligitur is, qui necesse habet haec praestare ex officio, ut parochus (S. Alph., VII, 177); vel cum implenda sunt Ecclesiae praecepta, v. c., missa audienda die festo, aliis sacerdotibus deficientibus; licet ex officio non teneatur (S. Alph., VII, 169, 177). Dixi *ex hoc capite*; nam, qua est indignus, nec dare ei, nec, salva caritate, ab eo petere licet.

(9) S. Alph., VI, 88, 1083. Amplius; pro tolerato est, qui versatur in loco, ubi ignoratur, eum esse vitandum (Ex C. 14, *De S. E.*); dummodo id facile resciri non possit (S. Alph., VII, 78, 145).

(10) Suar., 28, 4, 6; S. Alph., 140. Contra Navarr. (27, 163), existimantem ab omnibus abstinendum esse, quae ipsi facere per censuram prohibentur. Sane missam suspensi sacerdotis audire; una cum interdictis personaliter interesse divinis officiis, nullo iure vetitum est (V. S. Alph., VII, 313).

(11) C. 16, *h. t.* in 6°; Suar., 26, 1, nn. 11, 19; Filiucc., XI, 47. Porro cum effectus censurarum profluat ex iure canonico, quando fuerint irrogatae, is quoque eas servare debet, qui illas irrogavit (Suar., 2, 4, 5; Salm., 10, 1, 40). Quamobrem, si Episcopus excommunicaverit, e. g., Seium parochum intrusum, et omnes qui cum eo communicaverint in divinis obnoxios faciat excommunicationi l. s.; si ipse cum eo in divinis communicat, excommunicationem quidem non incurret, sed gra-

332. Nunc videamus de eo qui violat censuram. Ut censura violari possit, necesse est, ut iam fuerit incursa: quamobrem, distinguendum est inter ea quae sub censura (seu l., seu f. s.) fieri vetantur, et ea quae censura fieri vetat. Itaque is qui ILLA facit (v. c., qui iussus sub poena excommunicationis restituere, loco discedere, non restituit, non discedit), *contemnit;* qui HAEC (v. c., qui post contractam, quia non restituit, excommunicationem, recipit sacramenta), *violat* censuram. Qui censuram violat, non caret letali (12); sed nulla poena eum tenet: clericus tantum, si violat censuram, ordinem exercendo, fit irregularis (13); de quo postea. Quaeri potest, an valeant ea quae geruntur, fiunt, ab eo qui est irretitus censura. Et ea quae consistunt ex iure naturali, aut civili (§§ 118, 120), hodie valent profecto: item ea (V. § 87, n. 1) quae consistunt ex *characteris* potestate; seu ordinis, seu baptismatis (14): immo et ea quae ex *iurisdictionis* (ecclesiasticae) potestate consistunt, si a toleratis facta gestave sint; quia nulla eis adimitur, intercipitur iurisdictio, nec in foro interno, nec in externo (15); sed solis excommunicatis, vel suspensis nominatim (V. § 77, n. 53).

333. Verum, censura non ligat per se, neque in foro interno, neque in externo, si sententia fuerit nulla (16), vel iniusta (17); seu tantum formaliter sit iniusta (18), seu materialiter tantum (19): ideoque, si fuerit inflicta clerico, ei iurisdictionem non adimit (20). Verum, si absque scandalo contemni non potest, caritas ligat: atque huc pertinet illud S. Gregorii M.: *Sententia Pastoris, sive iu-*

viter peccat; si ei confert beneficium, nihil agit. Et qui celebrat in ecclesia a se interdicta, et peccat graviter (Sayr., V, 3, 28), et fit irregularis (Suar., *l. cit.*); nisi forte prius latum a se interdictum abstulerit, vel suspenderit.

(12) Suar., 34, 5, 9; Thesaur., I, 26.

(13) C. 1, § 3, *De S. E.* in 6°.

(14) Suar., 10, 3, 9; Lugo, *De Euch.*, XIV, 102; S. Alph., VII, 159. Ideo baptizati valide recipiunt sacramenta; poenitentiam quoque, si bona fides, aut gravis necessitas (S. Alph., VI, 265) eos excuset: sacerdotes valide ministrant (Suar., XI, 2, 9; S. Alph., VII, 159, 166).

(15) S. Alph., VII, 314, 4. Quamvis notoriis (Suar., 14, 1, 13; V. cit. § 77, n. 53).

(16) Suar., IV, 7, 2; Salm., 10, 1, 212; S. Alph., IV, 215.

(17) C. 1, *De Sent. et re iud.* in 6°; V, Suar., *loc. cit.*, a n. 4.

(18) Ex cit. C. 1; Bonac., Dis. 1, Q. 1, P. 10, n. 4.

(19) Suar., IV, VII, 8, 24, 27; S. Alph., IV, 215.

(20) Suar., n. 24, 27. Nempe, si manifeste sit iniusta vel nulla, nam, si de hoc dubitet, sententiae parendum est (§ 317, n. 70). Et licet eam violet in occulto, graviter peccat; et si eam violat, ordinem exercendo, fit irregularis, si revera non sit iniusta (Diana, To. V, Tr. I, Resol. 30).

sta sive iniusta, gregi est verenda: caritas inquam, non censura (21); ideo qui hanc violat, letali quidem non vacat (22), sed irregularitati ex delicto non fit obnoxius (23). Amplius, si alias in omnibus odiosis, heic in primis, strictius interpretandum est; quia censuris utendum est parcius, ne vilescant; et ne magis perniciem, quam salutem pariant (24): et maxime in excommunicatione, quippe qua nulla maior poena est in Ecclesia; quod velim ne excidat.

334. Ceterum a censuris *excusat,* ut alias (§ 318), metus gravis et iniustus, qui a lege canonica excusat (25); et ignorantia, vel *concomitans,* nedum facti, vel iuris ecclesiastici, sed etiam censurae (26); tum quia censura est poena extraordinaria, tum maxime quia sine contumacia, ideoque sine comtemptu, haud incurritur (§ 326, n. 14), et *non contemnit qui ignorat* (27); atque ideo etiam inadvertentia excusat (28). Porro censura eo tempore irrogari intelligitur, quo contrahitur, seu, tunc cum effectum habere debet (29); ideo, non erit amplius censurae locus, si medio tempore (post delictum videlicet admissum, et ante censuram contractam) res ad eum casum devenerit, in quo irrigari non potuisset. Nempe, 1° ex parte eius, qui illam tulit, si appellatio interposita fuerit ante sententiam; vel post eam quidem latam, sed pendente die ex qua, vel conditione sub qua lata fuit (30). 2° Ex parte rei, si hic, his pendenti-

(21) Suar., nn. 17, 18; Salm., 10, 1, 212. Et ne caritas quidem, si scandalum cessat (S. Alph., VII, 68, 334).

(22) Suar., a n. 8; S. Alph., VII, 68. Quin poterit, si sententia sit formaliter iusta, et monitus non cessaverit, censuris coerceri (Laym., VII, 3).

(23) Suar., IV, 7, 20; Bonac., n. 6; Laym., *l. c.;* S. Alph., VII, 68.

(24) Ex Trid., XXIII, *R.,* 3; V. Ben. XIV, *De Syn.,* Lib. 10, Cap. 2.

(25) Suar., 4, 3, 12; Salm., 10, 1, 203. Ut puta, si quis eam violet, ne prodat seipsum, vel ut offensionem, aut scandalum vitet (Suar., VI, III, 14, 20; Lugo, *De Euch.,* XIV, 100; Bonac.; Salm.; S. Alph., VII, 46). Dixi *qui a lege,* etc.; nam si metus mali gravioris, vel etiam gravissimi, non excusat a lege quae censuras imponit, nec a censuris excusat (V. § 178, n. 9).

(26) S. Alph., VI, 1074; VII, 43, 351; Salm., 10, 1, 193.

(27) L. 53, *Locati conducti;* Tolet., I, 9, 9.

(28) Suar., 6, 2, 12; Salm., 10, 1, 189, 191; 18, 4, 10, *Communissima.* Idest, si de censura non cogitavit (Croix, VI, II, 1614; Ronca., Cap. 5, Reg. XI; V. § 132, n. 46): et planum est, etenim excusat a peccato (§ 272, n. 8). Verum, scandalis et offensionibus cavendum est in foro externo, praesertim in sacramentis administrandis.

(29) C. 40, *De Appellat.;* V. §. 313, n. 50; Suar., III, IV, 10 13; V, 1, 15; Salm., 10, 1, 68

(30) Ex C. 14, *De S. E.* in 6°; C. 36, *De O. D.;* Salm., *l. c.;* Sayr., I, 16, 18. Etiamsi post exactum decem dierum terminum (§ 313, n. 50) fuerit interposita (Diana, To. V. *De Excomm.,* Res. 18, 3; ibiq. Navarr., Suar., etc.).

bus, aut factus sit impos praestando quod sub censura praestare iussus fuerat, quamdiu impos permanserit (31); aut recesserit a contumacia (32), sive ante latam sententiam, si censura erat f. s. (quod nemo dubitat), ab ea recesserit; sive ante effectum dumtaxat sequutum, si est l. s. (33); quod aut verius est, nam quo medicina, sanato morbo? aut aequius certe. Demum 3° ex parte utriusque (V. § 249, n. 9) si, pendente conditione vel die, aut alter superior (34), aut alter subditus (35) esse desiit. Nihilominus, quidam putant, censuram et hunc effugere, licet sententia iam lata in eum fuerit, si lata fuit sub conditione, vel ex die, et ipse, his pendentibus, citra fraudem *forum mutavit;* idest, si alio domicilium suum contulit (36); quod alii verius negant (37).

(31) V. Less., II, 12, 21; Suar., 20, 2, 15. Ideoque, ut puto, et si inciderit in amentiam (Ex L. 14, *De O. Praes.*); quo enim haec poena? quare sententia in eum ferri prohibetur (L. 9, *De Re iudic.*). Sed Nostri id negant (Suar., 5, 1, 21 Salm., 10, 1, 167). Nituntur exemplo eius, qui sciens volens causam posuit, qui non excusatur, si postea effectus sequitur se dormiente, vel ebrio: quod mihi a re prorsus alienum videtur.

(32) V. S. Alph., VII, 40, 368. Idest, si animum retractaverit: licet sine contritione vel attritione, quia habitus gratiae non augent retractationem (Lugo, *De Poenit.,* XVI, 444); et, modo quo poterat, studuerit effectum impedire (Pal., D. IV, P. VII, n. 15; S. Alphons., VII, 40). Ideoque non oberit. si revocatio non potuerit innotescere ei, cui forte mandatum, vel consilium dedit (Salm., 10, 1, nn. 153, 154; S. Alph., *l. c.*).

(33) S. Alph., VII, 40. Ut ecce, si dederit abortivum puellae, vel alicui consilium, mandatum occidendi; et, antequam illa eiiceret, hic occideret, facti ipsum poenituerit (Salm., 10, 1, 154).

(34) Suar., III, IV, a n. 10. Ut puta, si mortem obierit, si loco motus fuerit (V. § 77, n. 52). Item si usum iurisdictionis ei fuerit *interdictum,* v. c., ob excomm. vel suspensionem postea incursam (*ibid.,* n. 64). Verum si pendente conditione, vel die, eam recuperaverit, censura, his postea extantibus, valet (Suar.): secus si officio motus, postea in eo rèpositus fuerit; nam alius esse intelligitur (Ugolin., Tab., I, Cap. 2, n. 2; Sayr., I, 3, 14; Suar., n. 14). Dixi *superior,* non iudex; quia iudex, posteaquam sententiam dixit, iudex esse desiit (L. 55, *De Sent. et re iudic.;* Diana, *l. c.,* n. 4): et sententia ex lege, quae perpetua est, vim et statum capit (Bonac., D. I, Q. I, P. XI, n. 12; V. Suar., III, 5, 5).

(35) Suar., III, 5, 2 - V. c, si Instituto Regulari nomen dedit, si alio domicilium transtulit (non item si e sua dioecesi ad tempus exierit, quia subditus esse non desinit). Verum, si is postea ad prius domicilium redierit, non dubito, eum censura teneri, quippe *idem* subditus esse intelligitur (Ex L. 18, § *Sed si quis,* 8, *De bonor. poss. sec. tab.*).

(36) Salm., 10, 1, 68; S. Alph., VII, 65.

(37) Thesaur., I, 26; Croix, VII, 104. Priores nituntur auctoritate Suar. (III, 5, 6), quem secutus est Filiucc. (XI, 77). Verum, Suar. de eo agit qui, non ex delicto, sed ex alia iusta causa, iussus fuit aliquid praestare, v. c., debitum solvere. Sed neque hoc recte, nam est alienum a regulis iuris.

CAPUT IV.

DE CENSURIS ABSOLVENDIS.

ART. I. *Generalia de absolutione a censuris.*

335. Censura, cum semel fuerit contracta, non solvitur *per se*, licet postea is casus inciderit, a quo initium habere non potuisset; sive supervenerit ex parte eius qui censuram tulit, resoluto iure ipsius (1); sive ex parte eius qui censuram subiit, utputa si recesserit a contumacia (2), vel satisfecerit parti laesae (3), vel mortem obierit (4); sive ex parte utriusque, si alter superior, alter subditus esse desiit (5). Unus casus est, in quo cessat ipso iure: si fuit irrogata sub conditione resolutiva, hac impleta (6). Itaque absolutione opus est (7). Et quamvis censurae sint poenae fori exterioris, nihilominus absolutio in foro quoque conscientiae dari potest, quamdiu ad externum deductae *non fuerint* (8). Verum potestas absolvendi a censuris in foro interno cohaeret potestati absolvendi a peccatis: quamobrem nec in externo simplices confessarii (9), nec in interno simplices sacerdotes (10) valide absolvere possunt. Age nunc, utriusque tum *potestatis* (absolvendi a peccatis, et a censuris absolvendi) tum *absolutionis*, non una est dissimilitudo: liceat igitur,

(1) Ex C. 11, § 2, *De O. Ord.;* C. 1, *De Maior.* in 6°; Salm., 10, 2, 8.

(2) Ex Alex. VII, 44.

(3) Pal.; Salm., 10, 2, 9.

(4) CC. 28, 38, *h. t.* Nempe, ut sepultura ecclesiastica donari possit, si censura eam dari vetet. Sed mortuis absolutio dari non potest, nisi contriti decesserint; et ab his tantum, qui potuissent eos viventes (extra articulum mortis) absolvere (Cit. C. 28; Navarr., 26, 32; Filiucc., XI, 275).

(5) Salm., X, 1, 165; II, 8.

(6) Laym., VII, 1; Pal.; Salm., 10, 2, 13; Covarr.; Engel, V, 37, 17. Ut in C. 3, *De Usur.* (Thesaur., I, 26; S. Alph., VII, 123). Contra putat Suar. (19, 1, 5), quia haec conditio inest tacite: *sed aliud iuris est si quid tacite continetur, aliud si quid verbis exprimatur* (L. 68, § 1, *De Legat.,* I); nam si expressum fuerit, ut conditio fieret, pro conditione est (§ 76, n. 50). Alii, iique, Sayro (IV, 17, 3) teste, permulti, docent, absolutione opus esse quoad excommunicationem; quoad suspensionem non item: quod et Suar. (26, 1, 16) tenet, putans, suspensionem sic irrogatam (quod et de interdicto pariter dicendum foret), non censuram esse, sed poenam (n. 14). Sed hoc gratis asseritur. Nollem tamen hanc sententiam explodere, ex qua sequitur, eum, qui sic latam suspensionem violat (vel interdictum), irregularem non fieri.

(7) Suar., VII, 1, 12; Laym., VII, 1; Salm., 10, 2, 7; Pirhin., V, 39, 179; Reiff., V, 39, 240.

(8) C. 29, *De S. E.*

(9) Duard., Lib., III, § 3, Qu. 1, n. 6; Navarr., 27, 39.

(10) Ex C. *Nuper,* 29, § 2, *De S. E.;* Navarr., 27, 41; Suar., 7, 4, 8; Filiucc., XI, 284.

ad plenam huius satis difficilis materiae cognitionem, haec ommia hic prosequi (quamvis non omnia huc pertineant), et paullo fusius quam ceteri.

336. Principio igitur, potestas absolvendi a peccatis inest ordini presbyterali, et cum datur ab Ordinario (sive cum officio, sive absque eo datur), magis subditi dari intelliguntur, in quos exerceri possit: at potestas absolvendi a censuris, quia nullo modo his competit, penes quos nulla est iurisditcio in foro externo, revera datur ab eo qui ordinariam habet, et ab eo transit in accipientem. *Illa* datur ab Ordinario eius loci, in quo confessiones excipiuntur; quae nunc extra controversiam, et omnino tenenda sententia est (11): *haec* datur ab Ordinario qui censuras tulit (11 bis), quia eius tantum est solvere, cuius est ligare. Illa presbyteris tantum, haec cuivis clerico dari potest. Illa ad forum sacramentale, eumque solum pertinet; ideoque in eo dumtaxat exerceri potest: haec pertinet ad forum cum primis externum; sed, propter salutem animarum, etiam in foro interno exerceri permittitur. Et quoad forum internum, utraque exerceri potest vel extra proprium territorium, sive ab eo qui ordinariam, quae certa; sive ab eo qui delegatam ab his absolvendi potestatem habet, quae communior, et verior sententia est (12). Ex quibus licet intelligere, alteram ab altera separatam esse: atque ideo utraque seorsum exerceri potest, nec una pendet ab altera (13).

337. Deinde, distant absolutio a peccatis et absolutio a censuris. Absolutio a peccatis (letalibus inquam) ad hominem cum Deo re-

(11) Ex C. *Cum sicut,* Innoc. XII; C. *Apostolicum Ministerium,* Bened. XIV, § 7. (*Bullar.,* IV, n. 16). V. S. Alph., VI, 548.

(11 bis) Cit. C. 29, § 2.

(12) V. Cabri., I, Res. 48. Episcopos et parochos absolvere posse *a peccatis* subditos suos, vel extra dioecesim aut parochiam, explorati iuris est (S. C. C., 3 Dec. 1707; Bened. XIV, Notif. 86, 7): ergo et a *censuris:* utraque enim iurisdictio *voluntaria* est (V. § 75, n. 35): At simplices confessarios a peccatis (ideoque et parochos a censuris reservatis) absolvere eos posse, negant Silvest., Hostien., et quidam alii: alii longe plures affirmant (V. Cabri., *l. c.;* S. Alph., *l. c.;* in his Suar., *De Poen.,* 19, 8; Salm., 6, 11, 55): et rectius, quia *delegatus eius qui mandavit iurisdictione* utitur (§ 72, n. 18).

(13) V. Suar., VII, 5, 36. Ideo, v. c., absolutus a censuris in foro externo, alia, in interno, absolutione (a censuris) non eget. In foro autem interno data a censuris absolutio rata est, licet absolutio a peccatis irrita fuerit, vel non data sit; puta, si poenitens, ante eam datam, forte repentino morbo correptus, decesserit (Suar., n. 38; Duard., Lib. III, § 2, Quae. I, n. 43). Et contra, rata est *per se* absolutio a peccatis, licet absolutio a censuris fuerit nulla, aut omissa fuerit (§ 87, n. 1); dummodo haec non corrumpant dispositiones poenitentis.

conciliandum, absolutio a censuris ad vinculum poenae dissolvendum pertinet; ideoque illa volentibus tantum, haec et insciis et invitis (§ 223, n. 9) dari potest. Et si quis plura letalia admiserit, et pluribus censuris sit obstrictus, illa omnia prorsus absolvenda sunt, quia, nisi omnibus absolutis, Deo reconciliari impossibile est; hae, quia inter vincula nulla est connexio, separatim absolvi possunt. Hac re, si poenitens aliqua peccata inculpabiliter praetermiserit, confessis *directe* absolutis, omissa, *indirecte* absoluta, deleta manent (14); at censurarum nulla intelligitur indirecta absolutio. Absolutio a censuris dari potest ad reincidentiam (de qua postea), quippe censurae a voluntate superioris initium et statum capiunt: absolutio a peccatis (quae prodeunt a voluntate nostra) ad reincidentiam ridicula foret. In eo utraque absolutio convenit, quod neutra sine iurisdictione datur valide; ac proinde datae ab inferiore sive a peccatis, sive a censuris, regulariter nulla (licet existimaverit, iurisdictionem sibi non deesse) vis est. Quod ut probe intelligatur, hic de reservationibus agendum duxi.

338. Reservatio est: *Casus alicuius ad iudicium superioris avocatio* (15). *Casus* heic accipio sive peccatum, sive censuram. *Avocatio;* ideo, vi et natura sua, coercet iurisdictionem inferiorum (16); nempe, ut casus reservatus subiiciatur superioris iudicio, quippe graviori (17). *Ad iudicium;* ideo superioris COGNITIONEM desiderat: verum, hoc in foro interno, propter salutem animarum, cum magna aequitatis moderatione acceptum est, et rata interdum est superioris, etiam eorum, de quibus non cognovit, absolutio; de quo dicam postea.

(14) Ex Trident., VII, *De Poenit.*, Cap. 5; S. Alph., VI, 585, v. *Dixi*, 2.

(15) Ex Trident., VII, *De Poenit.*, Cap. 7; D. Th., Suppl. 20, 2. Ubi igitur nulla est ad superiorem *avocatio,* ut in peccato complicis, vel renuentis denunciare sollicitantem, vel accipientis dona a Regularibus, non reservatio intelligitur, sed mera iurisdictionis ademptio - Reservatio a Nostris communiter definitur: *Negatio* (et non *ablatio,* ut Praeposit. Reginald., etc.) *iurisdictionis circa aliquod peccatum* (Croix. VI, II, 1509; Suar., *De Poenit.*, Disp. 29, Sect., I, n. 1; V. S. Alph., VI, 578; V. Cabrino, *Elucidarium Casuum reservatorum,* Par. I, Resolut. 1).

(16) Ex L. 2, *Damni inf.;* De Graff., *Practica Quinque Casuum,* Lib. 1, Cap. IV, n. 3; Suar., *l. c.*, n. 3. - *Coercet;* scilicet, iurisdictio absolvendi tum a peccatis (quae datur in sacra ordinatione), tum a censuris (quae profluit ab eo qui censuram invehit) *generalis* est; illa ex *ordinatione* ipsa, haec ex *voluntate* eius, qui censuram invexit (quia reservatio censurarum non intelligitur nisi fuerit expressa, C. *Nuper*, 29, *De S. E.*) proficiscitur. Sed revera, iurisdictio, per reservationem, *illic* adimitur, *hic* non datur.

(17) Ex Trident., *l. c.;* S. Alph., VI, 580.

Ex his autem palam apparet, inferiores in reservatis *nihil posse* (18); excepto mortis articulo, in quo omnis reservatio cessat.

339. Est autem duplex genus reservationum: unum earum, quae a Rom. Pontifice (seu sibi absolutionem reservaverit, seu locorum Ordinariis); alterum earum, quae a locorum Ordinariis sunt introductae (19). *Illae* tenent ubique, nec, mortuo R. Pontifice, intercidunt: hae non tenent extra territorium reservantis; et, nisi statutae fuerint in synodo dioecesana, resoluto quoquo modo iure eius, evanescunt; seu inconsulto capitulo fuerint introductae, quae verior (§ 199, n. 4); seu consulto, quae probabilis, quippe *a TT. passim asseritur* (20), atque ideo heic tuta (§ 80, n. 77) sententia est.

340. Casus a R. P. reservati, omnes cum censura reservati esse dicuntur, una excepta calumniosa sollicitationis accusatione; reservati ab Ordinariis non omnes censuram habent adnexam. Eorum autem, quibus censura adnexa est, duplex, verius, est reservatio, una peccati, altera censurae (21). Quaesitum est, num utraque sit principalis, an altera tantum? Et in casibus a R. P. seu sibi, seu Ordinariis reservatis, convenit, reservationem censurae esse principalem, peccati accessoriam (22); quamobrem, si quid excusat a censuris, reservatio penitus cessat (23). In his, quae Ordinarii sibi reservarunt, non satis convenit; sententia communior tenet, utramque reservationem aeque principalem esse; ac proinde, etsi censura

(18) Trident., VII, *De Poenit.*, Cap. 7.

(19) Nostris: *pontificiae,* et *episcopales;* et utrarumque genus duplex. Nam ex pontificiis quaedam R. P. reservatae sunt *speciali modo,* quaedam *simpliciter.* Episcopalium vero unum genus earum est, quae a R. P. eis reservatae sunt; alterum earum, quae ipsimet sibi reservant: illae reservatae *nobis,* hae *a nobis* dici solent. Nulla autem est *mixta* (idest pontificia simul et episcopalis) reservatio: nec esse potest; nam quae ad superioris iudicium avocantur, ipso iure a iurisdictione inferiorum subtrahuntur: alias, data ab illo absolutio prope inutilis foret. Itaque non potest Ordinarius sibi quoque eos casus reservare, qui R. P. sunt reservati: et, si quos sibi reservaverat, illos postea R. P. sibi reservet, reservatio episcopalis ipso iure evanescit (Suar., *De Poenit.,* 31, 4, 26; Lugo, *De Poenit.,* XX, 149, 151).

(20) Graff., L. I, Cap. IV, n. 47; Lup., *De Casib. et Censur. reservat.,* Part. I, Diff. II, art. n. 58.

(21) Suar., *De Poenit.,* XXIX, 2, 8; S. Alph., VI, 580. Alias, absolutus a simplici confessario a peccato haeresis, si reservatio soli censurae cohaeret, directe ab eo absolutus esset, ac proinde cessaret obligatio illud superiori confitendi; quod nemo dixerit.

(22) Croix, VI, II, 1614; S. Alphons., VI, 580.

(23) Ex C. 42, *De R. I.* in 6°; Croix et S. Alph., *ll. cc.* Et Si Episcopus in foro externo absolverit haereticum, quod iure suo potest, quilibet confessarius poterit eum absolvere a peccato haeresis in foro sacramentali.

exsulet, peccati reservationem manere putant (24); minus communis, quae mihi verior videtur, tenet, in his idem iuris esse, ac in censuris a R. P. reservatis; atque ideo, si censura non incurritur, reservationem cessare (25).

341. Nunc videamus, quo ex tempore, quove ex loco aestimanda sit *potestas* absolvendi sive a peccatis, sive a censuris reservatis. Et utraque profecto, cum sit *actus* iurisdictionis, ex eo tempore aestimanda est, quo haec exercetur, idest, ex tempore quo datur absolutio: quamobrem, si eo tempore sint reservata, nihil proderit, quod ante reservationem fuerint admissa: et contra, si eo tempore reservatio cessavit, nihil oberit, quod admissa fuerint reservationis tempore (26). Quoad locum in quo absolutio dari potest, aliud in peccatis, aliud in censuris iuris est. Nam in peccatis inspicitur locus, in quo absolutio datur; proinde, si in eo reservata sunt, absolvi nequeunt, licet in loco, ubi non erant reservata fuerint admissa, et contra. In censuris respiciendus est locus, ubi censura contracta fuit: atque ideo absolvi non poterit in alia dioecesi, tametsi nulla in ea vigeat censurae huiusmodi reservatio (27). Diversitatis ea est ratio, quod iurisdictio ad peccata absolvenda datur

(24) Suar.; Laym.; S. Alph., VI, 582.

(25) Vigandt, Bonaci., Fagund., Aversa., Ciera, ap. S. Alph., *l. c.;* Quarti, ap. Mazzotta; Gobat, Tr. VII, n. 360; Diana; Par. X, Tr. IV, Resol. 63; Sporer, *De Poenit.*, n. 735; Salm., 18, 4, 9. Alias, absolutus in foro externo a censura, in foro sacramentali ab inferioribus confessariis absolvi nequiret; quod perdurum videtur.

Prioris sententiae rationes hae sunt: 1° Verba, quibus reservationes huiusmodi exprimi solent in tabellis reservationum, idest, *Casus reservati, quibus est* ADNEXA *excommunicatio.* 2° Finis reservationis, nempe, ut *haec* sit gravior (Croix). Sed primum non cogit; nam et NEXUS *pignori fundus* in iure dicitur (L. 2, *De Curat. furio. dan.*), et res *pignori* NEXAE dicuntur (L. 22, *De Iure Fisci*); et nemo profecto fundum, vel rem *accessoria* pignori dixerit. Alterum est perdifficile, et vix non absurdum; nam quae reservantur R. P., illa procul dubio graviora censenda sunt; ergo ne mitior in his reservatio? Finge Episcopum excommunicationem tulisse adversus eos qui violentas manus iniiciunt in eos qui, nondum tonsuram adepti, in habitu clericali incedunt, et ecclesiis inserviunt: ergone is, qui sacerdotem percussit, si id ignorans fecit, aut compulsus metu gravi, vel ab Episcopo in foro externo absolutus fuit, a quocumque confessario poterit absolvi: qui percussit aliquem ex his pseudoclericis non item? Utcumque sententia nostra gravi profecto, tum intrinseca, tum extrinseca probabilitate non caret: atqui hoc satis heic, superque est. Ad haec, V. § 80, n. 77.

(26) Graff., Lib. I, Cap. IV, n. 47; Lugo, Par. I, Dist. II, Art. I, Diff. I, n. 5.

(27) Cf. Lamy., *h. t.*, VII, 4, v. Asser. IV, qui eas comparat (Asser. II) censuris latis officio iudicis. Ex quo patet, a censuris non reservatis, incursis in aliena dioecesi, posse pro-

ab Ordinario loci in quo confessiones excipiuntur, iurisdictio ad absolvendas censuras datur ab Ordinario qui censuram irrogavit (§ 336, n. 11[2]).

342. Porro omnis reservatio odiosa est; ideo strictam interpretationem recipit: quamobrem, heic aptanda sunt, quae diximus de censuris. Itaque, I. peccata heic quoque aestimare oportet, non ex peccantis opinione vel intentione, sed ex reipsa (§ 296, n. 3). II. Cum Ecclesia non soleat reservare nisi graviora et externa (28), ad reservationem incurrendam necesse est, ut peccatum quod quis confitetur, sit grave actu, nedum interno, sed etiam externo (29); eoque perfecto, et consummato (30), ut in censuris. III. In dubio, reservatio cessat, quippe odiosa: cuius heic subest et alia ratio, quia nempe in dubio melior est conditio possidentis ius suum; sive absolventis, sive absolvendi; seu positivum sit dubium, seu negativum; seu facti, quod nemo negat, seu iuris, quod est longe communius, et verius, quia lex dubia non ligat (31); seu dubium, quocumque nomine, sit peccatum (32), seu censura, seu reservatio (33).

343. Sed an ignorantia reservationis, quando non excusat a peccato, eximat a reservatione *absolvendum* (nam, si inferior absolvit ignarus reservationis, procul dubio nihil agit)? Quaestio in eo est,

prium Ordinarium, et ab incursis in propria dioecesi posse Ordinarium alienae dioecesis, in qua quis confitetur, absolvere (Tolet., I, 17, nn. 6, 7),

(28) Bened. XIV, *De Syn.*, V, 5, 5.

(29) Lugo, *De Poenit.*, XX, 15; Salm., 6, 1, 13; S. Alph., VI, 583.

(30) Graff., I, IV, 12; Cabri., I, 12; Lugo, *l. c.;* Sporer, *De Poenit.*, n. 752; Croix, VI, II, 1649; S. Alphon., *l. c.* Et si actus ex effectu perfectionem capit, ante effectum sequutum reservatio non intelligitur (§ 298, n. 27). Itaque si alicubi reservatum sit furtum, vel homicidium; et fur deprehensus fuerit antequam loco excederet; homicida confiteatur, nondum mortuo eo, quem letaliter vulneravit, reservatio cessat.

(31) Lugo, *De Poenit.*, XX, 18; ibiq. Suarez. Nec distinguitur inter casus pontificios, et episcopales (V. Cabri., I, Resol. 9, et 10). Ceterum, si verba, quibus lata est reservatio, obscura sint, confessarii, quasi iudicis, erit ea interpretari (Graff., I, IV, 51).

(32) Graff., *l. c.;* Reginald., I, 124; S. Alph., VI, 600. Atque ideo, sive peccatum sit dubium; sive dubium sit, an fuerit perfectum et consummatum; et, si ex effectu capit perfectionem, utrum effectus sequutus fuerit.

(33) S. Alphons., *l. c.;* et V. § 312. *Communissima.* Nec retractatur ab. solutio (V. § 80, n. 81), si postea vel peccatum, vel censura, vel reservatio indubia apparuerint et manifesta (Croix. VII, 160; Cabri., I, Resol. II; S. Alph.). At, si reservatio certa est, sed confessarius haereat, an in facultate sibi concessa absolvendi a reservatis, contineatur hic casus, vel *ille*, quia possidet reservatio, a danda absolutione abstinendum sibi est; nempe in dubio facti (si id non meminit) semper; in dubio iuris nisi probabile ei videatur (v. n. 31), comprehensam esse (Cabrino, I, Resol. 15).

utrum reservatio sit poena; scilicet, peccantium. Affirmavit omnium primus, ut videtur, Graffius, quem plures ex veteribus sequuti sunt (34); existimantes, reservationes eo spectare, ut fideles metu earum a peccando deterreantur (35). Plurimi, et longe graviores, negant, quia reservatio, aiunt, eo spectat, ut reservata iudicium prudentiorum subeant (36). Horum sententia, regulariter, ex ipsa reservationis natura, mihi verissima est; nec intelligo, quomodo reservatio, quae ex tempore et loco dandae absolutionis aestimari debet (§ 341), sit poena qua in poenitentes animadvertitur (37). Dixi *regulariter*, nam si qua decreta sit in odium alicuius criminis, Graffii sententia aut vera est, aut certe probabilis (38).

344. A reservatis, regulariter, absolvere possunt: 1° hi a quibus reservatio fuit introducta, quique, 2° delegatam officio, vel 3° speciatim sibi delegatam huiusmodi potestatem habent (39). Sed aliter

(34) Graff., II, 40, 29.

(35) V. Baller., ad Gury, II, 571; qui hanc sententiam, iam pene sepultam, suscitavit. Haec sententia, initio novitatis notata, plures dein sectatores habuit, in his Salm. (18, 6, 13), Reginald. et Roncaglia (ap. S. Alph., VI, 581); eamque probabilem putant multi quoque ex his, qui contrariam tuentur; et vel ipsi S. Alphonso probabilis visa fuit (*l. c.*). quod postea negavit (*QQ. RR.*, I, 83), et rectius.

(36) S. Alph., *l. c.*, qui hanc sententiam *communissimam* vocat (*Vindic. Ligorianae*, p. 319, etc.).

(37) Sed, licet esset poena, et poena medicinalis, ut censent Salmanticenses, quum negari haud possit, alterum reservationis finem esse, ut peccata iudicio superioris subiiciantur, cum non *cesset adaequate finis reservationis, reservatio non cessat* (Suar.; Laym.; S. Alph., VI, 581, in fi.). Porro non unum est sententiae huius incommodum: nam si reservatio poena est, dicendum erit, ei non subesse (ubi ea viget) qui peccavit *ubi* nulla, vel *quando* nondum vigebat; quod usque in hunc diem inauditum puto: et nedum ignorantiam, sed et inadvertentiam (§ 318, n. 82) excusare. Dices: sed numquid haec non excusat a censuris? Utique, sed censurae, regulariter, servandae sunt in foro externo. Quid igitur? Nullus inferior, me actore, ignorantem reservationem audeat absolvere; sed, si absolverit, reor absolutum, si erat in b. f., non esse inquietandum.

(38) Sanchez, *M.*, VIII, 32, 18. Haec sententia Dianae verissima visa est; Lugoni (*De Poenit.*, XX, 11) aliisque probabilis. Imposita autem in poenam videtur, ait Palaus (Tr. II, Disp. I, V, 17, n. 5) qui Sancium sequitur, *quando reservatur constitutione aliqua specialiter prohibitiva et punitiva delicti; ut fecit Sixt. V contra male promotos ad ordines, et Gregor. XIII contra dantes et recipientes pecunias pro gratia, a Sede Apostolica obtinenda.*

(39) V. Cabrin., Lib. I, a Resol. 17. Porro appellatione eius, *qui reservationem introduxit,* venit et eius successor; quod semel dixisse sufficiat. Quod autem in potestate eius, hoc in potestate superioris eo magis esse, palam est. Porro a casibus, reservatis in synodo provinciali, Archiepiscopi, dum provinciam visitant, absolvere possunt etiam in dioecesibus suffraganeorum (Ex C. 5, *De Censib.* in 6°; Salm., 10, 2, 45; Filiucc., XI, 286).

et aliter, nam *illi* et *isti* possunt eam alteri delegare, *hi* non item: proinde, si spatium absolvendi non datur, *illi* et *isti* possunt petentes absolvi ad alium absolvendos remittere; non item *hi,* nisi forte habeant facultatem subdelegandi. Amplius; si in lege continetur, ne cui detur absolutio, nisi prius, v. c. *veniam petierit, ablata restituerit*; *illi* dare possunt facultatem absolvendi, etiam his omissis; ceteri non possunt: et planum est. Demum qui delegata, sed *officio cohaerente*, potestate gaudet, potest eam alteri delegare, ut ipsemet absolvatur (§ 72, n. 10); qui delegata *sibi*, non item (40); et profluit ex dictis. Praeter hos, nemo alius, regulariter, potest a reservatis absolvere (41); ne Regulares quidem (42). Et haec generaliter. Nunc seorsum quae de censurarum absolutione propria sunt: de ceteris (paucis quidem), quae propria sunt absolutionis a peccatis, in Tract. *De poenitentia.*

ART. II. *A quo dari possit absolutio a censuris.*

345. Agimus de censuris, iure (seu canonico seu dioecesano) latis, et reservatis. *De censuris*, nempe, stricta significatione; atque ideo, non de iis quae irrogantur in diem certam, vel in perpetuum, vel ad beneplacitum irrogantis (V. § 358), quae, regulariter, ab eo

(40) V. § 72, n. 19. Puta, si Episcopus in casum occultum R. P.; aut Vic. Gen. Episcopi in casum ab Episcopo reservatum; aut parochus, cui data est facultas absolvendi a reservatis tempore paschali, in casum sive illi, sive huic reservatum, inciderint (Sanch., *M.*, VIII, 3, a n. 8; Laym., *De Sacr. Poenit.*, 10, 17; Cabri., Res. 18, 19).

(41) Ex Const. Greg. XIII, *Cum a sacra;* et Decr. Clem. VIII; V. S. Alphons., VII, 99. Ideoque nec canonici poenitentiarii (S. C. C., 6 Iulii 1647; V. S. Alph., VI, 599); nec is, qui a S. Sede facultatem obtinuit absolvendi a casibus, *etiam* R. P., reservatis (Ex Bened. XIV, C. *Pias Christifidelium*, 20 Aug. 1752; S. Alphons., VI, 594).

(42) Alex. VII, 12; Cabri., Lib. I, Res. 40, 41. Et de casibus ab ipsis Ordinariis reservatis (de reservatis R. P. dicam postea) definiti iuris est (Decr. Clem. VIII, 26 Nov. 1602; Salm., 10, 2, 40; S. Alph., VII, 98, 99). Quaestionis est, utrum absolvere possint a reservatis Ordinario a iure, vel consuetudine: nam alii negant, alii affirmant (V. Croix, VI, II, 1628). Negantium sententia mihi videtur verior: nempe, quoad *illa*, ex Decr. Pauli V, ap. S. Alph., n. 96, quo vetantur absolvere *a casibus eisdem Ordinariis, vel Sedi Apostolicae reservatis:* quoad *haec*, ex ipsa consuetudinis natura, quae ex Ordinariorum voluntate praesumpta, vel interpretativa initium capit. Verum, quia affirmantium sententia probabilis, immo S. Alphonso (n. 99) probabilior videtur, dubitandum non est, quin tuto ac licite possint (§ 80, n. 77).

tantum absolvi possunt qui illas tulit, licet earum absolutionem sibi expresse non reservaverit (1). *Iure*, etc., nam quae irrogantur ab homine, sive per modum sententiae particularis, sive per modum praecepti, translatitium est ab inferioribus absolvi non posse (2). *Reservatis,* etenim a non reservatis cuilibet confessario, sive propriae sive alienae dioecesis, absolvere datum est.

346. Principio igitur, cun nemo solvere possit, nisi is qui ligavit, palam est, a censuris reservatis a locorum Ordinariis, ipsos tantum, et hos, quibus ab eis datum fuerit nominatim, absolvere posse (3). Haec regula perpetua est: si quam igitur iam incurrerit seu peregrinus, dum in aliena dioecesi morabatur; seu advena, aut incola, qui postea discesserunt non amplius reversuri; seu vagus, seu postea factus Regularis; ab Ordinario eius loci dumtaxat absolvi poterit, in quo censuram contraxit (4). Quoad casus R. P. reservatos, haec regula non est perpetua: nam Episcopi ex Conc. Trident. absolvunt omnes casus occultos R. P. *simpliciter* reservatos, et dispensant omnes suspensiones et irregularitates ex delicto occulto provenientes (V. § 322). Haec potestas 1° non competit omnibus qui episcopali iurisdictione censentur, sed his tantum qui habent dioecesim (5); 2° delegari potest *specialiter* tantum (6); 3° exerceri permittitur tantum *in foro conscientiae*, *in*

(1) Navarr., 27, 162; Cf. Suar., 29, 1, 16. Nam reservatio inest tacite; et, post Const. *A. Sedis,* de reservatis R. P. amplius dubitandum non est.

(2) Ex C. 29, *De S. E.;* V. Suar., VII, 2, Quaesitum est, an inferiores possint absolvere a censuris latis per *sententiam universalem* (V. § 306, n. 6): negant Ugolin., Vasq., Suar. (7, 2, 22), etc., quasi latis *ab homine:* affirmant Tolet., Navarr., Laym. (Cap. VII, 3), Diana (To. V, Lib. I, Res. 93; ibiq. Sa, Hurtado) etc., quasi latis *a iure;* quod vel ipse Suar. (n. 23) probabile putat, et receptum esse testatur.

(3) V. S.Alph., VII, 95, etc.

(4) Suar., 7, 2 a n. 19; Laym., *h. t.,* VII, 4; Salm., 10, 2, 37. Et patet ex his quae superius diximus (§ 341, n. 27). Est et alia ratio, quia censurae ad forum externum pertinent, ne ordo iurisdictionum, seu iudiciorum perturbetur. Quamobrem nec is, qui in sua dioecesi censuram contraxit, si alio postea domicilium suum transtulit (Sayr., II, 20, 4; S. Alph., VI, 590); nec is, qui eam contraxit in dioecesi aliena (Suar., n. 27; S. Alphon., VI, 594, v. *Dubit.* 8), ab alio Ordinario absolvi possunt.

(5) Ex Trid., XXIV., *R.*, 6; S. C. C., ap. Gallemart, in eo C. 6, et ap. Barbo., *De Off. Episc.*, Par. 2, Alleg. 39, 18; Croix, VII, 141, 470.

(6) Ex cit. C. 6. – *Specialiter* autem non ad casus, ut Henriquez, sed ad personas, uti, ex communi, Suarez (*De Poenit.*, 30, 2, 9), referendum est (S. Alph., VII, 93). *Communissima* (S. Alph., Lib. I, App. II, 34). Et forte, ne ad personas quidem, sed ad Vic. Episcopi Generalem, uti Sanch. (*M.*, II, 40, 17; ibiq. Navarr.); quod ideo, ait, a Trident. expressum est, ut ostenderet, id huic non competere ex iure et munere suo.

subditos suos, et in propria dioecesi (§ 322, n. 13). Verum, illud « *in foro conscientiae* » non significat in foro sacramentali, ut nonnullis visum est, sed *in foro animae* (7); *subditos* autem *suos* accipimus, nedum vagos et advenas (8), sed etiam peregrinos; sed hos in foro sacramentali tantum, in quo, iurisdictione de persona in personam prorogata (§ 78, n. 66), subditi proculdubio efficiuntur (9). Illa autem verba, *in dioecesi sua*, utrum pertineant ad absolventem, an ad absolvendum, non satis convenit; ideo sat erit alterutrum in ea versari (10). At, praeter eos qui episcopali iurisdictione gaudent, hodie nemo potest absolvere a reservatis R. P., vel tantum *simpliciter*, vi alicuius consuetudinis, etiam immemorabilis; aut privilegii, licet specialissimi, exceptis privilegiis singulis, v. c., Osio, Sempronio, concessis (§ 398).

Quod et S. Alph. probare videtur (VI, 594, d. 9). Qui proinde bene docet, et eum hoc posse, cui Episcopus *generaliter suam facultatem* commiserit (S. Alph., VII, 93).

(7) S. Pius V, C. *Rom. Pontificis circumspecta*, § 3. Nempe, ut absolutio non prosit *in foro externo* (Engel, V, 39, 120), *si contingat casum in iudicium deduci* (Duardo, Lib. III, § 2, Quae. XI, 30; Suar., 42, 2, 11). Ideoque absolvere eos posse citra confessionem, *est sententia fere omnium* (Lugo, *De Fide*, XXIII, 64; Suar., *De Legib.*, VIII, 6, 6; Sanch., *M.*, VIII, 34, 29; Salm., 10, 2, 54).

(8) Sanch., *D.*, II, XI, 8; S. Alphons., VII, 79; Croix, VII, 136; Cabri., I, 114. De advenis quaesitum est, an Episcopus possit hos absolvere extra sacramentum poenitentiae. Affirmant Sanch., Suar., Bonac., Salm.; negat S. Alph. (VII, 81), ex Declar. Gregor. XIII. Verum haec, etsi revera extet (§ 322, n. 15), huc non pertinet. Scilicet, cum quaesitum fuisset, utrum Episcopus, ex cit. C. *Liceat*, posset absolvere, utrum dispensare fungentes in sua dioecesi officio praetoris, aut medici, Greg. XIII respondisse fertur, *posse Episcopum absolvere* DUMTAXAT *in sacramento poenitentiae, non autem dispensare* (Fagn., in C. *Dilectus*, n. 36, *De Temp. Ordin.*). Iam vero palam est adverbium illud *dumtaxat*, iuxta ea quae proposita fuerant, ad verbum *absolvere*, non ad verba *in sacr. poenitentiae*, referendum esse: aut certe, utrum ad haec referri debeat, ambiguum est.

(9) Suar., 41, 2, 12; S. Alph., VI, 593.

(10) Lugo, *De Fide*, XXIII, 68; Salm., 10, 2, 53. Quaeri ad ultimum potest, utrum is, qui potest a CENSURIS absolvere, seu non reservatis, ut omnes confessarii ex C. *Nuper*, *De S. E.*; seu reservatis, velut Episcopi ex C. *Liceat* (Trid., XXIV); absolvere *ab eis* possit in foro interno, si res ad forum externum deducta fuerit: ratio dubitandi est, quia censurae sunt poenae externi fori, ne iurisdictiones perturbentur. Et puto, absolvere posse, tum *illos* ex C. *Nuper*, ubi hoc sine ulla distinctione concessum est; tum *istos* ex C. *Liceat*, quoad crimen in foro externo probatum non fuerit, quia Trident. unum dumtaxat exigit, ut sint *occulti*. Et hoc ad salutem animarum, et ad conscientias pacandas pertinet. Nec ulla metuenda est iurisdictionum perturbatio, quippe absolutio data in foro interno, in externo pene pro non data est.

347. Deinde, ex potestate delegata, absolvunt a censuris hi, quibus id concessum est ab eo, qui ordinariam habet: qui, cum delegantis personam gerant, *superiorum* appellatione continentur; quod velim, ne excidat. At vero quam late pateat potestas delegati, ex mente delegantis; haec ex verbis, quibus is usus est, metiri debet. In dubio, quia est privilegium praeter ius, latam interpretationem recipit (11). Quamobrem, concessa facultate absolvendi a casibus reservatis, casus, verius et *hic*, ut in § 340, n. 25, accipimus, sive peccata, quod nulli unquam dubium fuit; sive censuras (12); quod sententia communior negat, sed nullo iure. Concessa facultate absolvendi a peccatis, a censuris quoque, si quae his cohaereant, concessa intelligitur; quia, nisi prius censuris ab-

(11) Salm., 6, 11, 84. Secus si speciatim data fuerit ad aliquem, v. g., Caium, Seium, absolvendum (§ 234, n. 34). Nihilominus, quia est beneficium principis, et neminem laedit, non oportet illud aestimare ex rigore verborum. Quamobrem, si dictum sit, ut absolvas Seium *pro hac vice tantum*, haec verba accipienda sunt cum aliqua latitudine (Lugo, *De Poenit.*, XX, 126); et ideo, licet praesens tempus demonstrent, poteris eum absolvere et ab his quae, post concessam facultatem, sed non ultra mensem (S. Alph., VI, 601, q. IV), vel in confidentiam datae facultatis (Salm., VI. 1340; S. Alph., VI, 600, III) admisit. Et si data fuit facultas eum *semel* absolvendi, poteris et ab his absolvere quae eousque, licet ultra mensem, admisit. At cum *semel* absolveris, v. c., ab haeresi, non poteris deinceps eum absolvere, v. c., ab excomm. ob duellum incursa, quia illud *semel*, non ad peccata, sed ad absolutionem referendum est (Salm., 10, 2, 85).

(12) Suar., 7, 4, 13. Contra Navarr., 27, 254; S. Alph., VI, 582, aliosque. Hi aiunt: verbum « *casus* » peccatum significat, non censuram, quae poena est. Ita porro ex subtilitate verborum; *sed recepto et usitato more loquendi, nomine casuum reservatorum et illi veniunt qui censuram habent adnexam* (Suar., *loc. cit.*): nemo quippe est qui, sive petat, sive concedat facultatem absolvendi a *casibus reservatis*, non utrumque intelligat. Et TT. omnes, agentes de *casibus reservatis*, non de solis peccatis, sed etiam de censuris reservatis agunt; in eis Navarr. et S. Alphonsus. Quid quod Trident. (XIV, *De Poenit.*, Cap. VII, in fi., et Can. XI, et Sess. XXIV, *R.*, 12) *casuum* appellatione, et peccata et censuras manifeste, ni mens mea laeva est, comprehendit? Et in Decr. S. C., 9 Ian. 1601, probato a Clem. VII, et confirmato a Paulo V, 7 Ian. 1617, vetamur absolvere a *casibus* reservatis in B. *Coenae*, vel alias quomodocumque A. Sedi *reservatis*, et a *casibus* quos Ordinarii locorum sibi reservant? Bened. XIV, in B. *Inter praeteritas*, edita pro Iubilaeo, an. 1750, de *casibus reservatis* sexcenties mentionem facit (V. §§ 17, 25, 29, 51), ut alias in ea occasione editas Bullas praeteream, et nunquam, his verbis, non peccata simul et censuras intelligit: quas cum secernere voluit, dixit § 39, *a peccatis et censuris*. Itaque reor non esse inquietandos confessarios, qui, nacta potestate absolvendi a *casibus reservatis*, et a peccatis et a censuris absolvunt; eoque minus poenitentes ab eis absolutos.

solutis, peccata, regulariter, absolvi prohibentur (13). Haec generatim: dein, si haec potestas data sit a R. P., ea non continentur reservata ab Ordinariis locorum (14); nec reservata ipsi R. P. speciali modo (§ 390): et si ab his quoque data fuerit nominatim, ea non veniunt reservata in B. *Sacrament. Poenitentiae;* idest absolutio complicis in peccato turpi, et calumniosa sollicitationis denunciatio (15).

348. Potestatis delegatae instar est ea, quae in iubilaeo (sive ordinario, sive extraordinario) dari solet omnibus Christifidelibus, eligendi sibi confessarium approbatum ab Ordinario loci, ubi quis confitetur (16), qui eum a reservatis absolvat; quique proinde quasi *superior* habetur. Quorsum haec pateat, ex Bulla, qua iubilaeum conceditur, metiri oportet (17). Ut generaliter dixerim, haec facultas datur, ut fideles iubilaeum lucrari possint: ideo omnibus dari solet, vitandis quoque (18): et pro omnibus casibus, seu R. P. reservatis, exceptis duobus mox recensitis (19); seu a R. P., quae certa; seu a locorum Ordinarii, quae probabilis sententia est (20). Amplius; absolvi possunt etiam a censuris ab homine latis; verum ab his ad effectum dumtaxat lucrandi iubilaeum (21): nempe, *dummodo serium lucrandi iubilaeum propositum habeant, et ad iniuncta opera adimplenda parati sint* (22). PROPOSITUM etc.; ideo irrita est absolutio data ei, cui, *in praesens*, certum non est praestare opera iniuncta,

(13) Salm., 10, 2, 58; V. § 76, n. 48.

(14) Ex C. 2, *De Poenit.* in 6°; S. C. C., de Mand. SS. an. 1602, ap. Graff., I, IV, 63; Croix, VI, 11, 1628; VII, 149; Salm. 10, 2, 40: quamvis rescripto, vel indulto Pontificio, data sit facultas absolvendi a casibus *etiam* R. P. reservatis (Ex C. Bened. XIV, *Pias christifidelium;* S. Alph., VI, 598, 8); explosa contraria veterum multorum TT. sententia.

(15) S. U. I., Decr. 17 Iunii 1866, de Mand. SS. 14 Apr. 1871.

(16) Vel approbatos (V. § 336, n. 11); vel tales habitos errore communi (§ 79, n. 74). Quamobrem, si publice existimetur, tempore iubilaei omnes sacerdotes, etiam non confessarios, excipere posse confessiones sacramentales, et exceperint, nemo est inquietandus, si quid opinor (Contra Cabri., I, 155, 156).

(17) Bened. XIV, in C. *Apostolica indulta,* C. *Inter praeteritas,* C. *Convocatis,* multa de hac re statuit pro Iubilaeo an. 1750, omnino consulendis: quippe et multas veterum TT. controversias dirimunt, et ab eis vix aut ne vix quidem discedunt posteriores RR. PP. Bullae iubilaeum promulgantes.

(18) Bened. XIV, cit. C. *Inter praeteritas,* § 61.

(19) S. Poenit., 25 Ian. 1875, n. 5, ap. Scavi., To. IV, n. 555. Olim vulgo excipiebatur haeresis.

(20) S. Alph., VI, 537, VIII; VII, 111. Et quoad reservatos a R. P., est communissima, teste Croix (VI, II, 1451); et post C. Bened. XIV, C. *Convocatis,* n. 5, pene definiti iuris est.

(21) Bened. XIV, C. *Convocatis,* n. 6. Et ita vetus quaestio finita est.

(22) Bened. XIV, C. *Inter praeteritas,* n. 61.

etsi postea praestiterit; et contra, rata ei, cui *hic et nunc* certum est ea praestare, etsi postea non praestet (23). Et, quia in potestate cuiusque est, ea praestare quo ordine maluerit, et novissimo denique eorum praestito, quodcumque illud sit, lucratur iubilaeum, toties a reservatis absolvi quisque poterit, quoties iterum redit, quoad omnia prorsus impleverit (24). Nempe durante iubilaeo; nam, eo elapso, finitur iurisdictio; et iurisdictione, seu ordinaria seu delegata, utcumque finita (V. § 11), absolutio nullius momenti est, nisi forte iurisdictio prorogata fuerit de tempore ad tempus (25).

349. Ad haec, *ne pro dilatione poenitentiae periculum immineat animarum* (26), impediti superiorem (seu ordinarium, seu delegatum) adire, nonnunquam ab inferioribus DIRECTE absolvi possunt. Non quidem, ut olim, quoties impedimentum est perpetuum, vel diuturnum, vel, urgente gravi causa (ex. gr. *communicandi, confitendi, celebrandi, sacramenta minisrandi*) etiam breve (27); sed, si agatur de reservatis R. P. sive simpliciter sive speciali modo, *in*

(23) Cit. Const., nn. 62, 86. Nec is reincidit in censuras (cit. n. 86): sed levi non caret (S. Alph., VI, 537, q. III).

(24) Cit. C. *Inter praeteritas*, §§ 73, 79. Ad haec, V. § 78, n. 67. Non item si, post lucratum iubilaeum, denuo inciderit in reservata; nisi id in Bulla Pontificia expresse comprehensum sit (S. Poenit., 1 Iun. 1869). Valet autem absolutio a censuris, et tollitur reservatio a peccatis, etsi confessio fuerit nulla (S. Alphons., VI, 537, q. 2). Quid si fuerit sacrilega? Affirmat Caietanus, quia reservata iudicium superioris revera subeunt; negat Viva, ne quis commodum ex iniquitate reportet. Lugo (*De Poenit.*, XX, 112, 113) mediam viam tenet; nam si poenitenti statutum sit iterum valide confiteri, priorem; sin minus posteriorem sententiam sequitur. S. Alph. (*l. c.*) sententiam Vivae omnino tenendam putat: mihi videtur verior sententia Lugonis; nam si reservatio tollitur per huiusmodi confessionem alii superiori alias factam, cur non et hac? Nec enim deest propositum lucrandi iubilaeum, nec obstat, ut retur S. Alphon., C. Bened. XIV.

(25) V. §§ 77, n. 62; 78, n. 66. Quamobrem, si me petentem ab Episcopo absolvi a casibus occultis R. P. reservatis, vel a confessario electo in iubilaeo, iusserit *ille* me prius satisfacere parti laesae; aut *is* redire, quia imparatum invenit; et medio tempore Episcopus abdicaverit episcopatum, vel tempus iubilaei praeterierit, poterunt redeuntem absolvere (V. cit. §§). Et ratio est, quia *ubi semel coeptum fuit iudicium, ibi et finem accipere debet* (§ 86, n. 37); et iurisdictio non terminatur ad actum nullum (V. § 77, n. 55; S. Alph., VI, 563, V).

(26) C. 16, *De Poenit. et remiss.*

(27) *Breve* impedimentum accipimus quod citra, et *diuturnum* quod ultra sex menses protrahitur (S. Alphons. VII, 88). *Perpetuum* autem 1° quod vita finitur (S. Alph. ibid); vel 2° in tempus indefinitum protrahitur (C, 13, *De S. E.;* et C. 22, eod. tit. in 6°; vel 3° ad quinquennium durat (S. Alph. ibid). *Primo* ex perpetuo detinentur Regulares

casibus dumtaxat gravioribus, in quibus 1° absolutio differri nequeat absque periculo gravis scandali vel infamiae (28); *aut* 2° durum valde sit poenitenti in gravi peccato permanere donec concedatur absolvendi facultas (29): iniunctis tamen in utrisque casibus de iure iniungendis, et sub poena reincidentiae in easdem censuras, si saltem infra mensem absolutus per se aut per confessarium non recurrat ad S. Sedem (30), vel ad suum Ordinarium, cui absolvendi facultas super praedictis casibus delegata sit (31). Idque etsi agatur de reservatis simpliciter R. P. (32).

A reservatis autem Ordinariis vel ab Ordinario, quidam negant *inferiores* absolvere posse, si absque gravi incommodo adiri nequeat (33); plures affirmant (34); quae mihi probabilior, aut certe probabilis, adeoque tuta (§ 86, n. 77) sententia est.

(CC. 1, 32, 33, 50, *De S. E.;* (V. Cabri, I, 98); mulieres (C. 6, *Eod.;* senes (C. 13, eod.) nempe sexagenarii (S. Alph. ibid.); valetudinarii et membris destituti (cit. C. 13); qui munus vel officium exercent, quod sine publico (S. Alph. ibid. n. VII), vel privato gravi alicuius detrimento (Silv., Sayr., Thesaur., I. 24) relinqui non potest, prout magistratus, parochi, medici, etc.: *altero* filiifamilias (cit. C. 13, et S. Alph., ibid. n. 1); famuli (C. 37, *Eod.*); qui longa et gravi (etsi non mortali) aegritudine laborant, veluti quartana (S. Alph. VII, 88) inopes (C. 43, *Eod.*): *tertio* regulariter milites, ephebi qui in Collegiis morantur, inclusi carceribus, etc. Unde regula: *Casus Papales, si Papa adiri non potest, fiunt Episcopales.* A quibus pro foro dumtaxat interno (Calvi, I, 112) Episcopi absolvebant simpliciter (CC. 13, 58, *De S. E.*, et C. 22 *Eod.* tit. in 6°, S. Alph., VII, 88), et simplices confessarii cum onere adeundi Superiorem postquam impedimentum cessaverit, *mandatum* ab eo humiliter suscepturum. Verum hodie qui versantur in impossibilitate personaliter adeundi S. Sedem neque a simplici confessario, neque ab Episcopo qui speciali careat indulto, absolvi regulariter possunt, et per literas recurrere debent ad Eminentissimum Card. Poenitentiarium (S. U. I., 23 iun. 1886 ad 2um et 17 iun. 1891, ad 1um). Contraria autem sententia tuto adhuc teneri nequit (S. U. I., 23 iun 1886, ad 1um).

(28) Cit. S. U. I., 23 iun. 1886, ad 2um.

(29) S. U. I., 16 iun. 1897.

(30) S. U. I., ll. cc. Nihilominus, excepto casu absolventis complicem (S. U. I., 7 iun. 1899), absolvi potest etiam absque onere mittendi epistolam, quando ipse vel eam mittere, utpote scribendi impar, vel eidem confessario qui mittere posset, se iterum praesentare nequeat, et sibi durum sit alium confessarium adire (S. U. I., 9 nov. 1898, et 5 sept. 1900.

(31) Scilicet vel ad Episcopum, vel ad Vicarium generalem tamquam ad Ordinarium facultatum Episcopalium absolvendi de iure partecipem (S. U. I. 19 dec. 1900, ad 1 et 2, facto verbo cum SS.mo).

(32) S. U. I, 17 Iun. 1891, ad 2um.

(33) Suar., *De Poenit.*, 30, 3, 11; Lugo, *De Poenit.*, XX, 225; S. Alphon., VII, 92, v. *Si quis autem.*

(34) Sanch., *D.*, II, 13, 24; Salm., 10, 2, 54; Ronca., Quae. I, Cap. VI. q. 5, ibiq. Hurtad.; Diana, To. I, Tr. V, n. 18, ibique Marchant, Henriq., et Paulus; Gury, II, 575, ibiq.

349bis. Demum, *ne hac occasione aliquis pereat* NULLA unquam fuit, nec EST RESERVATIO *in articulo* (*seu periculo*) *mortis* (35). Quamobrem omnes sacerdotes, quibus permittitur in eo rerum discrimine a peccatis absolvere, possunt absolvere a *quibusvis* censuris (36), etiam a reservatis R. P. speciali modo (37). Permittitur autem absolvere a peccatis *cuilibet* sacerdoti, si approbatus desit (38). Deesse autem intelligitur, si vel non facile acciri possit (39), vel post coeptam, instante necessitate, confessionem, supervenerit (40);

cl. Ballerini; et vel ipse S. Alph., VI, 585, pr.: nisi dicere velimus, statuta dioecesana in iure veteri fuisse Ecclesiae legibus graviora. Quid quod vix non aperte cautum est in C. 22, *De S. E,* in 6°? Ibi: *Eos qui a sententia Canonis vel hominis... propter imminens mortis articulum,* AUT ALIUD IMPEDIMENTUM LEGITIMUM, *ab alio* (quam ab eo *a quo alias de iure fuerant absolvendi*) *absolvuntur, si cessante postea periculo, vel impedimento, se illi contempserint praesentare...; in eamdem sententiam reincidere ipso iure.* Obiciit S. Alphons.: *inferiores, extra artic. mortis,* NIHIL POSSE (Trident.): ita sane, sed *regulariter;* alias nec hi iure veteri absolvi poterant, qui impedimento perpetuo laborabant. Sane Trident. ad omnes casus, sive a R. P., sive ab Ordinariis, reservatos pertinet: si impediti Episcopum adire, ab *illis* per *quemcumque confessarium absolvi poterant* (S. Alph., VII, 92), quidni et ab *his* quia relata S. U. I. Decreta respiciunt Papales casus? Nempe, reponunt, quia *Episcopi* facilius adire possunt: sed quo mihi, si ego meum commode adire non possum? Obiicit Lugo, quia si R. P. voluisset, impeditos adire Episcopos posse ab inferioribus absolvi, id certe dixisset; prout dixit, impeditos adire R. P. posse Episcopum adire (cit. C. 29, *De S. E.*): haud ita sane; nam in eo C. 29, de solis R. P. reservatis agitur: et nonne id dicit Bonif. VIII, in C. 22, *De S. E.* in 6°?

(35) Trident., XIV, *De Poenit.*, VII; Immo nec potest esse, quia omnis *potestas in aedificationem, non in destructionem data est.* Ac proinde in eo *articulo omnis reservatio* CESSAT (Rit. Rom., *De Sacram. Poenit.* § 17). OMNIS, atque ideo seu peccata, seu censurae reservata fuerint: quae idcirco eodem iure censeri debent (Suar., *De Poenit.*, 30, 3, 4).

(36) C. 11, *De Poenit.;* C. 22, *h. t.* in 6°. *Quibusvis;* nempe a iure latis. Item et ab excomm. et ab interdicto personali, latis ab homine; quippe, nisi *illis* prius absolutis, peccata licite absolvi; nisi *hoc* absoluto, sepultura ecclesiastica dari non potest. Non item a suspensione Henriq., Sayr.; Salm., 10, 8, 49; Lugo, *De Poenit.*, XX, 203; Cabri., I, 83; contra Ugolin. et Mazuch., quia Trident. heic cavet his tantum, quae animarum intersunt.

(37) S. U. I., 28 iun. 1882; 17 iun. 1891, ad 3um; et 30 mar. 1892.

(38) Rit. Roman., *De Poenit.* Ergo et haeretico et vitando (Reginald., I, 60; S, Alph., *H. A.*, XVI, 92; et *QQ. RR*, II, 19). Et vix credibile est, de hoc tamdiu dubitatum fuisse: nam quid dubitabant? Scilicet, num piissima mater Ecclesia voluisset, negata his iurisdictione, exponere morituros damnationis periculo!

(39) V. S. Alphons., VI, 563.

(40) S. Alph., \ I, 563, V. Nempe, ubi semel coeptum est iudicium, ibi et finiri debet (§ 86, n. 37). *Instante,* etc.; quod non rigorose, sed ex communi hominum iudicio aestiman-

item, si praesens nolit excipere confessionem; aut nequeat, ut surdus; aut prohibeatur, ut suspensus nominatim, vel complex in peccato turpi: immo etsi possit, et permittatur, et velit, si poenitens abhorreat ab ipso forte, v. c., inimico, vel consanguineo, aut nimis familiari, aut minus idoneo (41). Sed an possint absolvere (a reservatis), praesente superiore? Negant quidam: primo, quia reservatio cessat, *ne hac occasione aliquis pereat;* deinde, quia poenitens tenetur illum adire, si convaluerit; atqui adire eum potest hic et nunc (42): affirmant alii, quia in eo casu omnis reservatio cessat (43): ratio

dum est. Et si forte confessio fuerit nulla, non coram approbato, qui supervenit, sed coram eo repetenda est, quasi non finito negocio (V. § 33, n. 10) per absolutionem nullam: non item, si confitendum esset aliquid omissum inculpabiliter; quippe novum iudicium foret (S. Alph., VI, 563).

(41) S. Alph., *l. c.* Quaesitum est, an simplex sacerdos valide absolvat, praesente approbato, si nihil prorsus obstet, quominus is confessionem excipiat. Sententia communior negat (V. S. Alph., 562); sed affirmant, *ex veteribus, multi; ex recentioribus, plurimi* (Stoz, Lib. II, Quae. 2): et *negari non potest, quin probabile sit* (Lugo, *De Poenit.*, XVIII, 23); nempe (aiunt), quia ex Trident. (XIV, *h. t.*, Cap. VII), in articulo mortis OMNES *sacerdotes* absolvere possunt: sed non bene, quia Tridentinum heic loquitur de casibus reservatis (V. § 187, n. 41). Ergo nec probabilis haec sententia videtur, nec sequenda in tanto discrimine rerum. At optandum profecto est, ut aliquando ab Ecclesia probetur, ad omnia dubia et omnes sollicitudines removendas.

(42) Laym., *De Excomm.*, VI, 2; Lugo, *De Poenit.*, XVIII, 29; Thesaur., Par. I, Cap. 24, Resp. IV; V. Cabri., I, 75.

(43) Suar., *De Poenit.*, 30, 3, 5; Filiucc., VII, 288; XI, 288; Silvest., Sa, Diana, etc. Hanc sententiam tacite profitentur quotquot simpliciter docent, omnes confessarios posse in eo casu a reservatis absolvere, ceu Sayr. (II, 20, 25), Bonaci. (To. I, Quae. III, P. III, 71), aliique sane multi. Est, quasi media inter has, sententia docentium, non posse praesente eo, penes quem est ordinaria absolvendi a reservatis iurisdictio (v. c.. a casibus occultis R. P. reservatis, praesente Ordinario, vel si is facile accersiri possit); ab aliis posse (v. c., a reservatis R. P. non occultis), quia in his eodem iure censentur Ordinarius et parochus (V. Cabri., I, 77). Ita sane, si in eo articulo non cessaret omnis reservatio.

Denique est quarta, et, ni fallor, singularis opinio S. Alph. (Lib. I, App. II, n. 45; Lib. VII, 92), existimantis, inferiores confessarios, praesente Episcopo, absolvere posse ab omnibus censuris R. P. reserv., etiam non occultis, quia in eo rerum discrimine omnis reservatio cessat; a censuris *ab eodem Episcopo reservatis,* non posse: nempe, *quia non debet infirmus, elapso periculo, se praesentare Episcopo, sed Pontifici.* Sed quaero, utrum Episcopi statuere possint, contra Ecclesiae consuetudinem semper, ubique, et ab omnibus custoditam, ut a casibus ab ipsis reservatis, nemo absolvere possit, nec in mortis articulo, si ipsi forte praesentes fuerint, aut facile acciri possint: an potius reservatio quoque episcopalis cesset in articulo mortis; et si cessat, utrum reservata eodem iure ac non reservata censeri debeant (V. n. 43), an secus? Deinde, ignoscat S. Dr., ab *occultis* R. P. reservatis Episcopi absolvunt ordinario iure suo (S. Alph., Lib. I, App.

brevis et urgens: nec movent contraria; nam ratio legis non est lex (44); et obligatio adeundi superioris, non eo spectat, ut quis absolvatur, sed ut *mandatum* ab eo recipiat; nec est absoluta, sed si convaluerit; ergo ante impletam conditionem non intelligitur; quid autem huic obligationi cum iurisdictione absolventis?

350. Porro absolutis ab inferiore *propter imminentis mortis articulum*, olim necesse fuit, *cessante postea periculo*, superiorem adire, *mandatum ipsius humiliter recepturis* (45). C. *Ap. Sedis* firmam esse voluit, *quoad absolutos in mortis articulo* a censuris R. P. spec. reserv., *obligationem standi mandatis Ecclesiae*, si convaluerint (§ 398): quaesitum est, utrum his verbis sublata sit adeundi superioris obligatio. Et certo sublata fuit quoad reservatos simpliciter R. P. (46); quod reservatos ab Ordinariis, non item; quippe ad *illos* ea Constitutionis *Ap. Sedis* verba, ad *hos* Const. ipsa non pertinet: quaestio igitur respicit casus reservatos R. P. speciali modo, olim reservatis in *Bulla Coenae*. Itaque affirmant Gury, Ballerini, et cl. Bucceroni (47); eam cum primis ratione moti, quod, ex TT. doctissimorum sententia (48), alia sit parendi mandatis Ecclesiae, alia adeundi superioris obligatio. Sed, etsi et ratio et auctoritas horum TT. me plurimum mo-

II, 34); et si in aliqua necessitate ab inferioribus fuerit aliquis absolutus, ea postea cessante, is non R. P. adire debet, sed Ordinarium a quo absolvendus fuerat (C. 22, *De S. E.* in 6°): aut igitur nec ab occultis, aut ab omnibus, praesente superiore, absolvi posse, dicendum est.

(44) V. § 188, n. 54. Sane, si lex heic ex hac *ratione* metiri debet, nefas erit absolvere et a suspensionibus, et ab interdictis; quî enim, his non absolutis, aliquis pereat? Verum, quid his opus est? Quid enim docet Tridentinum? Ne hac occasione aliquis pereat, datam fuisse inferioribus confessariis facultatem absolvendi? Minime, sed nunquam eis ademptam, limitatam fuisse. Sententia haec omnino tenenda est; etenim inconsultissimum puto (absit verbo invidia), in tanto tamque formidoloso discrimine rerum, sollicitudinem struere morituro: eique facile metuenti seipsum prodere, alium, et forte sibi ingratum, confessarium obtrudere. Quid, quod S. Poenit. de hac re consulta, noluit quaestionem dirimere, et, die 21 Nov. 1873, respondit: *Consulat probatos Auctores?*

(45) C. *Eos qui*, 22, *De S. E.* in 6°; 11, 13, *Eod. tit.* – *Superiorem*, nempe eum a quo extra id periculum absolvi debebant (Cit. C. 22); atque ideo et Ordinarium, cui absolvendi facultas a S. Sede delegata sit. Haec obligatio non tenet eos, qui confitentur tempore iubilaei, quia *confessarius electus*, quasi superior intelligitur (Cabri., I, 96; ibiq. Sanch., Suar., etc.), ceteris paribus.

(46) S. U. I, 28 iun. 1882; 17 iun 1891, ad 3um, et 30 mar. 1892, ad 4um.

(47) Cl. Buccero., *Comm. De Censuris*, §§ 65-78. Romae 1885.

(48) Sanch., *D.*, II, XIII, 17-24; Lugo, *De Poenit.*, XX, 204, 205. Et recte (S. C. C., 28 iun 1882, ad 12; et I7 iun. 1891, ad 3; quibus responsum fuit *obligationem*, etc., superesse *solummodo* quoad reservata *speciali modo*).

veat, reor ea verba - *standi* MANDATIS - sic accipienda esse - *standi* LEGIBUS *Ecclesiae;* quia C. *Ap. Sedis* censuras, non obligationes iure canonico introductas, coercuit, sustulit; quamdiu igitur non apparet manifeste, hanc obligationem sustulisse, vetus ius possidet (49). Et obligationem adeundi superiorem sublatam non fuisse, hodie definiti iuris est. Nam ex S. U. Inq. absolutio in casu danda est infirmo sub poena reincidentiae in easdem censuras cum obligatione *standi*, postquam convaluerit, mandatis Ecclesiae; scilicet adeundi S. Sedem, saltem per epistolam, per se aut per confessarium, vel novam absolutionem petendi ab habente facultatem absolvendi a censuris speciali modo R. P. reservatis; hoc enim importat obligatio standi mandatis Ecclesiae (50). Quando autem haec adeudi superioris obligatio eo spectat, ut *mandatum ipsius* recipiatur, verius est non cessare, licet reus plane emendatus fuerit, et satisfecerit (si quem laeserat) parti laesae (51).

ART. III. *Cui et quomodo danda sit absolutio a censuris.*

351. Censura ad instar cuiusdam vinculi esse intelligitur (§ 327); quamobrem dubitandum non est, valide solvi a censuris posse et inscium, et invitum (1). Nihilominus absolutio ei solum danda est,

(49) Sane in Bulla *Coenae* (cuius verba exscripsit C. *Ap. Sedis*) duo tantum exigebantur, nempe *cautio* standi mandatis Ecclesiae, et satisfaciendi parti laesae: et nihilominus communissima sententia fuit, sic absolutis necesse esse, si convaluissent, superiorem adire. Contraria sententia Millardum (ignotum theologum) habuit auctorem, et forte secundum non habuit; nam quidam Coelestinus, qui illam secutus fuit, ad censuras occultas eam coercuit; quos refert, nec probat vel ipse Diana (To. V, Tr. I, Resol. 102). Ceterum cl. Bucceroni adeundi superioris obligationem agnoscit cum Gury et Ballerinio (II, 576), si aut lex nominatim id iubeat, aut res notoria fuerit, vel ad forum contentiosum deducta (§ 69).

(50) S. U. I., 28 iun. 1882; 17 iun. 1891, ad 3um, et 30 mar. 1892, ad 4um.

(51) S. U. I. 28 iun. 1882; 23 iun. 1886, ad 2um; 19 aug. 1891, ad 2um; et 30 mar. 1892, ad 1um. Verum et heic applicanda censeo Decreta S. U. I. superius relata (§ 349, n. 30), secus deterior foret conditio moribundi.

(51) Suar.; Laym.; Salm.; S. Alphons., VII, 87. Verum iubilaeo forte superveniente, satis erit adire, quasi superiorem, confessarium electum (Cabri., I, 97; ibiq. Suar., Sanch., Laym., etc.; V. n. 52).

(1) Ex L. 23, *De Solution.;* D. Th., *Suppl.*, 24, 2; Suar., VII, 1, 5; Tolet., I, 15, 2. Secus si detur a confessario, cuius electio pertinet ad absolvendum (Bened. XIV, C. *Inter praeteritas*, § 62), quippe eius iurisdictio ex huius electione consistit (S. Alph., VII, 131); ut in iubilaeo (Salm., 10, 2, 29). Porro absolutio a censuris potest valida esse, quamvis sit illicita, vel iniusta (Ex C. 7, § 3, *De S. E.* in 6°; Suar., VII, 5, 42): hoc primum. Deinde,

qui eam poscit humiliter (2): et dummodo recesserit a contumacia (3); scandalum, propter quod censurae subiacebat, reparaverit (4); et, si quem laeserat, satisfecerit parti lesae (5); vel (si in praesens satisfacere nequit) promiserit, cum primum poterit, satisfacturum (6). Ad haec, si crimen sit de atrocioribus, aut de percussione clericorum, promittere debet se nunquam in illud relapsurum (7).

352. Qui aliter absolvit, nisi ex iustissima causa (v. c., si reus alias haud resipisceret), non caret letali (8). Sed an valeat nihilominus, si data fuerit, absolutio? Utique si absolvit inscium vel,

quae iure canonico conditiones requiruntur, ut absolutio dari possit, quia censura est poena fori exterioris, ad hunc forum omnes quidem pertinent; ad internum vero illae dumtaxat, quae necessariae sunt ad peccatum, cui censura cohaeret, absolvendum: quod velim animadverti.

(2) C. 40, § ult., *De S. E.*

(3) Ex C. 25, *De Appellat.*

(4) S. Poenit., 5 iul. 1857; Gury, II, 955.

(5) C. 2, § 1, *h. t.* - *Parti laesae*, idest ei quem affecit iniuria (Ex C. 7, *h. t.* in 6°), dummodo *manifesta sit offensa* (C. 2, *Eod;* C. 23, *De V. S.*). Quid, si iussus fuit absolvere, *satisfacta* parte, utrum haec *conditio* sit (Caiet.; Sot.; Armilla; Duard., lib. III, § 2, q. 16, 4; Suar., VII, 5, 44), an *monitio?* (Bonac.; Sanch., *M.*, III, 33, concl. 3; Salm., 10, 2, 25; ibique Hurtado, Ugolinus, Alter., Laym.). Et quia haec tacite inest, nisi aliud pateat manifeste, hoc magis puto. S. Alph. (VI, 121) priorem sententiam probabiliorem, posteriorem probabilem censet: contra, Salm. (*l. c.*) illam probabilem, hanc probabiliorem; et rectius ex regulis iuris (§ 76, n. 48, etc.). Sed sufficit probabilem esse, nam, si est probabilis, quod ad validitatem absolutionis tuta est (§ 80, n. 77); nec, post eam datam, absolutus est inquietandus (§ 231, n. 9).

(6) Laym., *De Excomm.*, VI, 7; Reiff., V, 39, 270. Quaestionis est, an sit necessaria *cautio* pignoratitia; et, si haec dari nequeat, fideiussoria, de stando mandatis Ecclesiae, satisfaciendo, etc. Quidam indiscrete affirmant, alii indiscrete negant: neutrum plane; sed illi recte, cum absolutio datur in foro externo, quippe cautum nominatim in iure; hi rectissime, cum datur in foro sacramentali, nam alias sigillum prodereturr. Quaestio igitur ad eam solam absolutionem pertinet, quae datur in foro conscientiae: sententia negantium in hoc foro cautionem necessariam esse, mihi verior est; nam *cautio* res est fori exterioris, et canones qui illam exigunt ad forum externum pertinent, quia censura est poena exterioris fori (Diana, To. V, Tr. I, Resol. 186, n. 2; Spor., *De Poenit.*, 762). Et favent Rit. Rom. (*Ordo ministran. sacr. Poenit.*, § 17, iuncto Tit. *De Absolut. ab Excomm.*, § 1); et responsa S. Poenit. (10 Dec. 1860, 11 Apr. 1869), quibus edicitur, sufficere, si animo parati sint damna sarcire, reparare scandala, et stare mandatis Ecclesiae desuper ferendis (Cf. Baller., ad Gury, II, 952; et cl. Bucceroni, §§ 84, 85).

(7) Ex CC. 10, 11, 26, *h. t.* Ab his quidem exigitur promissio, sed iurata in foro dumtaxat externo. Iuratam promissionem in foro quoque interno exigit S. Alph. (VII, 129), ex Salm. (10, 2, 18), hi ex Suar. (19, 2, 10). Sed meliori iure alii iuramentum praetereunt (V. not. 1), et cl. Lehmk. (II, 879, ad V) illud excludit.

(8) V. S. Alph., VII, 131.

extra iubilaeum, invitum (9). Sin adhuc contumacem (quoties nempe delictum habet tractum successivum), siquidem absolvit is, qui potest abrogare legem, vel praeceptum quo censura lata fuit, rata utique est absolutio; secus irrita (10), et planum est: quia, cum censurae eo spectent, ut reus a contumacia recedat, manente illinc lege, hinc contumacia, in continua legis transgressione versatur; et si valeret absolutio, illico reincideret in eamdem censuram.

353. Dari autem potest absolutio a censuris, quamdiu fuerint occultae, in foro interno, seu sacramentali, seu conscientiae; praeterquam in iubilaeo, in quo danda est in foro sacramentali (11). Et licite, ex urgenti causa, datur absenti per literas, vel internuncium; nisi alicui mandatum fuerit absolvere in *forma Ecclesiae consueta* (12), *vel in confessione sacramentali.* Quid, si absolutus per superiorem (seu ordinarium, seu delegatum), aliquam censuram, vel peccatum (nam heic pari passu ambulant) reservatum oblitus omiserit, num et illa quoque absoluta, et quoad hoc reservatio adempta dicenda sit? Negant Vasq., Concina, Antoine, S. Alph., etc., quia *non subierunt iudicium* superioris: affirmant Sanch., Lugo, Sal-

(9) Ex C. 7, § *Ubi, h. t.* in 6°; V. § 351, n. 1. *Extra iubilaeum;* quia privilegium est (V. § 223, n. 9).

(10) Suar., VII, 7, 8; Salm., 10, 2, 28; S. Alph., VII, 131. Itaque si, v. c., Episcopus viduae alicuius praedium retinentem, vel parochum absentem a parochia excommunicaverit; et, nondum restituentem, nondum reversum absolverit, valet absolutio: si absolvit retinentem praedium Ecclesiae, quod ab usurpatoribus emerat, vel haereticum non abiurantem, nihil agit (C. 5, Cau. 24, 2; V. S. Alph., VII, 131).

(11) S. Alph.; VII, 70, 126. – *Seu;* nam dari potest seorsum a peccatorum absolutione (§ 336), etiam in articulo mortis (Laym., *De Excomm.*, VI, 2). Alii id negant: et quamvis lis adhuc sub iudice esse videatur (V. S. Alph., VII, 126), affirmantium sententia mihi verior est, quia absolutio a censuris non est res fori sacramentalis, sed beneficium *praeter ius* Principis est (V. § 228, n. 10). Nec obstat declaratio Greg. XIII, cui inniti videtur S. Alph., *l. c.* (V. § 346, n. 12). Haec autem pertinent, ut opinor, ad eum qui absolvit potestate sua ordinaria; puta Episcopum, ex C. *Liceat* (Trid., Sess. XXIV), confessarium, ex C. *Nuper, De S. E.;* nam is qui mandata iurisdictione utitur, observare debet diligenter fines mandati (§ 76, n. 45). *Prueterqaam;* ex Bened. XIV, C. *Inter praeteritos,* § 63 (V. S. Alph., VI, 536, XIV): et ita vetus (V. Cabri., I, 136) lis finita est.

(12) S. Alph., VII, 117; Schmalz, III, 16, 147; Salm., 10, 2, 16. Data autem per literas tunc demum valere incipit, cum hae ad absolvendum pervenerint; nisi alia fuerit absolventis intentio (Duard., Lib. III, § 2, q. I, 59); et iure prorsus (V. § 224). *Nisi* etc.; sed, etsi non dederit in forma consueta, valet absolutio (Suarez, VII, 5, 43); quia cum haec clausula iure insit, monitio, magis quam conditio, intelligitur. Porro *forma Ecclesiae consueta* pro foro interno ea est, qua utimur in foro sacramentali; in externo solemnis est (V. Rit. Rom., *De Sacram. Poenit.*).

mantic., Cabri., Ronca., etc., si absolvens dixerit: *Ego te absolvo ab* OMNI *vinculo*, etc., et communissima, teste vel ipso S. Alphonso, sententia est (13). Et mihi est verior; nam si ea verba - *ab omni vinculo* - rite adiiciuntur, absolutio pendet, non ex iudicio, sed ex potestate et voluntate absolventis (14); voluntas autem ea praesumitur, quam verba demonstrant (15); maxime si absolverit in foro sacramentali, et de his censuris agatur, quibus prius non absolutis, nefas est a peccatis absolvere: nec obest quod non subierint iudicium superioris (V. § 338). Aliud iuris est (et vix aliquis negat), si quid dolo reticuit (16).

354. Absolutionem a censuris dari posse sub conditione, etiam de futuro, trasnlatitium est. Et sic dari potest, ut valere incipiat postquam reus aliquid praestiterit, v. c., restituerit (conditio *suspensiva*); vel ut statim valeat, sed nisi intra certum tempus aliquid praestiterit, e. g., nisi restituerit (conditio *resolutiva*), ipso iure reincidat in eamdem censuram (17). Haec posterior absolutio dicitur

(13) S. Alph., VI, 597; VII, 131.

(14) V. Lugo, *De Poenit.*, XX, 85, 90. Quid, quod ab ipsis quoque contrariae sententiae patronis absolutio aestimatur, non ex iudicio, sed ex voluntate absolventis? Nam sententiam nostram recipiunt, *si ex aliquo positivo indicio habeatur praesumptio,* VOLUISSE *Superiorem reservationem auferre;* vel reus eum *adiverit ad hunc finem, ut ab omnibus reservatis absolvatur* (S. Alph., *l. c.*). Porro S. Alph. sententiam nostram non explodit; nam probabilem censet; quod autem subiungit: *omnino tamen dicendum puto, reservationem non auferri quando adesset positiva praesumptio, quod, si superior audivisset peccatum reservatum, absolutionem distulisset,* omnino displicet, quia in odiosis nunquam utimur voluntate interpretativa (§ 136, n. 25); et, cum haec ex vario confessariorum ingenio heic aestimanda essent, sententia S. Doctoris (adsit reverentia vero) ad nihil aliud utilis esset, quam ad fovendas sollicitudines et anxietates conscientiarum, si quid opinor.

(15) Salm., 10, 2, 32; V. § 184[3]. Est tertia sententia Suaresii (*De Poenit.*, 31, 4, 14), media inter utramque; nam si poenitens superiorem petiit ea data opera, ut a reservatis absolveretur, nostram; secus contrariam sententiam sequitur (V. Cabri., I, 66, 67); quod est, ni fallor, absolutionem metiri, nec ex iudicio, nec ex voluntate *absolventis,* sed cum primis ex intentione *absolvendi,* quod mihi difficile est.

(16) S. Alph., VI, 598, v, *Recte*; VII, 131, not. IV; Salm., 10, 2, 32; ibiq., Covarr., Conin., Pal., Silv., Navarr.

(17) Ex C. 40, *De Appellat.;* Diana To. V, Tr. I, Resol. 190; Navarr., 26, 12; Suar., 7, 8, 7. Verum priori modo (*nunc pro tunc*) regulariter danda non est, maxime *ne reus iudex suae absolutionis constituatur* (Salm., 10, 2, 12). Absolutionem dari posse sub conditione, negarunt S. Anton., et Tolet. (I. 15, 3); nempe aiebant: *actus legitimi neque conditionem recipiunt neque diem* (C. 50, *De R. I.*); sed quomodo probant, absolutionem huiusmodi esse actum (ut Nostri plerique male intelligunt) *legitimum?* Et si irrogari possunt sub conditione, absolvi (quod est favorabilius) quidni possint?

ad reincidentiam. Est autem reincidentia vel a iure, vel ab homine. *A iure*, qua olim inerat mandato legis, adeudi superiorem, cum quis absolutus fuerat ab inferiore, diuturni alicuius impedimenti, vel mortis causa (18); haec hodie cessat, si quid opinor, quippe eam silentio praeteriit Const. *Ap. Sedis* (19), licet adeundi superioris obligatio, verius, non cesset. *Ab homine* est, quae adiictur ab eo qui absolvit; quaeque proinde non itelligitur, nisi absolutio sub hac expressa declaratione, idest adiecta reincidentia, data fuerit (20): et ab eo solo adiici *potest*, qui potest ferre censuras (21). Et quia, verius, nova (licet eiusdem speciei) censura est (22), sine nova culpa et contumacia non incurritur (23).

355. Demum absolutio danda est scienter et libere: non valet

(18) C. 22, De S. E. .n 6° Haec inerat tacite (Sanch., *Dec.*, II, 13, 30; S. Alph. VII, 86; Salm., 13, 2, 46,

(19) V. § 398, Scilicet censurae, quas C. *Apost. Sedis* non *recensuit,* non *inseruit*, cessant; atqui censuram hanc, nedum non recensuit, non inseruit; sed tunc, cum mentio de ea facienda erat, omisit: ergo, etc, Contra putant clariss. Comm. Patavinus, et Romanus; quorum alter negat omissam fuisse, quia *duo erant Ecclesiae mandata, se praesentandi, et reincidendi:* alter negat reoensendam fuisse, quia eo spectat, ne absolutus *illudat censurae.* Sed displicet utrumque: *primum*, quia nemo dixerit mandatum impositum contumaci *poenam* esse: *alterum*, quia censurae aestimari debent *ex hac Const., non secus ac si primum ab ea editae fuerint* (Cit. § 398, n. 3): numquid antea aliquis in censuram reincidisset, nisi eam adiecisset Bonif. VIII?

(20) Ex C. 8, *De O. O;* S. Alph., VI, 537, in fi., v. *Utrum.* Adeoque in eam non reincidit hac lege absolutus, ut *infra mensem satisfaciat parti laesae,* si non satisfecit (Suar., 22, 3, 11; Bonac.; Salm., 10, 2, 32; S. Alph., *l. c.*): deest enim contumacia.

(21) Suar., VII, 6, 24; Croix, VII, 158. Et hodie post Decret. S. U. I. (§ 349, n. 30, 31) adiici *debet* ab eo, qui aliquem absolvit a reserv. R. P. in casu aliquo urgentiore.

(22) Sanch., *M.*, II, 13, 28; Laym., C. VIII, in pr.; S. Alph., VII, 125, contra Suar. VII, 8, 27 et alios, qui putant (V. Salm., 10, 2, 4, etc.) eamdem et specie et *numero* censuram esse; ideoque in eam relabi etiam sine nova culpa et contumacia. Quod et falsum videtur, quia prior censura revera absolutione sublata est; et durissimum est, quia reincidentia, si non est poena inobedientae, est iniusta. Sed hi absolutionem cum suspensione censurae manifeste permiscent.

(23) Laym., Cap. VII, in fin.; Salm., 10, 2, 6.

Quaeri heic potest, utrum reincidentia, de qua in Decr. S. U. I., (V. cit. § 349, nn. 30, 31) sit a iure, an ab homine. Et non esse a iure, vix dubium puto; primo, quia a iure nihil est, nisi quod et a legislatore, et ad instar legis promulgatum est; deinde, quia, si esset a iure, S. U. I. censuram restituisset dudum abrogatam per C. *Ap. Sedis*, quod vix dici potest, et ne vix quidem; demum, quia iussit absolvere ad *reincidentiam:* quibus iussit, nisi confessariis? Ergo, si quis simpliciter absolvit, reincidentia non intelligitur. Sed viderint sapientes.

data per errorem circa causam motivam (24), vel extorta metu gravi et iniusto (25). Et aliquo signo externo danda est (26). Et si ab una, vel altera, ex pluribus, detur, apparere debet a qua detur (27), alias perinde erit, ac si data non esset (§ 146, n. 18). Et quamvis dari possit facto et reipsa, nunquam tamen praesumendum est sic datam fuisse; ut puta, si R. P. communicet cum vitando (28). Cumque sit poena fori exterioris, data in hoc foro valet semper pro foro interno (29); data in interno toleratis prodest in foro externo, sed non est impedimento, quominus contra eos in iure agi possit (30): vitandis, quando id licet (licet autem in Iubilaeo, et in articulo mortis), non item (31). Verum, si censura sit publica, absolutio autem occulta, haec ne tolerato quidem proderit, ut coram aliis facere, aut petere possit quae censura vetat, quamdiu hos latet absolutionem datam fuisse (32).

356. Qui est irretitus censura, tenetur exposcere absolutionem cum primum id poterit absque incommodo gravi (§ 171): secus peccat; et si censura est impedimento, quominus satisfacere possit praeceptis confessionis vel communionis annuae, immo et praecepto audiendi missam diebus festis, verius, letali non caret (33). At is qui dubitat, an censuram incurrerit, cum non teneatur eam servare (§ 317), si dubium *in iure* consistit, nullatenus peccare puto, quia lex dubia non tenet; si *in facto,* quia falsa nostra existimatio rei veritatem non mutat, caritas erga seipsum cogit petere absolutionem ab excommunicatione, ad cautelam; ne, dum se in Ecclesia esse putat, forte extra eam sit, bonorumque eius expers (34): sed si non petat, non peccat graviter, si quid opinor, prout nec is qui

(24) C. 42, *De S. E.;* C. 5, *De O. D.* Veluti si absolventi falso persuaseris te clericum percussisse iustae defensionis causa (Salm., 10, 2, 35), vel parti laesae satisfecisse (S. Alphon., VII, 132).

(25) C. un., *De iis quae vi* in 6°. Dixi iniusto; nam si metus caret iniuria, sibi imputet qui eum patitur (L. 21, pr. *Quod met. caus.;* Bonac., Q. I. P. 8, n. 3): veluti si nolis eum absolvere, qui recessit a contumacia, et satisfecit parti laesae, et absolutionem humiliter petit (S. Alph. VII, 119).

(26) Suar., 19, 2, 8; S. Alph., n. 116. Sed non est opus censuram exprimere, a qua datur absolutio.

(27) Salm., 10, 2, 15; ibique Suar., Giballin., etc.

(28) Ex Clem., Un., *De S. E.*

(29) Suar., VII, 5, 21; Salm., 10, 2, 44; S. Alph., VII, 131.

(30) Suar., nn. 2, 5; Pignat., To. 2, Consul. 59, n. 62.

(31) Laym., VII, 7; Tolet., I, 15, 8.

(32) Suar., VII, 5, 25.

(33) V. S. Alph., III, 325; V, 297; VII, 161.

(34) Sanch., *D.*, 10, 1, 55, nullatenus teneri putat; sed nescio quomodo is caritatem erga seipsum non laederet.

in letali versatur. At, si dubitat utrum censura iusta sit an iniusta, absolutio petenda est (35), quia censura praesumitur iusta (§ 317, n. 70).

APPENDIX.

DE CENSURIS QUAE IRROGANTUR AD INSTAR POENARUM VEL PRIVATIONIS CUIUSDAM.

357. Hactenus de censuris in genere; antequam singulas ingrediar, admonendi sumus, excommunicationem vim habere solius censurae, suspensionem vero et interdictum irrogari posse etiam per modum *poenae,* vel per modum *privationis* cuiusdam (1). Irrogari autem videntur per modum poenae, quae, 1° vel non contumaci, vel 2° contumaci quidem, sed non quasi medicinae irrogantur. Proinde excommunicatio ipso iure nullius momenti est (2); suspensio autem et interdictum tenent ut *poenae,* si irrogatae fuerint (ex 1°) in delictum omnino praeteritum; vel in delictum quod nullum habet tractum successivum (§ 326, n. 19); vel nulla comminatione, seu monitione, praemissa (3): aut (ex 2°) causa non expressa (§ 329, n. 30); vel in perpetuum, vel in diem (4), vel ad beneplacitum irrogantis (5). Amplius, quamvis censura sine scriptis lata valeat, nihilominus, quia hoc est grave (§ 329, n. 31), si oretenus lata fuit, magis poena praesumitur, quam censura (6). Demum quae irrogantur in personas morales (v. c., senatum, capitulum, collegium), quoad innocentes ne poenae quidem sunt, quia ubi noxa non est, ibi nec poena esse potest (7); sed *privationes* quaedam, ut ecce cum civi-

(35) S, Alph., VII, 68.

(1) V. Salm., 10, 1, 80; Schmalz., V, 39, 30. Proinde excommunicatio ferri non potest in personam moralem (C. 5, *De S. E.* in 6°); et, si lata fuerit, verius, nullius momenti est (Suar., 18, 2, 3): quia *ens fictum* in Ecclesia non extat, ideoque ab ea eiici nequit.

(2) Ex C. 16, *De Appellat.;* Schmalz., *l. c.*

(3) Suar. IV, 5, 6, XXVIII, 5, 2; S. Alph., VII, 52. Nihilominus, eam quae fertur in delictum praeteritum, sit in tempus indefinitum lata fuit, non poenam simpliciter esse, sed censuram veteres quidam tradiderunt (V. Suar., 29, 1, 19): sed non bene, quia perpetua intelligitur (L. 10. C. *De Poen.*).

(4) Suar., XXV, I, 3; II, 4; XXIX, 1, 16; Berardi, *I. E. U., h. t.,* To. IV, Diss. 3, Cap. I, v. *Dicitur;* et Cap. V, v. *Ratione;* Engel, V, 39. 2.

(5) Suar., 25, 2, 4; 26, 1, nn. 14, 16. Et lata in diem, hoc exacto; tota ad beneplacitum irrogantis, ipso mortuo (Suar., n. 17), vel alias resoluto iure eius (§ 249, n. 9, evanescit.

(6) Salm., 10, 5, 8; S. Alph., VII, 317, 10.

(7) L. 22, C. *De Poenis.*

tas interdicitur (8). Verum hodie omnes censurarum appellatione, lata scilicet significatione, continentur (V. §§ 391, 395, II).

358. Poenae autem et privationes a censuris in duobus maxime distant: nam, 1° cum fuerint incursae, verius, suspenduntur per appellationem (9); et si latae fuerint in diem certum, vel ad beneplacitum, cessant illinc die elapso (10), hinc resoluto iure eas ferentis (11). 2° Clericus qui eas violat ordinem exercendo, verius, non fit irregularis (12); nisi in iure Canonico aliud cautum sit nominatim; de quo serius. Sed et distant inter se: etenim *poenae* sine culpa (saltem civili) neminem tenent, *privationes* tenent. Verum privationes quae irrogantur in aliquam universitatem personarum, quae etiam ob unius delictum irrogari possunt (13), universitatem ipsam, seu personam moralem, regulariter, non singulos, tenent (V. § 44, n. 14, etc.): hac re tenent quidem et insontes, qui pars eius universitatis sunt (14), sed cessant statim ac eius pars esse desierint (15). At omnes pertinent ad forum dumtaxat externum, atque ideo ab eo tantum absolvi possunt, qui in eo foro iurisdictionem habet (16). Et a solo superiore, licet poena non fuerit expressim reservata (17); exceptis suspensionibus occultis, quae ab Episcopis in foro conscientiae possunt absolvi (§ 322, n. 11). Quaesitum est, an is qui habet potestatem delegatam absolvendi ab *omnibus censuris*, ab his quoque absolvere possit: affirmant Filiucc.,

(8) Suar., IV, 5, 1, 29; 28, 4, 3; Salm., 10, 5, 47. Quae irrogantur in coetum, seu ordinem personarum, ex quibus nullum collegium coalescit, puta in omnes clericos, vel nobiles civitatis N., in singulos cadunt, atque ideo privationes non sunt; sed aut poenae, aut censurae, et ideo non tenent innocentes (Suar., 28, 3, 7).

(9) Abbas, in C. *Saepe de Appellat.;* Diana, To. V. Tract. 3, Resol. 6. Et iure prorsus (§ 334, n. 30).

(10) Suar., 29, 1, 14; 25, 1, 3; Salm. 10, 5, 53.

(11) Laym., *De Suspens.*, Cap. III, 3.

(12) Ex C. 9. Cau., 2, 5; S. Alphons., VII, 314, 317.

(13) V. Salm., 10, 5, 46; S. Alphons., VII, 317.

(14) Ex C. 16, § ult., *h. t.* in 6°.

(15) Suar., 38, 1, 16; Salm.,, 10 5, 42.

(16) Salm., 10, 5, 52.

(17) Ex LL. 10, 14, C. *De Poenis;* Bonac.; Suar., n. 16; Sanch., *M.,* III, 52, 2; Laym., *De Suspens.*, IV, 3. Et quoties poena lata est in diem certam, vel in perpetuum, hoc ipso reservata intelligitur (Sanch. et Laym., *ll. cc.*); sive ab homine ea sit, sive a iure (Navarr., 27, 162; Suar., 29, 1, nn. 16, 20). Nihilominus si lata est ob delictum praeteritum sine temporis praefinitione, Glos., Abb., Avila, Suar. (*l. c.*, n. 19) et Laym. (cit. n. 3) putant, quasi poenam medicinalem, dispensari posse ab inferiore, nisi expresse fuerit reservata. Contra putat Navarr. (27, 126); quia poena huiusmodi, suapte natura, perpetua est. Et rectius.

Laym., Bonac. (18); et est quam probabile: et quoad suspensiones et interdicta, quae continentur in C. *Ap. Sedis,* in qua omnes censurarum appellatione, lato licet sensu, significantur, mihi est verum prorsus.

SECTIO II.

De censuris speciatim.

359. Censura aufert usum quorumdam bonorum spiritualium: nempe, vel directe, nobis a fidelium societate extrusis, remotis, vel indirecte, nos ab eorum vel participatione, vel ministerio prohibendo: primum praestat *excommunicatio,* alterum *interdictum*, tertium *suspensio. Illa* aufert omnia quae sunt christianae societatis propria; et ideo non distinguit inter clericos et laicos: *ista* adimit quae omnium in communione Ecclesiae viventium communia sunt; ideo tenent omnes quidem, sed quasi laicos: *haec* adimit ea tantum quae clericorum propria sunt, ac proinde solos clericos tenet: de singulis seorsum.

CAPUT I.

DE EXCOMMUNICATIONE.

ART. I. *De excommunicatione in genere.*

360. Excommunicatio definiri potest: *Censura qua quis separatur a communione fidelium* (1). Itaque excommunicatio removet excommunicatum (seu vitandum, seu toleratum) a communione

(18) Filiucc., XVII, 78; Thesaur., 1, 24. Postremo duo admonendi sumus. Cum censurae teneant nos interdum ipso iure, interdum post sententiam iudicis, quoties deinceps animadverto, aliquid vetitum esse sub censura, de his tantum intelligo, quae *ipso iure* nos tenent. Cumque ex his quaedam sint reservatae, quaedam non, nisi nominatim dixero, eam censuram, qua de agitur, esse reservatam, reservatam non esse tenendum est; etsi non addiderim *n. r.* (*nemini reservatam*). Et quia reservatae R. P., quaedam speciali modo ei reservantur, quaedam simpliciter, quoties dico R. P. r. (Rom. Pont. reservatae), de his posterioribus tantum accipiendum est.

(1) C. 59, *h. t.* (*De Sent. Excomm.*); Engel, V, 39, 27. Quae, cum fertur solemniter (idest, pulsatis campanis, accensis, et extinctis candelis, etc.), proprie dicitur *anathema* (ab ἀνα - sursum - et τίθημι - ponere -) quae modo donum Deo suspensum in templo, et separatum a communi usu (*Iudith,* XVI, 24), modo aliquid *execratum* (*Ios.,* VI, 17) significat. Sed et excommunicatio, qua animadvertitur in non credentes ea quae ab Ecclesia definita sunt, ana-

fidelium (2): et fideles a communione excommunicati, sed solius vitandi (§ 331, n. 7), removet. A communione, inquam, tum in divinis, tum in humanis. Et in divinis ab omni, idest, tum externa, tum interna (V. § 108). EXTERNA: inde excommunicatus arcetur sacramentis, excepta poenitentia, a qua nec vitandus arcetur (3); et a divinis officiis (4). Et grave est, ei (*vitando*) ministrare sacramenta, excepto viatico in articulo mortis, quae probabilis sententia est (5); coram eo sacra peragere, cum eo interesse divinis officiis (6): ac demum vita functo, si inabsolutus decessit, dare sepulturam ecclesiasticam (7). INTERNA: ex hoc capite, excommunicatus expers est bonorum, quae cuique fidelium contingunt ex sacrificio Missae, ex

thema dici solet. Excommunicatio aequiparatur morti (C. 13, *Qui filii sint legit.*); et ideo est omnium poenarum canonicarum maxima (S. Aug., in C. 17, Cau. 24, 3), *ultra quam Ecclesia non habet amplius quid faciat* (C. 10, *De Iudic.*): atque ideo ipsa depositione est gravior (Bened. XIV, *De Syn.*, IX, 6, 2).

(2) V. Laym., Cap. 1, 5. Et is dicitur *tradi Satanae* (I *Corinth.*, V, 5).

(3) C. 59, *De Const.*, Dist. 1. Idest, a Missa et a publicis Ecclesiae precibus. Quocirca prohibetur ecclesiam intrare, dum haec celebrantur, his adfuturus (Suar., X, 1, 1; XII, 2, 2). *Excepta*, etc.; nempe, si in letali versatur; et ei diu confessario carendum foret. Ceterum asserenti, se absolutum fuisse, regulariter credendum est: immo, etsi tantum petant, tenendum est fuisse absolutum; quia nemo praesumitur velle peccare (Navarr.; Salm., 10, 3, 49; S. Alph., VII, 160).

(4) Salm., 10, 3, 45.

(5) Suar., XI, 1, 17; S. Alph., VI, 88. VII, 170. *Probabilis;* et benignitati S. Matris Ecclesiae convenientior. Non item Extremam Unctionem, nisi nequiverit aliud sacramentum recipere (Salm., 10, 6, 45). Nihilominus, quia legum humanarum nulla est obligatio cum incommodo gravi, non prohibetur (toleratus) in gravi necessitate recipere sacramenta (Salm., 10, 3, 43); puta, Eucharistiam (Suar. et Conin., apud Lugo, *De Euchar.*, XIV, 100), Poenitentiam (Lugo, n. 132): v, c., *urgente scandalo, vel nota infamiae* (S. Alph., VI, 265, q. 2; 585); vel si superior longius absit (Laym., *De Poenit.*, XII, 10); nec facile adiri queat per epistolam. Sed quoad haec V. § 349.

(6) CC. 18, 29, *h. t.* Quocirca si, dum haec celebrantur, (vitandus) supervenerit his adfuturus, aut expellendus est, aut cessandum (C. 16; et Clem., 2, *h. t.*). Nihilominus, si Missa celebratur, et sacerdos canonem fuerit ingressus, persequi debebit usque ad consummationem; reliqua in sacristia, vel quo alio loco decenti, absoluturus (Suar., 12, 1, 16): adstantibus interim recedentibus (S. Alphons., VII, 176). Dixi *vitando;* nam tolerato licet etiam sacramenta ministrare (ceteris paribus), si 1° vel bona fide putet ea se recipere posse (S. Alph., *l. c.*): neque necesse est eum admonere (Salm., 10, 3, 49; S. Alph., *l. c.*); vel 2° si sciens quidem petat, sed ex causa gravi (V. n. 5).

(7) V. § 114, n. 34. Et, si data fuerit, cadavera exhumari debent, et alio transferri (C. 12, *De Sepult.*); sed hoc hodie vix sine periculo fieri potest, aut ne vix quidem; nec obtinet. *Si inabsolutus;* nam si in articulo mortis absolutus fuit vel a simplici confessario, aut sacerdote, sepeliri debet in loco sacro (C. ult., *De Sepult.;* V. § 349).

publicis Ecclesiae precibus, et ex indulgentiis (8): et nobis grave est, haec pro eis obire, eisve applicare, seu vivis seu vita functis (9). Sed pro eis, etiam publicis (non tamen vitandis), non esse illicitum sacrum facere, aut verior sententia est, aut aequior certe, quia contraria non caret incommodis (10): dummodo id fiat sine offensione fidelium. Sed in his, quibus nulla inest huiusmodi communicatio, excommunicatio non obest: ideo licet vitando in ecclesia concionem audire; licet in ea privatim orare, nempe, seorsum ab aliis cum divina celebrantur; extra haec etiam aliis permixtum: et aliis licet pro eo orare privatim, sacerdotibus quoque, in utroque *memento*, cum sacrum faciunt (11).

361. Praeterea excommunicatus arcetur communione in *humanis* (12): nempe *foro,* idest, officio magistratus, procuratoris, testis, accusatoris (13); et *omni consortio fidelium*, ut ecce, domo, mensa, lecto, ludo, colloquiș: et vicissim fideles, quoad haec, communione eius (vitandi) prohibentur (14). Privatur iure suffragii (15); fit inhabilis ad rescripta Pontificia, quae idcirco irrita sunt ipso iure (16); nisi fuerint concessa scienter, vel motu proprio (§ 240, n. 31), vel praemissa, uti assolet, absolutione a censuris (17). Demum, si in

(8) V. Suar., IX, 4, 1, etc.; XIII, 4, 2. Etiam post mortem.

(9) Ex CC. 28, 38, *h. t.* Quamvis vivi redierint in gratiam, et mortui contriti et emendati decesserint (C. 1, § 2, *Eod.*; S. Alph., VII, 163; Suar., 9, 3, 2; Salm., 103, 54). Et si haec pro eis obierint, nihil agunt: tantum Missae sacrificium, quod, non Ecclesiae, sed Christi nomine offertur, eis proderit, ceteris paribus (D. Th., 3, 82, 7 ad 3; Salm., n. 55).

(10) Salm., 10, 3, 58; S. Alph., VII, 164; Ex C. 14, *De S. E.* Etiam *publicis;* nam pro occultis non videtur dubitandum (Navarr., 27, 36). Excommunicatio ignota non fuit Hebraeis, per quam quis *extra Synagogam* fiebat (*Ioann.,* IX, 22). De Germanis et Gallis refert Iul. Caesar: *Si quis decreto* (sacerdotum) *non stetit, sacrificiis interdicunt. Quibus ita est interdictum, in numero impiorum et sceleratorum habentur; ab iis omnes decedunt, aditum eorum sermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant; neque iis petentibus ius redditur, neque honos ullus communicatur* (*De Bello Gallico,* Lib. VI, Cap. IV).

(11) Bonac.; Suar., 9, 5, 4; S. Alphons., VII, 174. Suo nomine orat (Salm., n. 56).

(12) CC. 16, 17, Can. 11, 3. Nempe, ut et ipse facilius resipiscat, et ne alii contagione eius inficiantur. Verum tolerati hodie communione in humanis non prohibentur (S. Poenit., 5 iulii 1867). Et nec in divinis, in his quae ad fidelium utilitatem pertinent (Engel, V, 39, 55; V. Suar., C. 14, Sect. 2).

(13) C. 8, *h. t.* in 6°.

(14) CC. 16, 17, Can. 11, 3. Sive, uti Nostri aiunt, *Os, orare, vale, communio, mensa negatur. Orare;* nempe orationibus publicis quae fiunt nomine Ecclesiae (Navarr., 27, 36).

(15) V. Suar., Cap. XIV, Sect. II.

(16) C. 26, *De Rescript.;* C. 1, *Eod. tit.* in 6°.

(17) Laym., II, 12. Quae non prodest his, qui, post eam a R. P. da-

excommunicatione *insorduerit* per annum, fit suspectus de haeresi, et in foro externo reus revera praesumitur (18).

362. Omnis excommunicatus qui communicat cum fidelibus, peccat; et fideles peccant, qui cum excommunicato (vitando) communicant: nempe utrique in divinis graviter, nisi vel *privatim communicent* (19), vel excuset damnum grave; in humanis leviter (20), et ne leviter quidem, si iusta causa intervenerit. Et in primis, si id suadeat utilitas, seu spiritualis seu temporalis, vel excommunicati, vel eius qui cum ipso communicat, vel alterius (21). Item, si id exigat ius excommunicati (ideoque, ex adverso, obligatio), quod nempe cuique natura competit (22): quocirca vitandus non prohibetur coniuge (licet iam vitandus eam duxerit), liberis, famulis, subditis; neque hi vitando prohibentur (23); ne in divinis quidem, in officio ei debito (24).

tam (si gratia concessa fuerit in forma commissoria), ante rescripti exequutionem, aliam excommunicationem contraxerint: puta, si aliquod praedium ecclesiae ab usurpatoribus emerint (Garcias, *De Benefic.*, Par. VII, 13, 64; De Iustis, I, VI, 217; V. § 222, n. 5 in fine).

(18) Ex C. 7, *De Haeret.* in 6°; Trid., XXV, *R.*, 3; Suar., 17, 1, 6.

Porro *insordescentes* dicuntur qui post latam in ipsos nominatim sentent. excommunicationis (Sayr., II, 10, 12), toto anno; vel, si de quibusdam scelestioribus agitur (prout incendiarii, violatores immunitatis ecclesiasticae, etc.), toto quadrimestri proximo a die denunciatae excommunicationis (Sanctar., Sabell., Rigant., in cit Reg. 66, 25), *obstinato animo* (Trident., XXV, *R.*, 3) in excommunicatione permanserint (Rigan., nn. 16, 17, 28; Croix, VII, 287). His igitur non prodest absolutio quoad gratias post insordescentiam obtentas; nam antea quaesitae non retractantur (Rigant., 26): et iure prorsus (Ex C. 73, *De R. I.* in 6°). Ad haec, clericus potest expoliari omnibus beneficiis ecclesiasticis (C. 8, *De Aet. et qual. ordin.*); nempe si causa excommunicationis id sinat (Abb., in C. 1, *De Iudic.;* Suar., 17, 1, 8): sed fieri non solet (Schmalz., V, 39, 197).

Haec quidam extendunt ad suspensos, et interdictos: non quidem ex cit. Reg. 66 (quod non omnino improbabiliter diceretur), sed vel arbitrio suo, uti Croix (VII, 287), vel ex Trident. (*l. c.*), ceu S. Alph. (VII, 157): sed est alienum a regulis iuris (V. Baller., ad Gury, II, 959).

(19) D. Th., *Suppl.*, 23, 3; V. S. Alph., VII, 170, 177, 198, 206. *Nisi,* etc.; puta, si recitent simul privatim rosarium, vel horas canonicas (S. Alph., 178; si vitandus adsit sacro usque ad evangelium (Bonac., Dis. 2, Q. 2, P. 6, n. 5). *Vitandus,* inquam; nam tolerati (timidus dico, forte omnium primus) aut nullatenus, aut leviter peccant, si intersint divinis officiis, licet usque ad finem intersint. Etenim, cum vix reperies confessarium qui hodie excommunicatum his prohibeat, vel excommunicatum qui sibi his abstinendum ducat, rigor iuris hac in re obsolevisse videtur.

(20) V. S. Alph., VII, 170, 198, 206.

(21) C. 103, Cau. 11, q. 3.

(22) C. 34, *h. t.*

(23) Cit. C. 103; CC. 31, 34, *h. t.;* V. S. Alph., VII, 202. Atque huc recidunt: *Utile, lex, humile, res ignorata, necesse* (res ignorata huc non pertinet). Nec fit inhabilis ad ea quae profluunt ex naturali iure (V. § 330, n. 1; Navarr., 27, 36 in fi.).

(24) Ex Cit. C. 31; Suar., 15,

363. Sed, etsi peccent, nullam poenam incurrunt nec excommunicatus qui cum aliis, nec alii qui cum excommunicato communicant (25). Hi tantum, 1° qui communicant cum excommunicato *nominatim* a Papa in *crimine criminoso* (eo nempe propter quod ille fuit excommunicatus), *ei impendendo auxilium vel favorem; et clerici scienter et sponte communicantes cum eis in divinis, et ipsos in officiis recipientes*, incurrunt excommunicationem R. P. r. (26). 2° Qui mandant, vel cogunt tradere quemcumque vitandum ecclesiasticae sepulturae, incurrunt excommunic., sed nemini reservatam (§ 393, I); qui vero ad hanc sepulturam vitandum admittunt, incurrunt interdictum ab ingressu ecclesiae, donec ei satisfecerint, cuius legem contempserunt (§ 395, II). Demum, 3°, clerici qui excom-

5, 22. Veluti si ministrent celebranti (S. Alph., VII, 173, 204).

(25) Ex C. *Ap. Sedis*. Ideoque, si adsint divinis officiis, et, iussi abire, recusent, non ampliùs incurrunt excommunicationem (Clement., 2, *h. t.*) R. P. reserv.

(26) C. *Ap. Sedis*, § 391, XVI; Suar., 17, 2, 4. Ante Const. *A. S.*, excomm. contrahebant quotquot cum vitando communicabant vel *in crimine criminoso, vel in divinis;* et illi quidem maiorem, hi minorem (CC. 18, 29, *De S. E.*): ut ecce, si concubinarius concubinae excommunicatae iterum commiscebat (C. 55, *Eod.*); vel excommunicato propter furtum suadebat, ne restitueret. Uti igitur hodie quis hanc excomm. incurrat, necesse est: 1° ut alter sit excommunicatus *nominatim* (ideoque ut sit vitandus) ab ipso R. P.; proinde si excommunicatus fuerit, e. g., ab Ordinario, licet excomm. iure canonico sit inflicta (v. c., haereticus, per sententiam declaratoriam), vel ab aliqua S. Urbis Congreg., nisi haec fecerit de *mandato* (et non tantum iussu) R. P., excomm. cessat. Utique, 2°, alter impendat illi *auxilium, vel favorem in crimine criminoso;* vel illum *recipiat in divinis officiis,* idest, admittat ad ea obeunda (V. Suar., 10, 2, 9): quamobrem si his cum eo interfuit (Bonac., D. 2, Quae. 5, P. 3, n. 3), si adstitit *intruso* celebranti, huc non pertinet. Porro inter eum qui *praebet auxilium,* et eum qui recipit *in divinis officiis* non unum distat: *illic* enim quis ille sit, laicus an clericus, nihil refert; *hic* clericum utrumque esse oportet, quia divina officia nemo potest obire nisi clericus; et ad ea obeunda nemo potest admittere, nisi is qui aliquam in ecclesia potestatem habet: deinde in priori casu non excusat ignorantia (Contra cit. C. 29); in posteriori et ignorantia excusat, et metus (etsi non gravis omnino), et obtemperandi necessitas. Utque, 3° communicetur in crimine iam perpetrato; nam qui haec praestat in crimine perpetrando, cum nondum excommunicato communicat (Sayr., III, 35, 13; Tolet., I, 14, 3). Quamobrem hanc excommun. effugiunt, qui, ad illud crimen perpetrandum, favorem vel auxilium praebuerunt (Suar., n. 3); vel in eius perpetratione operam praestant; ut puta, si mulier nupsit religioso, aut laicus monialem duxit (V. § 392, I); si postea ille, vel haec declarati fuerint vitandi: secus, si post in concubinatu permanserint (C. 55, *De S. E.*). At is qui communicat in crimine criminoso, hodie non eamdem quam excommunicatus contraxit, idest reservatam R. P. *s. m.* (ut olim), verum *simpliciter* ei reservatam excommunicationem incurrit.

municatos admittunt ad divina officia, siquidem excommunicatos *a Papa*, incurrunt excomm. R. P. r.; sin excommunicatos *ab aliis*, interdicto ab ingressu ecclesiae tenentur (§ 391, XVII; 395, II).

364. Atque haec fere omnia communia sunt sive clericis sive laicis. Ad haec, excommunicatio interdicit clericis ordine, et vitandis adimit iurisdictionem (§ 332, n. 15). Proinde clericus excommunicatus sacramenta ministrando, vel divina obeundo, peccat graviter, nisi excuset parvitas materiae (27): nempe toleratus, nisi fecerit requisitus expresse, vel tacite (§ 331, n. 8); vitandus, etsi requisitus, exceptis in articulo mortis et, si alius desit, baptismo (privato), poenitentia (28), et, probabilius, viatico (29). Sed valent quae ab eis gesta sunt: ea tantum sunt irrita quae vitandus facit nomine Ecclesiae, vel ex potestate iurisdictionis (30): nisi forte ecclesia suppleat iurisdictionem propter errorem communem (31).

365. Praeterea clerico excommunicato, seu vitando seu tolerato fructus beneficii *subtrahuntur* (32); nempe, ut ex contextu apparet, per sententiam iudicis (33); eamque condemnatoriam; quae aut probabilior, aut aequior sententia est. Et si est vitandus, fit inhabilis ad beneficia deinceps obtinenda: ratio est *quia cum ipso communicari non debet* (34). Num igitur et toleratus fiat inhabilis, quia

(27) Sanch., *M.*, III, 21, 8.

(28) S. Alph., *H. A.*, XVI, 92; *QQ. Refor.*, n. 19. De quo olim tantopere disputatum est (V. S. Alph., VI, 560). Mirum prorsus! Nam de quo disputabant? Nempe, utrum pia Mater Ecclesia (cui ceteroquin omnis potestas in aedificationem data est) vellet huic iurisdictionem dare ad salvandam animam, pro qua mortuus est Christus!

(29) S. Alph., VI, 88. Non item E. U., nisi forte nec Eucharistiam recipere potuerit (S. Alph., VII, 170). Illud interest inter exercitium ordinis, et iurisdictionis, quod ordinem (sacrum) exercendo excommunicatus fit irregularis, etsi toleratus; ex iurisdictionis exercitio non item, etsi vitandus: sed hac de re serius.

(30) D. Th., 3, 82, 7 ad 3; V. § 77, n. 53.

(31) Suar., XI, 3, 14.

(32) C. 53, § *Verum, De Appel.*

(33) Laym., II, 8; Schmalz., V, 39, 158; S. Alph., III, 670; VII, 183; Salm., 10, 3, 112: contra Suar. Nec ideo potest omittere horas canonicas (V. § 309, n. 11): sed loco *Dominus vobiscum* (quae verba salutationem, atque ideo communicationem significant) dicere debet *Domine exaudi orationem meam* (Suar., n. 13), quando eas cum aliis recitat (S. Alph., VII, 178).

(34) CC. 7, 10, *De Cleric. excomm;* Suar., 13, 1, 2 · Reiff, V, 39, 65; Engel, V, 39, 60; Garc., *De Benef.*, VII, 13, 4. Et, si obtinuerit, *non valet ea retinere licite: cum ea non fuerit canonice consecutus* (cit. C. 7): nec facit fructus suos (Salm., 10, 3, 98). Idem iuris esse in dignitatibus ecclesiasticis, quibus adnexa est iurisdictio, ut prioratus, Episcopatus, etc., communis sententia est (Garc., n. 4; Suar., n. 6;

ipsi nobiscum communicare non licet (35); an secus, quia nobis licet cum ipso communicare (36)? Ego hoc aequius puto, quia cum omnia beneficia ad divinum cultum obeundum sint instituta (37), horum collatio ad nostram cum primis utilitatem pertinet: utcumque, cum fuerint collata (tametsi hoc gravi non vacet), locus erit regulae: *In dubio respondendum est pro valore actus* (38).

ART. II. *De excommunicatione Canonis ob percussionem clericorum.*

365 bis. Qui, suadente diabolo, iniiciunt manus violentas in clericos, vel in utriusque sexus monachos, incurrunt ipso facto excommunicationem R. P. r. (1). Est hoc privilegium (§ 100, III), non personis, sed ordini constitutum (2), et latissime acceptum est (3). Eo igitur gaudent clerici, et monachi. Clericorum appellatione veniunt omnes tonsuram adepti; appellatione monachorum omnes regulares utriusque sexus (4), novitii, et tertiarii (5). Utrum et eremitae? Et

S. Alph., VII, 180, n. 2): sed vereor ne vera sit; quia versamur in odiosis (V. § 309, n. 8).

(35) Suar., 13, 1, nn. 2, 26; Salm., 10, 3, 103; Schmalz., V, 39, 148; S. Alph., VII, 181: et communior sententia est (Sayr., III, 5, 8). Nituntur cit. C. 7, *De Cler. excomm.:* et recte, si hodie quoque essent vitandi.

(36) Navarr., ap. Salm., 10, 3, 114, ibique Bonac., Laym.; et ap. S. Alph., Diana, Giballin., Hurtado. Est tertia sententia existimantium, ratam esse collationem, si is nescivit se esse excommunicatum (quod difficile est); si scivit, irritam; quam Less (II, 34, 17) et Salmant. (10, 3, 97) probabilem putant: hanc praeterii, quia falsa nostra existimatio rei veritatem non mutat (Garc., n. 9; Laym., II, 7).

(37) Trid., XXI, *Ref.*, 1. Et haec ratio nobis S. Alphonsum conciliat (*l. c.*).

(38) Ante Const. *Ap. Sedis,* duplex erat excommunicatio, maior et minor; *maior* erat ea, de qua hactenus locuti sumus. *Minor* arcebat a participatione sacramentorum; et vel a iure erat, vel ab homine: a *iure,* eam contrahebant communicantes cum excomm. vitando sive in divinis, sive in humanis (C. 10, *De Cler. excom. min.*); ab homine, si Ordinarius aliquem sacramentis interdixisset (Laym., III, 5; S. Alph., VII, 148). Minorem sustulit C. *Ap. Sedis* (S. U. I., dec. 1883).

Porro quoties in iure canonico *excommunicationis* simpliciter fit mentio, maior semper intelligenda est (C. 59, *De S. E.*).

(1) C. 29, Cau. 17, 4; C. *Ap. Sedis,* § 391, II. Haec est excommunicatio quae vulgo *Canonis* dicitur, ex privilegio ab Innocentio II, saec. XII, clericis constituto, quod *Canonis* privilegium dici solet. Quae omnium prima, uti videtur, *ipso iure* irrogata fuit; cuius nullum aliud exemplum extare dicitur in Gratiani *Decreto.*

(2) CC. 15, 50, Cau. 4, 1.

(3) Croix, VII, 301; S. Alph., VII, 273.

(4) C. 33. *De Sent. Excomm.*

(5) Schmalz., V. 39, 219. Privilegium canonis fori privilegio, quod maius est, veluti superstructum dici potest; ideo eo non gaudent qui hoc amiserunt (Engel, 4, 39, 127). Porro clerici in sacris constituti eo non excidunt, nisi per *realem* degradationem.

eos, qui collegialiter vivunt, hoc privilegio gaudere (6); contra, eo non gaudere illos, qui habitum eremiticum pro lubitu suo induunt, et exuunt (7); utrumque certi iuris est: de his qui iussu Ordinarii ecclesiis vel aediculis inserviunt, non satis convenit (8).

366. Actio quae punitur est iniectio manuum *violenta*, *iniuriosa* (9) *Violenta:* manus *violentas* iniici accipimus, quoties in personam, non verbis, sed *re* fit iniuria (10). In personam vero iniuria *re* fieri intelligitur, seu laedatur corpus, seu libertas, seu dignitas: corpus, ut ecce si clericum veneno sustuleris (11); vel prosequutus eum fueris, ut in praeceps corrueret, vel ex equo decideret; et corruit, decidit (12): libertas, cum detruditur in carcerem, aliumve locum, privatum quoque (13): dignitas, quoties *vis* adhibetur, veluti si rhedam sistas, qua vehitur; aut equum, quo insidet (14). Ergo excommunicatio cessat, si aut non *re* facta sit iniuria, sed verbis, ut ecce si contumeliam dixeris, si minis terrueris, coëgeris (15); aut re, sed *non in personam* sit facta, utputa calumniando, clam aliquid surripiendo, etc. (16). *Iniuriosa:* nam si abest iniuria, culpa, ac proinde poena, cessat. Porro iniuria, nisi, 1° a volente, et 2° in rationabiliter invitum, non fit. Excomm. igitur cessat, ex 1° si quis percutit clericum, laicum putans (17), vel ioco (18), vel cor-

(6) Leo..., C. *Dum intra.*

(7) V. Reiff., III, 1, 28; Engel, V, 39, 129.

(8) V. Reiff., n. 25, *Comm. Rom.* 1, 499. Ideo, re maturius perpensa, pro percussoribus respondere melius est.

(9) C. 36, *De sent. Excomm.*

(10) Ex. L. 1, § 1, *De Iniuriis.*

(11) S. Alph., VII, 280. Is non illico excommunicationem incurrit, ut quidam, nec post eius mortem, ut alii putant, sed cum primum venenum laedere coeperit (S. Alph., *l. c.*).

(12) Bonac., *De Excomm.*, Disp. 2, q. 4, P. 1, n. 5. Secus si, praeter intentionem tuam, casu decidit, corruit (V. Croix, VII, 308; V. S. Alphons., VII, 274): si canem in eum irritaveris, et momorderit; item si lapidem, vel telum in eum ieceris (Suar., 22, 1, 28). Quid, si telum, lapis eum non attigerit, sed ille exterritus corruit? Bonacina, Croix, S. Alph. (*ll. cc.*) putant excommunicationem te incurrere: verum hic casus vix differt a praecedente,

(13) C. 29, § 1. *De S. E.*

(14) V. S. Alph., VII, 274. Si aliquid, licet nullius pretii, ei detraxeris veluti pileum, baculum; quia iniuria inest vi (Laym., *De Excomm.*, V, 2; Suar, n. 25): si sputo, si luto, si pulvere eum foedaveris; si vestem, qua induitur, conscideris (V. Schmalz., V, 39, 266; V. S. Alphons., *l. c.*).

(15) Caiet., *Summa*, Cap. 10. *Coëgeris,* v. c., domo sua excedere (Suar., n. 31), vel eam ingredi prohibueris (Ronc., Tr. IV, Q. IV, Cap. 1, Reg. 3).

(16) Suar, nn. 23, 32.

(17) C. 4, *De S. E.*

(18) S. Alph., VII, 275. Licet animum infensum habuerit, si non apparet (Ronc., *l. c*, Reg. 1)

rigendi gratia (19), vel ex subita ira (20); ex 2° si percutit iustae defensionis causa (21), vel (ex iuris aequitate) cum uxore, vel matre, vel sorore, vel filia turpiter agentem deprehensum (22); non item si volentem et consentientem percusserit, quia privilegium est *ordini* tributum (23). Quaestionis est, an incurrat hanc excommunicationem qui percutit Seium clericum, indubie Osium clericum putans: negant Suarez, Concina, etc., quia non fit iniuria personae; affirmant Sanch., Bonac., S. Alph., etc., quia iniuria fit ordini: et si is voluit percutere Seium, quasi Seium, recte illi (§ 299, n. 33), si quid opinor; sin quasi clericum, rectius hi (24).

367. Huic excommunicationi olim obnoxii erant impuberes; hodie verius, non item (25). Utrum hodie, uti olim et iure Decretalium, et mandantes percussionem, et eam ratam habetes (26)? Affirmant nonnulli ex *authentica interpretatione* canonis Lateranensis, quae hoc iure (aiunt) continetur (27). Sed reor non esse obnoxios; primo, quia solum canonem Lateranensem inseruit Constitutio nostra, et censurae Const. *A. S.* vim habent *eo modo quo in ea insertae sunt*, et *non secus ac si primum ab ea editae fuerint* (§ 389): quis autem praetermisso iure Decretalium, canonem Lateranensem traheret ad mandantes et ratum habentes? Deinde, quia, quando Const. nostra hos quoque teneri voluit, illos (§ 390, V) recensuit nominatim (28).

(19) C. 54, § 2, *De S. E.* Dum ne percussor modum excedat (L. 5, *Ad L. Aquil.*); et percussus non sit constitutus in sacris (Cit. C. 54). At praeceptores, superiores (C. 10, *Eod.*), eoque magis parentes (S. Alph., VII, 275, V), etsi hunc percusserint, excusantur (Ex cit. C. 54. Sed V. Engel, V, 39, 140).

(20) Tolet., *Summ.*, 1, 33; Engel, n. 138; S. Alph., *l. c.*,

(21) Ex C. 10, *Eod.* Dummodo id faciat *incontinenti* (C. 3, *Eod.*): idest in ipso facto, et non ex intervallo. *Communis* (Sayr., III, 27, 23); nam *ultio* foret. Huc pertinet qui clerico eripit ensem, ut ab invasore se defendat; vel equum, ut fugiat (Suar., 22, 1, 38); qui eum domo extrudit, eo *quod causet perturbationes, insolentias, et rixas* (Ronc., *l. c.*, Q. V).

(22) C. E, *Eodem.* Vel cum sponsa, aut affini (Sayr *l. c.*), vel solum cum sola in loco suspecto (Navarr., 27, 84; Suar., n. 37; Ronc., cit. Q. V). Etsi percussio letali non careat (Suar., n. 34; Lugo, *De Iust.*, X, 96).

(23) C. 36, *De S. E.;* V. § 221, n. 24.

(24) V. S. Alph., III, 628. Sed negari non potest, rem dubiam esse: ideoque reor, etiam in hoc posteriori casu inferiores sacerdotes absolvere posse (§ 342, n. 31). *Indubie*; secus si dubitet (§ 143, n. 7.)

(25) Cl. Del Vecchio, 1, 596. Nam quando legislator voluit et hos teneri, id expressit (V. § 390, V).

(26) C. 6. *Eod.;* C. 22, *Eod.* in 6°. Mitto *non prohibentes,* qui huic excommunicationi obnoxii quidem sunt, sed post sententiam (C. 47, *De S. E.*).

(27) Avanzini, *Comm. in Const. Apost. Sedis,* n. 14; Cl. A Varceno, Ciolli, *Comment., etc.*, § 103, et late Commentatores Patavini, II, § 205.

(28) In nostram sententiam di-

Iure autem Decretalium, non *interpretatio* authenthica canonis lateranensis, sed revera novae leges continentur; quod iamdiu et Suarez innuerat, et Pirhinghius animadverterat (29): et iure prorsus (§ 184, n. 5).

368. Est autem haec excommunicatio R. P. reservata. Nihilominus absolvere eam possunt Legati (30), et Episcopi; sed *hi* non omnes. Interest enim, utrum percussio fuerit levis, an gravis, an enormis; *levem* heic accipimus, quae gravem quidem iniuriam continet, sed ceteris minus gravem; cuiusmodi plerumque ea est, quae fit pugno, pede, lapide, fuste, citra damnum grave: *gravem*, quae contusionem affert, vel deformitatem; aut si percusso dentem excusserit, vel is copiam sanguinis fuderit: demum *enormis*, si mutilavit, si oculum exclusit, si membrum rupit, etc. (31). Itaque si percussio fuerit levis, Episcopus poterit absolvere percussorem, quisquis ille sit (32); si gravis, eos tantum qui collegialiter vivunt (33); si enormis, impuberes dumtaxat, sive ante sive post pubertatem petant absolvi (34); nempe, si vera est sententia existimantium eos etiamnum esse obnoxios huic excommunicationi (V. § 367, n. 27). In dubio utrum percussio fuerit levis an gravis, gravis an enormis, id sequi debet quod maius est (35). Ceterum si fuerit occulta, poterit semper absolvi ab Episcopo (36); et, poenitente impedito superiorem adire, vel in periculo mortis, a quovis confessario potest absolvi (37).

scesserunt cl. Formisani, Ballerini (ad Gury, II, 975), Del Vecchio (I, 595), et latissime cl. Pennacchi (p. 474, etc.). V. Commentariolum nostrum in C. *Apost. Sedis*, § 111 Edit. 4ª.

(29) Pirhin., *Ad Decret.*, 1, 2, 101; Suar., 22, 1, 55; 47, 3, 26.

(30) C. 20, *h. t.* Sive *a latere* (V. § 93 in fi.), sive *missi* (C. 9, *De O. L.*): sed hi in provincia dumtaxat sua, nec extraneos.

(31) C. 32, *De S. E.*; Extrav. Ioann. XXII *Perlectis*, a S. Alph., VII, 277. Amplius; utrum percussio fuerit levis, an gravis, an enormis, aestimari debet etiam ex *circumstantiis loci, personae et aliis* (Cit. Extr.; S. Alph., 278), arbitrio boni viri (Sayr., III, 28, nn. 5, 7).

(32) CC. 3, 27, *De S. E.*

(33) S. Alph., I, App. II, 47; VII, 88, 279; Ex C. 50, *De S. E.*; C. 9, *De vita, et honest. cleric.*

(34) CC. 58, 60. *De S. E.*; Sayr., n. 20.

(35) Cit. Extr. *Perlectis.*

(36) Ex Trid., XXIV, *Ref.*, 6: S. Alph., VII, 279.

(37) C. 1, § 3, *De S. E.*; Bonac., Disp. 1, P. III, A. 3, n. 11; Lugo, *De Poenit.*, XX, 202; Sayr., III, 28, 34. Sed V. § 349. Porro si regularis unius instituti alterius instituti regularem percusserit, ab utroque praelato (C. 32, § *Si vero, De S. E.*); et, si hi dissentiant, ab Episcopo (Arg. ex cit. C. 32, *Qui si*) est absolvendus. Hoc a iure exorbitat, et ad disciplinam regularem fovendam pertinet: quamobrem non puto idem iuris esse, si clericus unius dioecesis alterius dioecesis clericum percusserit; sed ab eo esse

CAPUT II.

DE INTERDICTO.

369. Interdicere est prohibere; et interdictum prohibitionem significat; quae modo poena est, modo privatio quaedam (§ 357): interdictum ecclesiasticum est: *Prohibitio removens christifideles a participatione quarumdam rerum sacrarum* (1). Res sacrae, a quibus removet, sunt: 1° divina officia, quorum appellatione veniunt ea, quae ex institutione Christi, vel Ecclesiae, a solis clericis fieri possunt (2); 2° sacramenta, sed non omnia; et 3° sepultura ecclesiastica. Est autem interdictum aut personale, aut locale; illo personae afficiuntur, hoc loca: et utrumque generale et speciale esse potest. Sed scrutari penitius oportet naturam et vim interdicti, ut ab excommunicatione et suspensione probe secerni possit.

370. Itaque, uti ex definitione patet, interdictum removet a *participatione* rerum sacrarum; non ab earum administratione, hoc enim suspensionis proprium est (3). Ideo tenet nos quasi christifideles; ac proinde sive laicos sive clericos, pariter (4): quamquam indirecte teneat etiam clericos, qua clerici sunt; nam vetat, quasi per consequens (et in hoc distat a suspensione), sacra ministrare personis interdictis, et ea in locis interdictis obire. Sed non removet a communione fidelium, et in hoc distat ab excommunicatione: nec adimit iurisdictionem (5); et hoc nomine ab utraque (excomm. et suspensione) distat. Ex omnibus vero interdictis, solum interdictum personale speciale censurae vim habere potest, et vim ha-

absolvendum, cuius est, vel factus est subditus ratione delicti.

(1) Suar., 32, 1, 4; Sayr., V, 5, 1.

(2) Salm., 6, 10, 50; S. Alph., VII, 333. Quae autem sint huiusmodi, aestimatur *ex apparatu et vestimentis quorum usus solis licet ministris ordinatis; ut si cum superpelliceo et stola officium dicatur* (Suar., 34, 3, 7). Et ad duo ea reducunt TT., nempe ad *sacramentalia*, et horarum publicam recitationem (Suar., n. 4). Hac re licet, v. c., horas canonicas cum clericis privatim recitare, mensam benedicere; eoque magis licet ad crucem in feria VI maioris hebdomadae privatim adorandam, ad conciones in ecclesiis audiendas, pulsatis quoque campanis, convenire.

(3) Ex C. 20, *De S. E.* in 6°; Suar., 25, 1 5, 35, 4, 3.

(4) Sayr., V, 3, 2: Suar., 25, 1, 5; 34, 5, 2.

(5) Salm., 10, 6, 38. Nullo enim iure id cautum est. Proinde interdictus, quamvis nominatim denunciatus, licite confert beneficia, censuras fert, aufert; et valide, etsi non licite, a peccatis absolvit (Bonaci.; Pala.; Salm.: *l. c.*; Schmalz., V, 39 353).

bet, nisi latum fuerit ad instar poenae; cetera magis privationes quaedam sunt: ab illo igitur ordiendum.

371. Interdictum personale speciale est: *Censura, qua a sacramentis, excepta poenitentia et viatico, a divinis officiis et ecclesiastica sepultura prohibemur* (6). Cum sit censura, I. non incurritur nisi ob delictum proprium (7), et contumaciam: et II. (§§ 357, 358), singulos dumtaxat tenet, in quos vel a iure (8) vel ab homine latum est: et III. clericus qui illud violat, hordinem exercendo, fit irregularis (9). His autem qui eo tenentur, grave est interesse divinis officiis, et petere sacramenta, quibus interdictum prohibet. Ceteris autem nefas est eos ad illa admittere, ista eis ministrare; ac demum mortuis dare ecclesiasticam sepulturam; nempe ex quo fuerint specialiter denunciati (10). Nihilominus, quia interdictum non separat a communione fidelium, si interdictus divinis officiis supervenerit, et iussus abire noluerit, non cogimur ab his cessare (11); quin, si ipse ea peragat (v. c., missam celebret), non vetamur eis interesse (12): nec pro interdictis huiusmodi vita functis offerre sacrificia, et publicas preces vetitum est (13). Cumque verae censu-

(6) Ex C. 11, *De Poenit.;* CC. 43, 57, *De S. E.;* V. Suar., 33, 1, a n. 2.

(7) Suar., 36, 2. Sed, ad incurrendum hoc interdictum, graviori, quam pro suspensione incurrenda, delicto opus est; quia interdictum ad excomm. propius accedit (Laym., *h. t.,* Cap. II, 1, v. *Est autem;* Ex CC. 3, 4, *De Clerico excomm.*).

(8) Idest hodie a Conc. Trid., et Const. *Ap. Sedis.* Quod igitur ante hanc Const. incurrebant ipso iure quotquot interdicto personali generali, vel interdicto locali causam dederant (Ex CC. 16, 24, *De S. E.* in 6°; Suar., 33, 1, 6); hodie amplius non obtinet.

(9) C. 20, *De S. E.* in 6°; Suar., 34, 4, 21. V. c., si absolvat aliquem a peccatis, licet, non interdictum (Suar., 33, 3, 5); si celebret in loco interdicto (Cit. C. 20). Hanc irregularitatem incurrere Episcopos quoque, rati sunt Silvester, et Covarruvias; quod Suar., (n. 6, ex C. ult., *De excess. Praelat.*) ait esse *certissimum.* Sed vereor ne recte (V. cit. C. ult.); et post C. *Ap. Sedis* vix dubium puto: nullibi enim fit de eis mentio (§ 323; n. 10). *Ordinem exercendo,* nempe quod ad eas res, vel ea loca, quae interdicto non eximuntur; nam ea quae eximuntur, extra prohibitionem sunt; dummodo modum servaverit, quo tantum servato ea obire licitum est (Suar.,n. 5, 6). At is qui, non ipse interdictus, et in loco non interdicto confert, v. c., sacramenta, personis interdictis, verius, nullam irregularitatem incurrit (Suar., n. 7). Cur autem celebrans in *loco* interdicto irregularitatem incurrat, eam vero non incurrat qui sacramenta ministrat personis interdictis, ratio subobscura est; quam inquirere non oportet (§ 188, n. 59).

(10) Suar., 33, 3, 10; V. § 77, n. 53. *Cum sit censura:* proinde haec accipienda sunt de interdicto, quod verae censure vim habet: atque ideo si ob contumaciam latum fuerit, nec in diem certum vel in perpetuum (V. Suar., 38, 1, 1, etc.); et in scriptis latum sit (V. § 357, n. 6).

(11) V. Suar., 34, 2, a n. 7.

(12) Suar., 34, 2, 3, etc.

(13) Suar., 35, 1, nn. 14, 15.

rae vim habeat, haeret personae, et sequitur interdictum ubique locorum; tollitur sola absolutione, et a quolibet confessario potest absolvi, dummodo non sit ab homine, vel reservatum (14).

372. Venio ad interdicta quae magis poenae, seu potius privationis cuiusdam, quam censurae vim habent: huiusmodi sunt interdictum personale generale; et interdictum locale, seu generale, seu speciale. Personale interdictum generale est, quod fertur in populum aliquem, aut ordinem, aut coetum personarum (15). Locale, si eo afficitur territorium aliquod (utputa civitas, oppidum, pagum) generale est; siu certus, vel certa aliqua loca sacra, est speciale (16). Neutrum ad se alterum trahit (17). Interdictum personale generale, cadit in personas directe et per se; locale indirecte et per consequens, quia loca propter personas interdicto subiiciuntur; et ideo utriusque pene eadem est vis (18). Neutrum ferri potest sine culpa, eaque gravi (19): ceterum, sufficit delictum maioris partis populi, ordinis, coetus, immo vel unius ex praestantioribus (20). Neutrum tenet, nisi ex quo nominatim denunciatum fuerit (21); sed perso-

(14) Suar., 38, 1, 5, etc.; Salm., 10, 6, 92, etc.

(15) Suar., 32, 2, 11, etc.

(16) Suar., *l. c.*, nn. 4, 7, *Territorium;* secus, etsi omnes prorsus alicuius oppidi, civitatis, regni, ecclesiae interdicto subiiciantur, speciale dicendum erit (Navarr., 27, 166; Suar., n. 10).

Speciale autem nihil commune habet cum prohibitione obeundi sacra in aliqua ecclesia, quoad restauretur; quod vulgo interdictum dici solet; non enim hominis alicuius, sed ipsius aedificii causa id prohibetur,

(17) Ugolin.; Navarr., 27, 167; Sayr., V, 3, 2; V. Suar., 32, 2 32, etc. Hinc, v. c., interdicto clero alicuius civitatis, vel capitulo cathedralis ecclesiae, eius civitatis, vel cathedralis ecclesiae interdictae minime intelliguntur (Sayr., V, 4, 24); et contra.

(18) Suar., 35, 4, 2. Nam quaecumque alterum vetat fieri a personis interdictis, alterum in locis interdictis fieri vetat. Dixi *pene;* quia is qui violat interdictum locale, celebrando divina in loco interdicto, contrahit irregularitatem: qui violat interdictum personale, sive ministrando sacramentalia, vel sacramenta personis interdictis, cum ipse non sit, vel tantum generaliter sit interdictus non item (Covarr., in Const. *Alma Mater, Relection.*, Par. II, § 1, n. 3; Ex C. *Is cui,* 20, *De S. E.* in 6°). Negat hoc postremum Suar. (34, 4, 22) ex cit. C. *Is cui,* quod laboriosa interpretatione ad interdictum universale trahere conatur. Sed numquid interdictum personale generale censura est? negat vel ipse Suar. (38, 1, 1): atqui nemo fit irregularis actum ordinis exercens, nisi is qui exercendo censuram violat.

(19) Salm., 10, 61, 21. Et pro interdicto personali generali graviori, quam pro speciali; pro locali, si est generale, gravissima culpa opus est (Suar., 36, 3, nn, 4, 6).

(20) C. 16, *De S. E.* in 6°; V, Suar., n. 5.

(21) Navarr., 27, 187; Suar., disp. 37, 2; Laym., II, 2. Verum haud opus est, singulas personas (hoc enim vix possibile esset), aut singulas ecclesias interdictas (cum omnes alicuius, e. g., civitatis ecclesiae interdicto subiiciuntur), sententia recensere (V. Suar, nn. 3, 5).

nale personam sequitur (22); locale finitur loco (23). Neutrum recipit absolutionem proprie dictam; sed cessant cum fuerint relaxata ab eo, qui personas aut loca interdicto supposuit (24); vel impleta conditione, aut elapso tempore interdicti, si latum fuerat sub conditione, vel in diem.

373. Haec de utroque generatim; nunc de utroque seorsum. A locali ordiamur. Est igitur vel generale, vel speciale; illo continentur omnia prorsus loca territorii interdicti, etiam exempta (25). Hoc loca dumtaxat interdicta, nec alterius iurisdictioni subiecta (26): nihilominus, *quia accessorium sequitur principale,* ecclesia interdicta, coemeteria ei contigua, perinde quasi accessoria (27); et urbe interdicta, etiam suburbia, et continentia aedificia (28) interdicto tenentur; licet forte alii Ordinario subiecta (29). Utriusque autem pene eadem est vis (30): ideo quoties interdictum locale simpliciter dico, utrumque erit accipiendum. Personali interdicto generali tenentur singuli, quotquot in praesens sunt (exceptis infantibus), vel subinde fiunt interdicti populi, coetus, ordinis membra (31): et ex diverso, ei eximitur quisquis eius populi, coetus, etc., pars vel

(22) C, 16, *De S. E.* in 6°.

(23) Arg. ex cit. C. 16. Proinde, si quis in duobus locis domicilium habet, quorum alter sit, alter non sit interdictus, cum ab uno dicedit, nec illius onus (ceu visum nonnullis), nec huius favorem (ceu visum aliis) secum trahit; sed in illo servare debet interdictum, in hoc non item (Suar., 32, 2, 16).

(24) V. Suar.. 38, 2, nn. 2, 5.

(25) C. 17., *De S. E.* in 6°; Clem., I, *De S. E.;* Suar., 32; 2, 23; Salm., 10, 6, 9. Quocirca, interdicto territorio, nullibi fas est obire divina locis sacris interdictis; in aliis non interdictis id licet; et omnibus interdictis, verius, licet in privatis oratoriis sacrum facere (Suar., 34, 1, 9), et in ecclesiis postea extructis (Schmalz., V, 39, 331), vel sub diu; ceteris paribus (Suar., 32, 3, 10).

(26) Ex C. 17, *De S. E.* in 6°.

(27) Ex cit. C. 17; C. Un., *De consecr.* in 6°. *Quasi accessoria,* atque ideo non alia ecclesia (Suar., 32, 2, 27); nec, coemetrio interdicto, aliud coemeterium (Sayr, V., 2, 18), forte ei contiguum. Porro contigua accipimus, quorum extremitates sese contingunt ut divisa eodem pariete; ideo, loco vacuo interposito, licet exiguo, contigua non sunt (Sayr., n. 17).

(28) C. 17, *De S. E.* in 6°; Suar., 32, 2, 23; Reiff., V, 39, 192. Et ecclesia cathedralis, quae ex cit. C. 17, certa fere omnium (Suar., 32, 2, 22); non item interdictis omnibus urbis ecclesiis (quia hoc interdictum speciale est), quae verior, ex C. 4, *De Praeb.* in 6°, sententia est. *Urbs* dicitur quae murorum ambitu continetur (L. 2, *De V. S.*): *continentia* vero aedificia, quae propinqua sunt, seu adiacentia; dummodo non distent ab urbe ultra milliare; immo nec infra posita, si accedi ad ea commode non posit (Sayr., V, 3, 3).

(29) Ex Cit. C. 17; Suar., 32, 2, 26.

(30) Suar., 35, 2, 1. Nam quae prohibentur in locis generaliter interdictis, ea et in interdictis specialiter prohibentur. *Pene,* quia in interdicto speciali cessant privilegia, de quibus infra (Suar., *l. c.*,).

(31) CC. 10, 16, 17, *De S. E.* Absentes quoque (Silvest., v. *Interdi-*

non est (32), vel esse desiit (33); hodie ne his quidem exceptis, qui interdicto causam dederunt (34).

Age nunc, in *locis* generaliter interdictis, hodie licet clericis quotidie sacrum facere, et alia divina officia obire *sicut prius;* sed non pulsatis campanis, ianuis clausis, et voce submissa, exclusis excommunicatis, et interdictis (35): in ecclesia vero specialiter interdicta licet *semel in hebdomada* sacrum facere ad renovandam eucharistiam, *ne* forte *desit morituris* (36). Sacramenta, quae in loco interdicto, vel personis interdictis ministrare non licet, sunt eucharistia, E. U. (37), et ordo (38): quae licet, baptismus, poenitentia, viaticum (39) et (eo quod contractus cum primis vim

ctum, II, § 2); *nisi omnino domicilium mutent* Sayr., V. 4, 4). Non populus, coetus, ordo; quia persona moralis non est sacrorum particeps (Suar., 32, 2, 13; V, § 325, n. 9).

(32) Sayr., V, 4, 20; Reiff., V, 39, 189; S. Alph., VII, 331. Velut peregrini. Immo et *advenae,* ut puta scholastici: *communis et certa* (Suar., 32, 2, 15).

(33) Sayr., V, 4, 5; Salm., 10, 6, 14. Nempe mutato domicilio. Num igitur eo teneantur si alio quasi domicilium tantum nacti fuerint? Ita porro, ex dictis, et ex doctrina TT.; sed perdurum, et a mente interdicentis, immo et a iure, alienum videtur; nam interim subditi esse intelliguntur eius loci in quo morantur (§ 86, n. 33).

(34) Contra CC. 16, 24, *De S. E.* in 6°. Hos enim praeteriit Const. nostra.

(35) C. 57, *De S. E.;* C. *Alma Mater,* 24, *De S. E.* in 6°. Immo et laicis non interdictis (Ex Clem., 3, *De S. E.*). Et hoc iure utebantur, cum haec interdicta vigebant (Suar., 34, 1, 27). Proinde, si adsint, extrudendi sunt; et si iussi abire nolint, non sunt divina officia inchoanda. Quid, si coeptis iam supervenerint? Navarr. et Suar. (34,2,9) putant cessandum esse; quippe non aliter licet haec celebrare in ecclesia interdicta, quam *interdictis exclusis:* et, nisi cessaverint, Suar. (*l. c.*) irregulares fieri putat ea prosequentes. Et ex rigore verborum videtur verum.

(36) C. 57, *De S. E. - Ne desit;* ergo, verius, et quoties opus fuerit (Navarr., 27, 173; Sayr; V, 5, 6). Sed nonne licet etiam, si ecclesia conventualis est, in ea *legere* horas canonicas binis et binis, vel simul tribus, ianuis clausis, etc.? (C. 11, *De Poenit.*). Ita porro; sed magis *onus* est, ad lucrandas distributiones quotidianas: sic enim eas recitare licet et domi, et in agro.

(37) Cit. C. 11; C. 43, *De S. E.;* Suar., 33, 1, 44. Sed E. U. iis tantum vetari puto, qui confiteri potuerint. Cur autem viventibus confirmatio non denegetur, morituris denegetur E. U., ratio facile reddi non potest.

(38) V. Suar., 33, 2, 44. De ordinibus in iure nihil expresse cautum est, sed est communis sententia: nempe hierarchici quasi sacramenta, non hierarchici quasi divina officia, prohibentur.

(39) C. 11, *De Poenit.;* C. *Alma Mater,* 24, *De S. E.* in 6°. Hoc C. 24 multum de veteris iuris rigore remissum fuit (V. Suar., Disp. 33, Sect. 1). Quae autem sacramenta recipere licet, ea et in ecclesia interdicta licet recipere, quia id nullo iure vetatur; atque ideo et a persona generaliter interdicta, quia personalis et localis interdicti eadem est vis (§ 372, n. 18; Suar., nn. 3, 5); seu potius, quia haec in illis, vel ab his

habet) matrimonium (40). Sepulturam vero ecclesiasticam nemini dare licet, ne infantibus quidem (41): clericos tantum licet *inferre in loco sacro*, modo viventes servaverint interdictum (42); sed sine pompa, sine psalmis (43).

375. Qui violat quoquo modo haec interdicta, peccat graviter, sive clericus, quod nemo dubitat; sive laicus, quod est verius (44): nam si interdictum *locale* est, ad personas directe non respicit; sin est *personale*, non distinguit inter laicos et clericos (§ 370, n. 4). Quisquis autem scienter celebrat, vel facit celebrare divina in loco interdicto; vel excommunicatos nominatim *admittit* ad divina officia, vel ad sacramenta, vel ad sepulturam ecclesiasticam, incurrit ipso iure interdictum ab ingressu ecclesiae, donec satisfecerit competenter, arbitrio eius cuius sententiam contempsit (45). Demum clericus, qui in loco quoquo modo nominatim interdicto celebrat scienter quodvis divinum officium, fit irregularis (46). Verum interdicta generalia, seu localia seu personalia (47), cessant ex parte in festivitatibus Natalis Domini, Paschae, Pentecostes, Beatae Mariae Virginis in coelum Assumptae (48), et in solemnitate Corporis Christi, eiusque octava (49).

376. Interdictis proxime accedunt *interdictum ab ingressu ec-*

ministrari, non propter se vetitum est, sed propter eum qui est interdictus. Proinde nihil refert, si forte haec ministrari potuissent in alia ecclesia vel ab alia persona non interdictis (Suar., nn. 3, 4). Et solemniter, etiam citra necessitatem, administrari posse, non ambigitur (Suar., n. 2; Salm., 1, 6, 34; S. Alph., VII, 334): et profluit ex dictis. Quin licet olea, illis conficiendis praescripta, consecrare in die Coenae Domini (C. 16, *De S. E.* in 6°).

(40) Ex C. 4, *De Feriis;* Silvest.; Navarr., 27, 179; contra Suar., 33, 1, 51. *Eo quod*, etc.; ideoque omissa benedictione nuptiali (Sanch., *M.*, VII, 8, 13); prout tempore feriato; nec in ecclesia interdicta.

(41) C. 11, *De Poenit. - Communis et certa* (Suar., 35, 1, 2). Verum sepulti non sunt, secus ac excommunicati, exhumandi (Engel, V, 39, 96); et planum est (§ 370).

(42) Cit. C. 11; Clem., I, *Eod. tit.*

(43) Suar., 35, 1, 7.

(44) V. Suar., 33, 2; Laym., XIV, 5; Salm., 10, 6, 85. Etiamsi interdicto causam non dederint (Suar., 34, 4, 5).

(45) C. 8, *De Priv.* in 6°; C. *Ap. Sedis*, § 395, II. Admittere autem accipimus, cum Suar. et Filiucc., non prohibere, si quis *ex officio* prohibere debuisset, et potuisset sine incommodo gravi.

(46) C. 18, § 1, *De S. E.* in 6°; *iuxta omnium expositionem* (Suar., 34, 4, 15). Non item si conferat sacramentum interdicto, quia nullo iure cavetur.

(47) Suar., 33, 1, 14; V. Schmalz., V, 39, 368.

(48) C. 24, § ult., *h. t.*

(49) Mart. V, C. *Ineffabile sacramentum.* Ideo licet divina solemniter, ut alias, celebrare, eisque interesse; sed non licet dare, aut recipere E. U., vel ordinem (C. 24, § ult., *De S. E.* in 6°).

clesiae, et *cessatio a divinis* (50): alterum nempe personali, alterum locali (51); sed aliter, et aliter. Etenim interdictum ab ingressu ecclesiae pertinet ad emendationem delinquentis, cessatio a divinis ad reparandam iniuriam ecclesiae illatam pertinet (52); ideo illud vere censura est (53), et pars interdicti personalis specialis (54); haec est magis privatio quaedam (55): interdictum potest esse et a iure, et ab homine; cessatio a divinis ab homine tantum (56): demum qui illud violat, fit irregularis (57); qui hanc, non item (58); licet neuter vacet letali.

377. Age nunc interdictum ab ingressu ecclesiae passim definitur: *Censura, qua quis participatione divinorum in ecclesia, et ecclesiastica sepultura prohibetur* (59). Itaque interdictus ab ingressu ecclesiae non potest interesse divinis officiis; sed, verius, non prohibetur in ea privatim orare (60), nec recipere sacramenta (61): et extra eam perinde habetur, ac si nulla huiusmodi censura obstrictus esset (62). At ecclesiastica sepultura, tum in ecclesia, tum in coemeterio prohibetur, nisi poenitens decesserit (63).

378. Cessatio a divinis est: *Prohibitio divina obeundi, et ministrandi sacramenta in aliquo loco sacro* (64). Prope accedit inter-

(50) V. Suar., 39, 2, 8; Salm., 10, 6, 101.

(51) Ex CC. 1, 20, *De S. E.* in 6°; C. 55, *De Appellat.;* Sayr., V, 17, 1; Suar., 35, 4, 4, etc.

(52) Laym., *De Interd.,* cap. I, n. 4. Et est signum moeroris ecclesiae, iniuria huiusmodi illati (S. Alphons., VII, 340).

(53) C. 20, pr. *De S. E.* in 6°.

(54) Suar., 35, 4, 21; Laym., *l. c.*

(55) Suar., 39, 1, 14; Engel, V, 39, 101; Salm., 10, 6, 102.

(56) Schmalz., V, 39, 403.

(57) C. 20, *De S. E.* in 6°.

(58) Navarr., 27, 188; Covarr.; Suar., 39, 1, 8, etc.; Sayr., V, 17, 9; Engel, *l. c.*

(59) C. 20, *De S. E.* in 6°; Salm., 10, 6, 89; Suar., 35, 4, 4, etc. Prohibetur, si forte est clericus, divina obire; sed quasi *per consequens.*

(60) Navarr., 25, 75; 27, 170; aliq. ap. Suar., 35, 4, 19; Salm., 10, 6, 91. *Communior.*

(61) Pala.; Henr.; Bonac.; Salm., 10, 6, 89; Schmalz., V, 39, 387. Contra Suar., 35, 4, 5; Laym., I, 3.

(62) V. Suar., 35, 4, 5. Ergo licet divina obire, eisque interesse, nedum in oratorio privato, sed et in coemeterio ecclesiae non contiguo (Suar., nn. 6, 9). Immo et contiguo, quia in odiosis non fit locus regulae: *Accessorium sequitur principale* (V. § 310, n. 16), nisi in iure sit expressum; et ideo Suar. (nn. 12, 16) animadvertit *rem esse satis dubiam:* quod profecto heic satis est (§ 309, n.3). At procul dubio haec non licent in cappellis ecclesia in ipsa extructis, quia sunt partes ecclesiae.

(63) C. 20, *De S. D.* in 6°.

(64) Ex C. 11, *De Sponsal.;* Clem., 1, *De S. E.;* Sayr., 18, 17, 2; Suar., 29, 1, 1. Nempe officia divina omnia prorsus; sacramenta non omnia, sed exceptis his quae interdicto locali eximuntur (S. Alph., VII, 340). Nec obstat C. 11, *De Sponsal.* (V. Suar., 39, 2, 18). In definitione quidam addunt, *et ecclesiastica sepultura:* verum haec additio *nec iure, nec suffi-*

dicto locali (65); ideoque (prout locale interdictum) diducitur in generalem et in particularem (66); et utraque potest esse totalis, vel partialis; pro arbitrio eam indicentis (67). Indicenda autem non est, praeterquam ex delicto gravissimo et notorio; quodque in iniuriam ecclesiae, vel potestatis ecclesiasticae, aliquo modo redundet (68); et ita demum, si reus noluerit satisfacere (69). Cumque accedat interdicto locali, non immerito quidam putant, privilegiis, quae in his obtinent, sive ex veteri iure, sive ex C. *Alma Mater*, in cessatione quoque a divinis locum esse (70). Desinit autem revocatione eius, qui illam indixit, vel impleta conditione, aut die, sub qua forte lata fuit.

CAPUT III.

DE SUSPENSIONE.

379. Suspensio (vocabulum in iure canonico maxime varium, et interdum latissime acceptum) heic definiri potest generaliter: *Prohibitio, qua clericus sacro ministerio interdicitur* (1). Sacrum ministerium accipimus omnem sacrae potestatis usum: interdicere vero est usum huiusmodi ad tempus prohibere. Suspensio solos clericos attingit; et quia ea sacra ministeria, quae cohaerent minoribus ordinibus, hodie a laicis quoque obiri solent, suspensio in ordines minores non cadit (2); eoque minus cadit in primam tonsu-

cienti ratione fundari potest (Suar., 39, 2, 31). Itaque eos efferre ritu catholico, eisque iusta funebria persolvere, quia sunt divina officia, procul dubio non licet; at eos humare in loco sacro licet profecto, nisi forte cessationi admixtum sit interdictum (Salm., 10, 6, 108). Prout ex hac definitione liquet, cessatio a divin. directe clericos tenet, laicos indirecte et per consequens (Salm., 10, 6, 103).

(65) Ex C. 55, *De Appell. - Prope;* nam distat in multis; et quod multi ex Nostris aiunt, cessationem his omnibus privare, quibus privat interdictum locale, *in nullo iure habetur*, ait Suar. (39, 2, 32).

(66) Ex Clem., I, *De V. S.;*

(67) Suar., 39, 2, 15.

(68) Ex C. 14, § 3, *De O. O.;* Suar., 39, 3, 4; Salm., 10, 6, 109. Sed V. CC. 1, 2, *De Iur. Patron.*

(69) Ex C. 8, *De O. O.* in 6°; Suar., 39, 3, 11. Et in scriptis indicenda est (Ex C. 1, *De S. E.* in 6°; Suar., n. 8). Sed nullo iure cautum est irritam esse, his non servatis (Suar., n. 13).

(70) V. Suar., 39, 2, 3, etc. Triplex adest sententia: prima haec; altera prorsus contraria, nempe, quia huiusmodi prohibitio est gravior poena; tertia distinguit, et, quoad vetera privilegia, illi, quoad ea quae continentur in C. *Alma*, huic adhaeret: distinctio prorsus cerebrina, uti belle ostendit Suaresius. Secunda ex iure fortassis verior; prima aequior.

(1) V. Berard., To. IV, pars II, disp. VI. cap. VI.

(2) Suar., 26, 3, 10; Salm., 10, 5, 24; Sayr., IV, 16, 11; Navarr., 27, 244. Eoque minus attingit munus praedicandi (Sayr., n. 20).

ram, quae nec ordo est, sed praeparatio ad ordines (3). Itaque suspensio PROHIBET USU: *prohibet* nempe vi sua; et exinde distat et ab interdicto personali, et ab irregularitate, quae his nos prohibent indirecte et quasi per consequens: *usu*, et hoc nomine a *depositione* distat, quae ab ipso sacro ministerio nos eiicit. Est autem triplex in iure canonico *huiusmodi suspensionum genus;* nam quaedam citra omnem culpam ex iusta aliqua causa irrogantur, quaedam in vindictam perpetrati alicuius criminis, quaedam ad coercendam contumaciam ut reus citius resipiscat: *illae* merae privationes sunt, *istae* poenae simpliciter, *hae* censurae vim habent (4): nobis de his tantum; seu de suspensionibus stricte acceptis.

380. Itaque suspensio stricta significatione est: *Censura qua clericus officio beneficioque interdicitur.* - *Censura:* ideo necesse est, ut lata sit ob delictum, et contumaciam (5); utque simpliciter; non in perpetuum, nec in diem certum, nec ad arbitrium eam irrogantis (§ 357). *Officio,* et *beneficio;* nempe iam susceptis; iuris enim nondum quaesiti suspensio ne intelligi quidem potest (6): in quo rursus distat ab irregularitate, quae arcet ab his suscipiendis (7). Ferri autem potest vel I. ab officio tantum, vel II. tantum a beneficio, vel III. ab utroque (8), arbitrio eam ferentis. I. *Ab officio tantum.* Officii appellatione omnis potestas spiritualis significatur (9); eaque duo contineri, aiunt, ordinem et iurisdictionem: quocirca haec suspensio potest esse vel ab ordine solum, vel solum a iurisdictione, vel ab utroque. *Ab ordine;* idest, ab ordinibus vel conferendis, vel exercendis. Nos de ea cum primis, quae prohibet ab ordinibus exercendis. Suspendi autem aliquis potest vel ab unius tantum ordinis parte, vel ab uno, vel a pluribus, vel ab omnibus (10). *A iurisdictione;* sive interna solum, sive solum externa;

(3) Suar., 40, 1, 11.

(4) Suar., 25, 1, 2. Haec secernere quanti intersit, neminem fugit. Ceterum in Const. *Ap. Sedis* omnes censurarum nomine recensentur, nempe latiore significatione; et nulla, quod ad sacra ministeria conferenda, superest suspensio (*l. c.*), quae vere censura dici possit: et omnes R. P. reservantur.

(5) Suar., 25, 1, 2.

(6) Suar., 26, 3, 11. Contra Salm., *l. c.*

(7) Palaus, D. IV, P. 5, n. 2; Salm., n. 3.

(8) C. 11, *De Privil.* Sed haec totalis, non duplex, suspensio est (V. Suar., 25, 2, 6).

(9) Suar., 25, 2, 11; Tolet., 1, 43, 4; Salm., n. 23.

(10) C. 4, *De Corp. Vitiat.;* V. Glossa in Clem. 3, *De Poenis*, v. *Suspensi.* Et, quia versamur in odiosis, suspensus ab ordinibus conferendis licite confert primam tonsuram, quippe non est ordo (Bonac., *h. t.*, P. 2, n. 6): suspensus ab aliquo tantum ordine conferendo vel exercendo, licite, nedum inferiores confert (Suar., 26, 4, 9), exercet (CC. 4, 17, *De Temp.*

sive ab alterutrius parte, sive utriusque, sive tota (11). Ceterum, cum quis suspenditur *ab ordine* simpliciter, vel *a divinis,* omnium maiorum ordinum exercitio prohibetur (12); cum simpliciter a *iurisdictione*, omnis ei adimitur iurisdictio interna et externa (13); sed neutra suspensio ad se alteram trahit (14): cum denique *ab officio,* omni utriusque usu interdicitur (15).

381. Est et alia suspensio, cui soli praelati sunt obnoxii: nempe *ab ordine pontificali,* vel *ab usu pontificalium. Illa* prohibet ea peragere, quae constant ex ordine episcopali; haec interdicit ab apparatu dumtaxat pontificali (16). Neutra ad se trahit alteram (17);

Ordin.); sed, probabilius, etiam superiores confert (Ex C. 4, *Eod.* in 6°; Suar., n. 11). Sed an et exerceat? Veteres plerique id negant omnino (V. Sayr., IV, 3, 1): recentiores negant quod ad eos tantum, qui fundamentum in inferioribus habent; ideoque docent presbyterum suspensum a diaconatu vel subdiaconatu posse absolvere a peccatis, ungere aegrotos, baptizare solemniter; missam celebrare non posse, quippe sine evangelio, quod diaconi; et sine epistola, quod subdiaconi munus est, celebrare non licet (Suar.; Laym., *h. t.*, Cap. I, n. 6; Salm., 10, 5, 32). Sed negatur superiores ordines fundari in inferioribus; quid enim, si quis ex laico fiat presbyter? Itaque dicendum videtur, suspensum ab ordinibus inferioribus superiores ordines exercere non posse, quasi indignum, quia *ridiculum est eum qui minoribus, poenae causa, prohibitus est, ad maiores adspirare* (L. 7, § penult., *De Interdict., etc.*); ac proinde iure naturali, non canonico; ideoque si exercuerit, irregularem non fieri (Sayr., n. 6).

(11) Ex C. un., *Ne Sede Vacan.*

(12) Salm., 10, 6, 27; Tolet., I, 44, 2. Hac re suspensus ab officio, verius, non amittit vocem in capitulo (Schmalz., V, 39, 298); nec prohibetur horas canonicas in choro recitare, licet suspensus fuerit *a divinis officiis* (Alvil., Henriq., Filiucc., ap. Bonac., P. 2, n. 16): dum ne officiatorem agat (Salm., n. 42; Laym., etc.; Sayr., IV, 10), nec *Dominus vobiscum* solemniter canat (Salm., 10, 8, 69).

(13) Suar., 26, 4, 19; Salm., 10, 5, 26; Laym., I, 5. Qui iurisdictionem heic accipiunt, nedum eam quae ad actus *valide*, sed et illam quae ad actus *licite* faciendos necessaria est: heinc negant posse Episcopum suspensum concedere dimissorias ad ordines; parochum baptizare (solemniter), ungere aegrotos, etc. Quod mihi durum videtur, quia actus huiusmodi lata significatione iurisdictionis esse dicuntur (§ 71, n. 6); quod et ipse Suar. docet (14, 1, 2). Nisi forte a *ministerio* suspensus fuerit, vel *ab officio.* Ceterum haec formidans dixerim.

(14) Laym., I, 5; S. Alph., VII, 314, in fin.; V. Navar., 27, 160, 161. Ne in his quidem, quae consistunt ex utriusque potestate (Salm., 10, 5, 16, 26). Itaque si suspensus a peccatis absolvat, siquidem *ab ordine* suspensus est, valide absolvit; sin a *iurisdictione*, non fit irregularis.

(15) C. 1, § *Sciturus, De Sent. et re iudic.* in 6°; Laym., 1, 2; Salm., 10, 5, 23; Schmalz., V. 39, 266, 294; Suar., 26, 1, 3.

(16) Sayr., IV, 4, nn. 11, 12, 13. - *Ab ordine,* etc.; ut ecce ordinare, confirmare, benedictiones quas vocant reales (§ 90, n. 13) perficere. - *Apparatu,* etc.; pontificalia accipimus, quae fiunt adhibitis mitra, baculo pastorali, vel pallio (Laym., *h. t.*, Cap. 1, n. 6; Filiucc., 17, 28).

(17) V. § 380, n. 14. Nihilomi-

atque ideo qui *illa* tenetur, verius, non vetatur ea obire, quae alterius ordinis sunt; v. c., missam celebrare, etiam in apparatu pontificali (18): nec is, qui detinetur *hac,* prohibetur obire ea quae sunt ordinis episcopalis, dummodo licite obiri possint sine hoc apparatu; velut confirmare sine baculo et mitra (19) Utraque obligat sub gravi: et qui illam violat fit irregularis, quippe ordinem exercet; licet illum exerceat (v. c., confirmet) sine apparatu pontificali; qui hanc non item; tum quia id nullo iure cautum est (20), tum quia exercet ordinem iure suo. Quid, si fuerit suspensus *a pontificalibus?* utrum et ab ordine pontificali, et ab usu pontificalium suspensus sit, ceu retur Thesaurus, an ab hoc tantum, uti Filiucc. (21)? Utique ab hoc tantum; nam quid sunt pontificalia, nisi insignia pontificalia? Atque ideo tenendum est, non fieri irregularem Episcopum, qui huiusmodi suspensione irretitus celebrat in apparatu pontificali (22).

382. II. Suspensio *a beneficio tantum.* Beneficium stricte est: *Ius utendi fruendi bonis beneficio adnexis.* Hoc iure duo continentur; nempe fructuum perceptio, et administratio bonorum (23). Potest autem alicui illis tantum interdici, vel hac tantum, vel utroque. Et primum *fructibus tantum.* Porro fructus appellatione veniunt omnes *reditus* (24) temporales ex beneficio; ideoque et census, decimae, primitiae, etc. (25): non item incerta obventionum, seu stolae (26), nec distributiones quotidianae (27). Itaque suspensus a fructibus eos amittit; nempe, pro rata temporis; et deductis impensis (28), vectigalibus (29), et oneribus impletis, vel adim-

nus, suspensus ab usu pontificalium prohibetur ordinis exercitio, quoad ea quae sine pontificalibus fieri non possunt; velut olea sancta conficere, ecclesiam consecrare, etc.; nempe indirecte et per accidens (Laym., *l. c.;* Sayr., IV, 4, 14).

(18) Sayr., IV, 13, 29; S. Alph., VII, 314, v. *Si autem.*

(19) Sayr., IV, 4, 14; Salm., 10, 5, 11.

(20) Covarr., in C. *Si furiosus,* § 2, n. 1; Sayr., IV, 16, 25; ibiq. Silvest., S. Antonin., etc.

(21) Thesaur., Pars II, v. *Episcopus,* Cap. I; Filiucc., 17, 28.

(22) S. Anton.; S. Alph., VII, 314; Filiucc., 17, 28. Ad haec, non defuerunt ex veteribus, Theologi docentes, Episcopum suspensum ab ordine pontificali, vel a pontificalibus, nec ea quae iurisdictionis sunt exercere posse. Apage irregularitatum satores (V. Sayr ; Filiucc., n. 27).

(23) LL. 1, 13, *De Usufr.*

(24) LL. 19, 36, *Eod.;* LL. 38, 62, *De R. V.*

(25) Suar., 27, 1, 9 · Sayr., IV, 6, 10.

(26) Suar., 27, 1, 30; contra Sayr., *loc. cit.*

(27) Sayr., *l. c.,* n. 11; Bonac., P. 2, n. 14; S. Alphons., IV, 130, v. *Cum autem;* VII, 316. Alii aliud putant (V. Schmalz., V, 39, 302), in his Suar. (27, 1, 29).

(28) L. 7, *Solut. Matrim.*

(29) Ex L. 1, C. *De Fruct.*

plendis, quae beneficio accedunt extrinsecus (30). Et ipso iure eos amittit (31). *Administratione tantum*: hac suspensione beneficiatus vetatur bona locare, fructus exigere, iudicio agere (32); nihilominus, nisi fuerit vitandus, valet quod ab eo gestum est (33). Demum *utroque;* ut ecce cum suspenditur a beneficio simpliciter (34). Et si quis plura habeat beneficia, suspensus a beneficio, ab omnibus quae in ea dioecesi possidet beneficiis, suspensus est; nisi alia appareat, ex causa ob quam suspensio lata fuit, mens suspensionem irrogantis (35).

(30) V. S. Alph., VII, 316. Ut puta, anniversaria, legata missarum, etc., pensiones; nec non stipendia eius, qui suspensi ab officio (v. c., in cura animarum) vices gerit (Suar., 13, 2, 24). Aliud iuris est in his quae beneficio inhaerent natura sua (Bonac., P. II, n. 16): ut ecce, parocho suspenso ab altaris ministerio, missae pro populo. Sed, V. Suar., 27, 1, 15. Quaesitum est, an beneficiato pauperi praestanda sint alimenta ex fructibus beneficii, ne cogatur mendicare cum dedecore status ecclesiastici? Utique, si suspensio irrogata fuit ob delictum mere praeteritum; non item si ob contumaciam, donec a contumacia recesserit, dummodo per ipsum non stet, quominus absolvatur (Suar., 13, 2, 14; 27, 2, 5; S. Alph., VII, 316).

(31) Suar., 27, 1, 7. Verum, quia hoc poenae redolet aliquid *positivae* (§ 315, n. 54), cum illos perceperit, non cogitur ante sententiam iudicis restituere (Ex S. Alph., III, 670).

(32) LL. 1, 13, *De Usufruct.;* Laym., I, 3; Salm., 10, 5, 35. Ideoque debitores ei solvere non possunt (Suar., 27, 1, 31). Et si administrationi se ingesserit, et peccat graviter, et amittit beneficium (C. 1, § ult., *De Elect.* in 6°; Laym., *l. c.*): scilicet, post sententiam *declaratoriam* (Suar., 27, 1, 8; Schmalz., V, 39, 103).

(33) Suar., 27, 1, 31. Et haec sunt, quae suspensio *a beneficio* nobis adimit; et praeterea nihil aliud: ideoque non officium, quod beneficio cohaeret (Suar., 27, 1, 2); nec ius, v. c., praesentandi ad beneficium aliquod, ius suffragii, etc. (Berard., To. IV, P. II, Dissert. 3). Cumque ea, quae adimit, sint mere temporalia, suspensio a beneficio tantum magis poena est, quam censura (Avila, Diana, Navarr.; Suar., 1, 1, 6; sibi tamen contrarius, 27, 2, 1). Atque ideo appellatione suspenditur (V. § 329, n. 34; Diana, To. V, Tr. III, resol. 6, n. 2; ibiq. Navarr., Conin., Avila, Hurtado; Sayr., IV, 9, 10): et satis liquet ex C. 20, *De S. E.* in 6°. Quaesitum est, num beneficii appellatione veniant *pensiones* quoque *clericales:* affirmantium sententia *certa* videtur Suaresio (27, 1, 45); sed non *levis*, ait Bonac., *haec difficultas est* (P. II, n. 14); tu V. § 309.

(34) Ex C. 1, § ult., *De Elect.* in 6°; Laym., I, 2; Salm., 10, 5, 35; et Suaresio teste (27, 1, 31), *omnes.*

(35) Ex C., 37, § 4, *De Elect.* in 6°; Suar., n. 12; Croix, VII, 195; Schmalz., V, 39, 300. Itaque suspensus, v. c., quia in officio parochiali negligenter versatur, vel quia alienavit praedium unius ex suis beneficiis, a sola paroecia, vel ab eo solo beneficio, cuius praedium alienavit, suspensus intelligitur (Ex C. 37, § 4; CC. 40, 44, *De Elect.* in 6°; Suar., n. 12; Salm., 10, 5, 38). Dixi in ea dioecesi, contra communem et receptam TT. sententiam, existimantium hunc suspensum esse etiam ab his, quae possidet in dioecesi aliena. Nempe ex C. 14, *De Foro comp.;* quod huc non pertinet; quia de poena

383. Itaque ea est vis utriusque supensionis (ab officio et beneficio) simpliciter latae, ut altera ab omni officio, altera ab omni beneficio (ut supra) clericum regulariter interdicat. At vero neutra ad se trahit alteram (36): idest, neque suspensio a beneficio suspensionem ab officio, quod nemo dubitat (37); neque suspensio ab officio suspensionem a beneficio, quae verior sententia est (38). Nihilominus, quia beneficium datur propter officium, grave est, ei qui suspensus est ab officio, conferre beneficium (39) cui adnexum est officium quo defungi prohibetur (40).

Verum, III. si quis suspensus fuerit simpliciter (idest detracta mentione officii et beneficii), ab utroque suspensum esse, commu-

loquitur, quae privationem beneficii secum trahit. Sane si haec suspensio non est censura, reum non sequitur ubique locorum (§ 331, n. 11). Ceterum hi, qui aliud putant (S. Alphons., VII, 316, d. 2; Thesaur., 1, 26; Salm., 10, 5, 38), non diffitentur, benigna interpretatione receptum esse, suspensione lata iure dioecesano, aut sententia, vel praecepto Ordinarii, ea tantum beneficia contineri, quae quis possidet in eius dioecesi; nisi aliud fuerit expressum.

(36) Ex C. 14, in fine, *De Vita et honest. cleric.;* C. 10, *De Purgat. Can.;* Navarr., 27, 160; Suar., 26, 3, 4.

(37) Suar., 27, 1, 3. Ideo suspensus a beneficio cogitur imple e, sive per se sive per alium, officia beneficio adnexa (Bonac., P. II, n. 10); V. § 309, n. 11).

(38) Ex cit. § ult., ibiq. Fagn., n. 22; C. 10, *De Purg. Canon.;* Suar., 26, 3, 4; Salm., 10, 5, 20; Reiff., V, 39, 168. Sive quia alterum sine altero consistere potest (Salm.), seu potius quia beneficium in tonsura fundatur (Bonac., P. 2, n. 5). Itaque canonicus suspensus ab officio lucratur distributiones quotidianas, nedum pro duabus earum partibus (ubi nullae sunt praebendae), sed omnes; eas quoque, quae debentur ob officium vel ministerium, a quo suspensus est; v. c., celebrationem missae, administrationem sacramentorum (Salm., 10, 5, 21; V. § 380, n. 12). Nihilominus S. Alph. (VII, 316; ex Fagn. in C. *Quaesitum*, n. 30, *De Cohab. Cleric.;* et Gl. in Clem. *Cupientes*, v. *Suspensi*, circa fin., *De Poenis*) putat, suspensionem ab officio secum trahere suspensionem a beneficio si, 1° vel crimen sit enorme (Ex C. 10, *De Purg. Can.*), vel 2° suspensus per annum in suspensione insorduerit (Ex C. 8, *De Aet. et qual. ordin.*). Sed ex C. 10, *De Purg. Can.*, magis contrarium evincitur; quod alias animadvertit Berar. (T. IV, Part. II, Diss. 3, Cap. 7); quare hanc sententiam iam reiecerant Suar. (26, 3, 6), Salm. (20, etc.). In C. autem 8, *De Aet.*, etc., sermo est de suspensione f. s., quod nec S. Doctorem praeterit (S. Alph., VII, 316, Dub. 3). Fagnanus vero requirit utrumque simul; et Gl. docet, suspenso SUBTRAHI *beneficium, cum est in mora petendi absolutionem;* atqui *subtrahere* est vel ipso S. Doctore (III, 670) interprete, adimere officio iudicis. Liceat igitur ab hac sententia recedere.

(39) C. 8, *De Aet. et qual. ordin.;* C. 8, § 2, *De Consuet.;* Laym., I, 3; V. Suar., 26, 3, 8.

(40) Ex C. ult., *De Cleric. excom. min.;* Salm., 10, 5, 32. At vero nullo iure cautum est collationes huiusmodi irritas esse (S. Alph., VII, 316, d. 3).

nissima sententia est; quippe, hoc uno *suspensionis* vocabulo, utraque in iure et continetur, et irrogatur (41).

384. Porro ea, quae suspensio adimit, pertinent ad *statum* clericorum; atque ideo ubique terrarum adempta intelligitur (§§ 22, n. 1; 331, n. 11). Et de adempta potestate ordinis nemo dubitat: sed quaestio, nec mediocris, est, utrum suspensus ab officio aliud officium acceptare possit in aliena dioecesi, eiusque munera; et, si ei iurisdictio adnexa est, utrum iurisdictionem quoque in ea dioecesi exercere valeat in his, quae non pendent a potestate ordinis. Et quaestio haec est, utrum suspensio reddat suspensum inidoneum officiis ecclesiasticis suscipiendis. Suaresius id probabilius putat, exemplo excommunicationis (42); quod alii negant (43), quia id nullo iure cautum est: quos sequor. Ex quibus consequens est dicere, idem iuris esse, si aliud beneficium ei collatum fuerit in propria dioecesi (44).

385. Hactenus de suspensionis natura et vi; nunc videamus de suspensione ferenda; ab homine, inquam. Haec igitur ferri potest et qua censura est, et qua solum poena, et qua providentia quaedam pastoralis, quae clericum de graviore crimine postulatum, vel suspectum, sacris interdicit ad scandala removenda, sive, uti aiunt, *ad cautelam* (45). Haec, ut a facilioribus ordiamur, irrogari potest vel ob solam criminis suspicionem, si haec graviter existimationem

(41) Extr., 3, *De Privil.;* Suar., 25, 2, 7; Laym., 1, 2; Reiff., V, 39, 171; Schmalz., V, 39, 266; Tolet.; Bonac., Q. 2, n. 1; Palaus; Ferrar., v. *Suspensio*, I, 9; Scavi., § 1015; Gury, II, 994, etc. Nec audiendi sunt pauci illi, et feres omnes obscuriores TT., qui contra putant.

(42) Suar., 26, 1, 11.

(43) Sayr., IV, 5, 2. Sane beneficia ecclesiastica nihil aliud sunt, quam ecclesiastica ministeria (C. 2, § 2, *De Election.;* Berardi, *Comment. etc., De Benefic.*, Dissert. I, pr.): atqui ipsemet Suar. (25, 1, 2; 27. 1, 26) fatetur, suspensionem haud efficere inhabilem beneficiis recipiendis. Nec recte nititur exemplo excommunicationis; nam quod ait, excommunicationis et suspensionis, *quoad hoc,* eamdem rationem esse, et gratis asseritur, et est a ratione, ac vi adeo diversa utriusque censurae, remotum prorsus; et in ipsa excommunicatione quoad toleratos, ut videbimus, controversum.

(44) Ex C. 8, *De Aet. et qual. Ordinand.;* V. S. Alph., VII, 316, d. 3.

(45) CC. 13, 14, Can. 25. Haec suspensio pertinet ad honorem sacri ministerii, quia non decet, fama laborantem (prout corpore vitiatum) operari sacris, si exinde scandalum, rumores, obtrectationes suboriantur. Hisque subortis, quoad cessaverint, nihil proderit suspenso, quod crimina poenitentia deleverit, vel quod nullum crimen admiserit, vel eo absolutus fuerit in iudicio; eoque minus ei proderit (sicubi adhuc obtinet) *purgatio canonica* (de qua V. *Decretal.*, Lib. V, Tit. 34; V. Berardi, Cap. VII).

onerat (46); sed *tantum* ab officio, et ab administratione beneficii (47). Quae imponitur ut *poena* irrogari illa quidem potest ob levem cul pam, dummodo et ipsa sit levis (48). At qua est *censura*, non po test irrogari nisi propter delictum grave (49), et contumaciam : ideo que propter delictum futurum, vel quod in futurum pendeat (§ 326 n. 19), praemissa monitione, causa suspensionis expressa ; et in scriptis, ut alias ; nam si oretenus lata sit, magis poena praesumitur quam censura (§ 357, n. 6); nisi lata fuerit per modum praecepti (50) quippe hoc instar legis est (§ 325, n. 7). Ad haec, suspensio hodie ferri potest ex *informata*, uti dicitur, *conscientia* (51); idest, ex causis ferenti notis (52); atque ideo extraiudicialiter, nulla praemissa monitione, et omni appellatione (non item recursu ad S. S.) re mota (53); sed ab officio tantum (54); nec in perpetuum; nec in tempus indefinitum, quae hodie probabilis sententia est (55); nec propter delictum publicum (56).

(46) CC. 13, 14; Cau. 2, 5; Berar., *loc. cit.*

(47) CC. 10, 31, § *Quia vero, De Purg. Can.;* CC. 4, 5, *De Simon.;* Berardi, *l. c.*

(48) Suar., 28, 3, 7. Idest ab officio tantum, vel tantum a beneficio, vel etiam ab utroque, sed ad *valde breve tempus, puta ad diem vel hebdomadam:* alias non ligat (S. Alph., VII, 321), remoto scandalo (§ 333). Haec suspensio non eget *contumacia* (Navarr., 27, 159; Reiff., V, 39, 173): atque ideo monitione non eget; et ferri potest oretenus (V. S. Alph., VII, 317, 10).

(49) S. Alph., VII, 31, 321. Proprium inquam (Suar., 3, 28, 2). *Communissima.*

(50) Ex S. C. Epp., 2 mart. 1866. *Acta*, I, 684. Ut puta, si Episcopus iusserit Caio, sub poena suspensionis ipso facto incurrendae, intra praefinitum tempus, e. g., famulam dimittere; aut vetuerit theatra, cauponas adire.

(51) Trid., XIV, *R.*, I. Sive, uti ait Concilium, qua Praelatus *ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen*, clericum ab ordinum susceptione *quomodolibet, etiam extraiudicialiter*, interdicit; vel *a suis ordinibus, gradibus, vel dignitatibus ecclesiasticis suspendit* (V. Be ned. XIV, *De Syn.*, XII, 8, 3; Bouix To. II, Sect. IV, Subsect. 3, a pag 311. Parisiis 1866).

(52) S. C. C., 20 dec. 1867; Bouix p. 321. Quas proinde *neque ipsi re teneatur manifestare, sed tantum Sedi Apostolicae, si suspensus ad eam recursum habuerit* (S. C. C. 21 mart. 1643, ap. Ben. XIV, § 4)

(53) Ben. XIV, C, *Ad militantis* 1 apr. 1742; S. C. C., 22 iun. 1582 14 nov. 1654; V. Bouix, Cap. III p. 332. Contra CC. 14, 17, *De Temp Ord.* Dixi, non item *recursu ;* nempe ad S. Sedem *dumtaxat* (S. C. C. ap. Bouix, p. 333); eoque devolutivo uti aiunt, non suspensivo (S. C. C. 21 iun. 1625, ap. Ben. XIV, n. 5) prout in censuris.

(54) Espen, *De Censur.*, Cap. 10 Adnotator Ferrar., v. *Suspensio* n. 20. Et praeterea a gradibus, ve dignitatibus ecclesiasticis. Non iten a beneficio, v. c., parochum ab exer citio Curae (S. C. C., 21 iun. 1625 Ben. XIV, § 5).

(55) Ex S. C. C., 8 apr. 1848.

(56) Hanc sententiam tenet S. C C., et belle eam novissime defendi cl. Petrus Rota. Sed Episcopus Lu

386. Restat ut videamus de violatione suspensionis. Clericus qui violat suspensionem, gravi non caret, nisi eum excuset ignorantia, vel metus, vel incommodum grave, vel parvitas materiae (57); vel nisi id fecerit (quamdiu est toleratus) requisitus expresse vel tacite (58). Ad haec, si suspensus fuerit ab officio, vel ab ordine, fit irregularis ordinem sacrum exercendo, dummodo suspensio vere censurae vim habeat (§ 357, n. 15). Quid igitur si lata illa sit in tempus definitum, vel *ex informata conscientia?* In priori casu quidam negant hunc fieri irregularem, quia haec suspensio poena est, non censura (59); plerique affirmant, ex C. 1 *De Sent. et Re Iudic.* in 6° (60): S. Alphonsus, si lata est ob delictum praeteritum, illis; sin ob futurum, vel quod in futurum pendet, his adhaeret (61). Mihi prior sententia videtur verior; nisi suspensio lata fuerit a R. Pontifice (cui datum est derogare regulis iuris canonici), et hac expressa lege, ut is qui illam violat irregularitati obnoxius fiat (62). In posteriori, quidam putant irregularitatem incurri ex S. C. C. consulto (63), quidam contra (64): haec sententia mihi vera est; nam quid emendet qui ignorat cur puniatur? et si lata fuit ob crimen praeteritum, verissima prorsus.

387. Haec quoad clericum suspensum. Alii, quamdiu est toleratus, etsi perinde habendus esset ac si nulla suspensione teneretur (§ 331, n. 7), quamvis notoria illa sit (65); nihilominus consuetudine receptum est, ne quis ab eo quidquam petat eorum, quae

cionensis *(De Sentent. De Conscience informée)* eumque sequuti Petrus Scavini (*h. t.*, § 1017) et Bouix (Cap. III, p. 325) aliud putant ex iis Trid. verbis: ETIAM *occultis*. Quod menti Tridentini non adversari puto, quippe ei propositum fuit, non famae clericorum, sed Praelatorum (forte propter nequitiam hominum, aut temporum) indemnitati consulere; quibus, si alias unquam, hodie maxime consulendum foret. Illud autem dubitandum non est, suspensiones huiusmodi ferri non posse, nisi ferenti delictum liqueat (ex L. 5, *De Poenis*), et penitus liqueat; (quippe inauditam partem condemnat) sive ex testibus, sive (Bouix id negat) ex propria scientia; quod ea verba - *ex informata conscientia* - satis superque demonstrant.

(57) Suar., 26, 2, 1; Salm., 10, 5, 12; S. Alph., VII, 313. Porro *actus adnexi ordinibus sacris sunt in suo ordine graves* (Suar., 34, 4, 11); ut ecce, si quis benedicat nuptias, fructus, acquam (Corsetti *De Benedict.*; Baruff., *Ad Rit. Rom.*, 44, 6; S. Alph., *l. c.*).

(58) Schmalz., V, 39, 307, 309; V. § 331, n. 8.

(59) Gabriel, Avila, Villalob., etc.: et probabile putant Salm., (10, 5, 13).

(60) Suar., 27, 2, 4; Laym., Bonac., ap. Salm., *l. c.*

(61) S. Alph., VII, 314.

(62) Ex C. 1, *De Sent. et Re Iudic.* in 6°; *C.* 1, *De S. E.* in 6°.

(63) S. C. C., 21 iun. 1625, Ben. XIV, *De Syn.*, XII, 8, 5.

(64) Quos tacito nomine refert Ben. XIV (*l. c.*). His accedit Adnotator Ferrar., v. *Suspensio*, II, 13.

(65) Suar., 28, 5, 4, etc.

suspensio ei praestare vetat; et qui suspensum a divinis inducit ad celebrandum, eum graviter peccare *contra claves, et obedientiam Ecclesiae*, docet vel ipse Suaresius (66): nisi forte omnis contemptus, scandalum, et admiratio absint; et gravis necessitas urgeat; ut puta, si is qui versatur in letali, aliis confessariis deficientibus, ei, qui suspensus est a confessionibus audiendis, confiteatur occulte, vel quamdiu suspensio est occulta (67). Eum vero, qui nominatim suspensus est, vitare oportet in his, quae ei per suspensionem prohibentur: ideo grave est, v. c., a suspenso ab officio petere, ut missam celebret, vel ei celebranti ministrare; sed, quia nullo iure communione eius prohibemur (§ 331, n. 10), quam ipse a me non requisitus celebrat, secluso scandalo, mihi audire innoxium est (68).

388. Suspensio interdum fertur in personas morales, eas nempe quibus permissum est corpus habere collegii (69); scilicet, ecclesiasticas, uti monasteria, capitula: quod cum fit, intererit, utrum in singulos (v. c., capituli clericos), an in capitulum lata sit, an in capitulum et singulos. Illa in singulos cadit, et adimit quae singulis competunt (70); ista cadit in personam moralem tantum, eaque solum adimit, quae competunt personae morali, non quae singulis (71); haec adimit et quae illi competunt, et quae his. Illa aut vera censura est, aut saltem poena (72); ista magis privatio quaedam (73); haec quoad communitatem poena est, et tenet omnes; quoad singulos est censura, vel poena, et tantum reos tenent (74). Quoad communitatem, suspensio in foro dumtaxat externo tolli potest, et ab eo tantum qui habet iurisdictionem in foro externo (75).

(66) Suar., 28, 5, 6.

(67) Salm., 10, 5, 14.

(68) Suar., n. 5; 26, 2, 7, Salm., 10, 5, 14; S. Alph., VII, 313.

(69) Suar., 28, 3, 2; V. § 43. Suspensio etenim quae fertur in aliquem clericorum *coetum* (puta, in omnes clericos civitatis N.), quia ex eis nulla persona moralis coalescit (Cit. § 43, n. 4), specialis est, et in singulos distributive sumptos (nempe reos) lata intelligitur (Suar., 7; Laym., I, 3).

(70) C. 40, *De Elect.* in 6°; Salm., 10, 5, 47. Ut puta, ius celebrandi, absolvendi a peccatis; non item ius, v. c., suffragii.

(71) Ex L. 7, *Quod cuiusq. Univers.;* S. Alph., VII, 317. Haec igitur, si est *ab officio,* his tantum interdicit, quae ad iurisdictionem eius pertinent (V. Suar., 27, 2, 3); vetat e. g., capitulum cogere comitia, ferre suffragia, beneficia conferre (C. un. *Ne Sede Vacan.* in 6°), eligere, vacua sede, Vicarium capitularem, etc. Et si suspensum fuerit *a divinis,* de his intelligendum est, quae fiunt in communi (Berard., To. IV, P. II, Diss. 3, C. 7): si *a beneficio,* de his tantum beneficiis intelligitur, quae omnibus communia sunt (Salm., 10, 5, 43).

(72) Salm., n. 47. Vera censura, s et ob delictum futurum, vel quod pen det in futurum, et in diem indefini tum lata sit: alias poena est (§ 357)

(73) S. Alph.; VII, 317.

(74) Suar., 28, 3, 6.

(75) Salm., 10, 5, 52.

388.bis Suspensioni perpetuae affinis est depositio. Est *poena, qua clericus deiicitur de officio, vel dignitate.* Et, prout suspensio, potest esse vel ab officio tantum, vel tantum a beneficio, vel ab utroque (76). Vix distat a suspensione perpetua (77); distat tamen, nam suspensio *usum*, depositio *rem* (officium, beneficium, etc.) adimit (78): quamobrem, abolita, per indulgentiam principis, suspensione perpetua, suspensus ipso iure in suo officio, beneficio, etc., restituitur; depositus, ut in eo reponatur, novo titulo eget (79). Ad haec, depositus, si realem degradationem subiit, hodie, exutus omnibus privilegiis clericalibus, iudici saeculari puniendus traditur (80); et exinde clericus esse desinit (81).

SECTIO III.

De singulis quae nunc vigent ex C. *Ap. Sedis* censuris latae sententiae.

PRAENOTANDA.

389. Providentissimus f. r. Pius IX, cum animadvertisset, censuras l. s. *magnum ad numerum sensim excrevisse; quasdam etiam, temporibus moribusque mutatis, a fine atque causis ob quas impo-*

(76) Ex C. 8, *De dolo et contum.;* V. Suar., Disp. 30, Sect. 1; Reiff., V, 37, 23.

(77) Laym., *De Suspens.*, Cap. V, n. 1. Et a canonistis plerumque, et interdum in iure, promiscue accipiuntur (V. Sayr., V, 20, 2), ut vix distingui ac separari possint (Suar., *l. c.*, n. 11).

(78) Suar., nn., 4, 14, 15; Laym., *l. c.*, n. 3. Scilicet, suspensio perpetua non adimit spem veniae, et restitutionis. Ad haec, depositio eget semper officio iudicis, suspensio non item. Demum, aiunt, depositionem inidoneum facere aliis eiusdem generis beneficiis, officiis, dignitatibus obtinendis (Reiff., *l. c.*, n. 28): sed de hoc dubitare liceat (V. C. 12, Dist. 81).

(79) Suar., 30, 1, 6.

(80) C. 2, *De Poen.* in 6°; C. 9, § 1, *De Haeretic.* Dixi *realem degradationem:* scilicet depositio, si ab omni officio, et beneficio, dignitateque clericum deiicit, in nova disciplina dicitur *degradatio.* Quae in verbalem, et realem diducitur: *verbalis* est ipsa iudicis sententia, qua clericus ab his deiicitur; *realis,* seu actualis, est tristis illa caeremonia, qua omnium ordinum insignia, a summo ad imum, reo detrahuntur: eisque detractis, in veteri disciplina, tradebatur Curiae saeculari, mancipandus publicis gravioribus officiis, quibus laici erant obnoxii (L. 52, C. *De Episc. et Cleric.*), Nempe, si degradatio totalis fuerat; nam partialis esse poterat, et ideo non distabat a depositione. Quo factum puto, ut Nostri et Canonistae saepe degradationem cum depositione confundant; quod, etsi veteri iuri congruat, a novo alienum est.

(81) Sayr., V, 22, 1, Laym., n. 12; V. Ben. XIV, *De Syn.*, IX, 6, 3, etc.

sitae fuerunt, vel a pristina utilitate atque opportunitate excidisse; eamque ob rem non infrequentes oriri, sive in iis quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus dubietates, anxietates angoresque conscientiae: volens occurrere incommodis huiusmodi (1), Const. *Apostolicae Sedis*, IV id. octobris 1869, sapientissimo consilio statuit, *ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quae per modum latae sententiae hactenus impositae sunt, nonnisi illae quas in hac ipsa constitutione* inseruit, *eoque modo quo* inseruit, *robur exinde habeant.* Simulque declaravit, *easdem non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac constitutione conveniunt, verum etiam ex hac ipsa constitutione, non secus ac si nunc primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere.* Verum sartas tectas servari voluit, 1° eas censuras, quas Concil. Tridentinum decrevit, tulit, excepta ea quae continetur Sess. IV, in Decr. *De editione et usu Sacrorum Librorum* (2); et eas quae hactenus in suo vigore perstiterunt, sive pro Romani Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcumque Ordinum, et Institutorum Regularium, nec non quorumcumque Collegiorum, Congregationum, coetuum, locorumque piorum, cuiuscumque nominis aut generis sint (3). Censurae igitur, quae nunc vigent, hae sunt:

(1) Exinde autem patet, Constit. *Ap. Sedis* esse *beneficium Principis*, concessum tum confessariis, tum poenitentibus; ideoque *latissime*, favore utrorumque, interpretandum (§ 228, n. 10). Et *nullas iuris ratio patitur, ut eam nos duriore interpretatione contra ipsorum,* et maxime poenitentium, *commodum producamus ad severitatem* (L. 25, *De Legib.*).

(2) Non eas, scilicet, quas Trid. ex iure antiquo, confirmavit, ut ecce XXIV, *Ref.*, 1, 3, in fin.; vel restituit, ut puta XIV, *Ref.*, 6; XXII, *Ref.*, 1: nisi forte, cum antea essent f. s., eas fecit l. s., veluti XXII, *Ref.*, 11; sed quas ipsum Concilium invexit, sanxit (Ex cit. C. *Apost. Sedis*). Et neque has omnes; sed, 1° exceptis his censuris quae, mutatis temporibus, obsoleverunt, ut XXV, *Ref.*, Reg. 4; XXVI, *Ref. M.*, 9; et 2° his locis exceptis, ubi Trident. non obtinet (Bonac., To. 3, Disp. 2, Q. 2, P. 14, n. 5).

(3) Iuverit heic pauca adnotare de hac Const. doctrinaliter interpretanda. Dixi *doctrinaliter;* nam *authentica* eius interpretatio pertinet ad Supremam Congregat. S. R. U. I. *privative quoad alias.* Principio igitur, 1° tenendum est, omnes superiores censuras l. s., quae in hac Const. comprehensae non sunt, penitus fuisse abrogatas: 2° illae vero quae in ea continentur, habendae sunt *non secus ac si nunc primum editae ab ea fuerint;* quamobrem, si aliquando forte ambiguum erit, utrum aliqua ex his in ea contineatur, an secus, *evidenter* (ut cl. Bertapelle, seu *Comment. Patavini*, I, § 37, verbis utar) *ostendi debet, eam, insertam esse in* C. *A. S.* Quarum, 3° triplex genus constituendum est: *unum* illarum, quae cum veteri iure plane conveniunt, sive ex parte, sive

CAPUT I.

DE EXCOMMUNICATIONIBUS.

ART. I. *De excommunicationibus R. P. sp. m. reservatis.*

390. Excommunicationes huiusmodi omnes ex Bulla in *Coena Domini* legi solita depromptae sunt, excepta ea, quae n. X continetur. His igitur C. *Apost. Sedis* declarat subiacere ipso facto:

I. « Omnes a christiana fide apostatas, et omnes ac singulos hae« reticos quocumque nomine censeantur, et cujuscumque sectae « existant, eisque credentes, eorumque receptatores, fautores, ac ge« neraliter quoslibet illorum defensores (1) ».

ex toto: hae, qua conveniunt, ex recepta veterum TT., et Canonistarum doctrina capiunt interpretationem; *alterum* earum, quae recedunt a iure antiquo: hae, ut quaelibet nova lex, capiunt interpretationem ex regulis iuris; *tertium* earum, quae, utrum conveniant cum iure antiquo, an ab eo recedant, non satis apparet: in his semper id accipiendum puto quod favorabilius est reo; primo quia id iuri congruit (§ 309, n. 3), deinde quia congruit Const. nostrae, quae est Principis beneficium; atque ideo reor, interpretandam esse ex veteri iure, si hoc mitius est; sin severius, non item; 4° Const. *A. S.* derogat solis censuris l. s., ergo censurae f. s. integrae permanent; et quidquid praeterea iure anteriori continetur, sive hoc *iussum* aliquod sit, ut puta obligatio denunciandi sollicitantes (§ 393, IV), seu *vetitum*, v. c., prohibitio legendi improbatae editionis libros (§ 390, II); nisi aliud ex ipsa Const. palam appareat. At vero *censuras*, queis abrogatum est, lata significatione et eas accipere debemus, quae vel solius *poenae* (§ 394, II, III, IV, V), immo et solius *privationis* (Cit. § 394, I, VI; § 395, I) vim habent.

(1) B. C. (Bulla Coenae) § 1. Nihilominus Episcopus, quasi Inquisitor nutus, iure suo potest haeresim absolvere in foro externo (C. 6, *De haeret.*, in 6°), qua absoluta, cessat reservatio (S. Alph., Lib. I, Append. II, 38).

Ad haec haeretici *dogmatizantes* nedum excom. incurrunt, sed denuntiandi sunt. *Dogmatizantes:* non item alii. Scilicet sapientissimus Pontifex Pius IX, pro nequitia temporum, iam ab an. 1848, denunciandi obligationem in suspenso esse indulsit, praeterquam quoad 1° haereticos dogmatizantes et 2° sollicitantes; quibus postea Const. *Ap. S.* 3° addidit cuiusvis sectae occultos Coriphaeos et duces. Quod velim animadverti, nam pene omnes Commentatores nostrae hujus Constitutionis praeterit.

Porro denunciare est delinquentem Superiori legitimo manifestare. Denunciationum duo sunt genera, *fraterna*, quae ad rei emendationem, et *iudicialis*, quae ad eius coercitionem pertinet; illa oritur ex praecepto caritatis, haec ex fidei praecepto, de qua solum hic. Principio igitur haec obligatio tenet omnes Christifideles pubertatem adeptos (Potest., Exam. Ordin. P. II. 248), cujuscumque status, gra-

Apostatae et haeretici (V. II, §§ 7, 8), nempe si haeresim suam prodierint exterius, et actu manifesto, humano ac malo (2), sive verbis (3), sive facto (4).

Quocumque nomine, etc. Sed etsi nullo nomine censeantur, nulli sectae cooptati sint, hanc excomm. incurrunt: quod nemo unquam dubitavit, aut dubitat.

Credentes (5): quinam hi sint, definire haud facile est: plerique putant non differre ab haereticis, et canones eos recensere omnis dubitationis tollendae causa: quod vereor ne penitus verum sit; nam haeretici illico fiunt infames, credentes autem post annum (6). Sed vix dubitari potest, et ne vix quidem, *credentes* eos rectissime dici, qui credunt vera esse, quae haereticus aliquis docet a fide aliena, ignorans quaenam singillatim ea sint (7).

Receptatores (V. § 302).

Fautores, *defensores* (ibid.); nempe, non qua haereticorum *doctrinam* fovent, defendunt, quia hoc in casu haeretici forent et ipsi, sed qua *personas haereticas* et intuitu haeresiae (8).

Credentes autem, receptantes, fautores et defensores excommu-

dus, conditionis (S. U. I. 10 martii 1677.) Denunciatio facienda est Inquisitori, vel Ordinario, et in Missionibus Vicario, vel Praefecto Apostolico (S. Poenit. 10 febr. 1871). Et intra dies 30, a die scientiae hujus obligationis, vel, si aliquod obstiterit impedimentum, ab hoc sublato, sub poena excommunicationis *l. s.* facienda est, (S. U. I., *l. c.* S. Alph., 2, IV, 252); nulla praemissa correctione fraterna (Alex. VII, 8 iul. 1660). Qui denunciat testis loco est, ideo nihil interest, utrum denuncianda ipse audierit, viderit, an acceperit ab aliis (S. U. I. *l. c.*), fide dignis (S. Alph. 254); vel utrum haec probare nequeat (Ex Prop. 5 damn. ab Alex. VII.), vel an jam alius denunciaverit (Ferrar. V. Denunciatio n. 3). Nec excusat regulariter incommodum grave, nec quod sciverit denuncianda sub secreto commisso (S. Alph., 248, 40, 50). Nihilominus denunciatio cessat 1° quamdiu quis eam per se facere nequit (Ferrar. n. 54.), vel 2° *sine periculo et infamia* (Ex D. S. U. I. 21 febr. 1630.) vel 3° si nulla spes emendationis affulgeat (Bonac. *De Denunc.* P. 2, n. 9. et Baller. ad Gury, II, 975, IV. Ex cit. Decr. S. U. I.).

(2) Ideo excommunicatio eum non tenet, qui revolvens animo SS. Eucharistiae Sacramentum exclamaverit: *credo sub speciebus non esse* (Reiff. V, 7, 246), nec qui haeresim prodierit in somno, in ebrietate, vel consilii petendi causa (Sanch. *Dec.* II, 8, nn. 20, 24).

(3) Etsi nemine praesente, dummodo aliquis forte praesens audire potuisset (Ex Ben. XIV. C. *Pastor bonus*; Laym., *De Legib.*, XIV, 5; Croix, VII, 48).

(4) V. c., si abdita cordium scire, vel futuras hominum liberas actiones, quae soli Deo patent, divinare conatus fuerit per Tabulas semet moventes, vel *Mediums* vel *Crisiacos* (*Magnetizatos*) quos vocant.

(5) C. 15, § 2, De Haeret.

(6) C. 13, § 15, *Eod.*

(7) Suar., *De Fide*, 21, 2, 6; Laym., *De Fide*, XVI, 5; Bonac., D. I, Q. II, p. 3, n. 2.

(8) Sanch., *l. c.* n. 2.

nicationem incurrunt, licet is cui credunt, vel quem receptant, etc., sit haereticus occultus aut materialiter tantum (9), nullaque proinde excommunicatione irretitus (10), vel semel tantum a receptore receptus sit.

II. « Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis « Apostolicae libros eorumdem apostatarum et haereticorum haeresim « propugnantes, nec non libros cujusvis auctoris per Apostolicas « Literas nominatim prohibitos, eosdem libros retinentes, imprimentes, « et quomodolibet defendentes (11) ».

Scienter librum prohibitum esse etiam ex fama publica, vel ex viro fide digno (12). Ad haec excusatur qui ignorat in eo haeresim propugnari, vel ab haeretico eum esse conscriptum (13).

Libros, etc., haeresim propugnantes, etc. (V. Par. III, §§ 143, 144).

III. « Schismaticos et eos qui a Romani Pontificis pro tempore « existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt vel recedunt (14) ».

Schismaticos (V. Par. II, § 8 bis).

Ab obedientia Romani Pontificis; nempe qui secedunt a Capite tantum Ecclesiae. Exinde huc non pertinent qui temporale eius dominium detrectant (15), vel renuunt obtemperare propter rem praeceptam, v. c., in jejuniis, observantia festorum.

Pro tempore existentis. Ideo non excusatur qui, a praesenti desciscens, successori obtemperaturum se pollicetur (16).

Pertinaciter, idest (ut haereticus a fide) sciens volens. Quamobrem si renuat subesse Pontifici, quia non legitimum putat, vel quia ex duobus electis uter sit legitimus non appareat, excusatur (17).

IV. « Omnes et singulos, cujuscumque status, gradus, seu con- « ditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pon- « tificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium

(9) Lugo, XXV, 2.
(10) Suar., 21, 2, 8.
(11) B. C., 8, 1; Alex. VII, *Speculatores.*
(12) S. Alph. VII, 296.
(13) Albit., *De Inconst.* in *Fide*, Cap. 33, n. 276; ibique Sanch., Baldelli, etc.; Bonac. *loc. cit.*, Disp. I, Q. 2, p. 4, n. 8.
(14) C. 5, Dist. 19; C. 43, Can. 23, 5; B. C, § 1.
(15) Pirhin., V, 13, 3: Reiff., V, 13, 5; V. Duard., II, C. I, Q. 56, nn. 9, 16.
(16) Lugo, *De Fide*, XXV, 37.
(17) Sanch., loc. cit., n. 3; Salmant., 21, 8, 15. Huic igitur satis erit inhaerere Episcopo suo (Reiff., V, 8, 19).

« appellantes; nec non eos, quorum auxilio, consilio vel favore « appellatum fuerit (18) ».

Ab ordinationibus seu mandatis; nempe a R. P. latis qua Papa, non qua Rege (19).

Pro tempore existentium. Non item sede vacante (20).

Ad universale futurum concilium. Ergo excommunicationem non incurrunt qui ad futurum Pontificem (21), vel ad praesens Concilium oecumenicum, etsi forte intermissum, vel ad Provinciale futurum (quamvis heic atrocior foret iniuria) appellaverit (22).

Appellantes. Appellare est: *ab inferiore iudice ad superiorem provocare* (23). Et in casu insignem continet iniuriam. (24).

Eos, quorum auxilio, consilio vel favorem appellatum fuerit. Et excomm. incurrunt qui auxilium, etc., ad appellandum praestant, scilicet vel appellatione in ipsa, vel antea, non item si postea (25); et postquam appellatum fuerit (26).

Excommunicatio incurritur statim ac appellatio interposita fuerit, etiam effectu non sequuto; et iure prorsus, tum quia alias numquam incurreretur, tum quia appellantes proxime accedunt schismaticis, et uti schismaticos haberi iussit Iul. II, C. *Suscepti regiminis.*

V. « Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, car- « cerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, « Patriarchas, Achiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Le- « gatos, vel Nuncios, aut eos a suis Dioecesibus, Territoriis, Terris « seu Dominiis eiicientes, nec non ea mandantes, vel rata habentes, « seu praestantes in eis auxilium, vel favorem (27). »

(18) B. C., § 2; Pius II, C. *Execrabilis*, Iul. II, C. *Suscepti regiminis.*

(19) Regin., IX, 263.

(20) Ex C. 10, § 1, *De Priv.*, in 6°.

(21) Bonac., Disp. I, Q. 3, P. 2, n. 5.

(22) Duard. Lib. III., C. 2, Q. 7, n. 6. Utraque sententia displicet Sayro III, 5, 4, et reprobat Ugolinus, sed neuter iure (V. Thesaur., *De Poenis*, P. I, Cap. I, et Suar., IV, 3, 7).

(23) L. 14, C. *De Appellat.*

(24) C. 4., *De Elect.*

(25) Suar., XXI, 2, 16.

(26) Et ita explosa est sententia Cajet., Duard., aliorumque veterum existimantium *consulentes* eam statim incurrere (Consulentes excommunicationi obnoxios fecit Const. Pii II, an. 1459, quam latius produxit Iulius II, anno 1504; serius inserti fuerunt in B. C.).

(27) Clem. I, *De Poen.*; Extr. Un. *De Consuet.*, S. Pius V, C. *Infelicis*, B. C. § 11.

Interficientes accipimus qui hominem necant quoquo modo; utputa veneno, fame, etc.: *mutilantes*, qui membrum abscindunt (28); *percutientes* qui quamvis iniuriam manu faciunt (29); *capientes*, qui manibus comprehendunt animo retinendi (30); *carcerantes*: qui detrudunt vel continent quovis loco, privato quoque (31); *detinentes*, qui quovis loco inclusum detinent, ne excedere possit (32); *hostiliter insequentes*, qui fugientem sequuntur (33) quasi hostem vel hostium more, idest manifesto animo eum graviter laedendi (34), quin intersit utrum revera laeserit, an minus (35); *eiicientes*, qui e loco expellunt (36) sive publica sive privata auctoritate, sive vi adhibita aut minis, sive nudo praecepto (37).

Excommunicationis quae *Canonis* dicitur (§ 863 bis), et huius, eadem species est, quippe idem est obiectum. Nihilominus haec ex uno capite gravior est et latius patet tum quoad actiones tum quoad personas, ex altero vero, non latissimam ut illa, sed strictam recipit interpretationem.

Gravior est, quia reservatur R. P. speciali modo.

Latius patet; nam puniuntur nedum qui iniuriam faciunt, sed etiam mandantes, ratum habentes et auxilium vel favorem praebentes.

Strictam recipit interpretationem; ideoque eam non incurrunt: 1° Qui Ecclesiae Proceres capiunt statim dimissuros (38); vel domi obsident, non capiendi aut carcerandi, sed iniuriae et contumeliae causa (39); vel insequuntur conviciis tantum aut maledictis (40) aut perterrefaciendi, diripiendi, iniurias ulciscendi causa (41), vel ejiciunt, non e terris aut dominiis suis, sed e loco ubi domicilium fovent aut nati sunt (42): 2° qui alias, quam recensitas, faciunt

(28) Regin., IX, 312.
(29) Ex. L. 5, § 2, D. *De Iniur.*
(30) Ex L. 36, pr. D. *De Fide Liber.*; Duard., II, Can. IX, Q. 25, n. 1.
(31) Ex L. Un., C. *De Carc. priv.*
(32) Ex L. 1, *De Cust. reor.* Et ad privatos pertinet (Duard.; Can., XI, Q. 4, n. 4). Non item commentarienses, qui non detinent, sed custodiunt,
(33) Suar., 22, 3, 1.
(34) Navarr., Cons. 31, n. 4; Duard., *l. c.*, Q. 5, n. 6; Bonac., Q. XII, P I, n. 6 Sayr., III, 15, 7.
(35) Alter.; Duard et Bonac, *ll. cc.*
(36) Duard., II, Can. XI; Q. 29, n. 3; Bonac., D. I. Q. XII, P. I, n. 7.
(37) Duard., *l. c.*, Q. 9, Bonac., *l. c.*, n. 19.
(38) Duard., II; Can., IX, Q. 25, n. 34; et Can., XI, Q. IV, n. 5.
(39) Filiucc., XVI, 245; Sayr. III, 15, 6.
(40) Covarr., Lib. I, *Variar. Resolut.*, Cap. XI, n. 2; Duard., Q. 22, n. 10.
(41) Passer., In C. *De Poen.* in 6°; Comm. Rom., p. 217.
(42) Navarr. 27, 61; Ugolin., Pal., Mazzot.; Duard., II, Can. XI, Q. 9, n. 1. Item qui non ejiciunt, sed prohibent accedere (Filiucc., XVI, 237), vel ejectos ab aliis reverti.

iniurias, v. c. vestes detrahunt, lacerant, sputis, pulvere foedant (43): 3° mandantes et auxilium aut favorem praestantes, nisi post effectum sequutum (44): 4° Consulentes et receptantes post facinus admissum, quia hos praeterit Constitutio nostra (45).

Ceterum hi penes omnes recidunt in excom. Concilii Lateranensis (cit. § 365[bis]).

VI. «Impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis «ecclesiasticae, sive interni, sive externi fori, et ad hoc recurrentes «ad forum saeculare, ejusque mandata procurantes, edentes, aut auxi«lium, consilium vel favorem praestantes (46)».

Hoc, et sequenti articulo tuetur tum iurisdictionis ecclesiasticae exercitium, ne quis ei obstaculum interponat; tum iurisdictio ipsa, ne quis illam usurpet. Et primo exercitium. Principio, iurisdictionem heic accipio, quia versamur in odiosis, propria ac stricta significatione (§ 71, n. 4), et eam quae in regendo, et gubernando consistit. Omnem, inquam, seu externam et ordinariam, ut antea (47); seu internam et delegatam; seu contentiosam, seu voluntariam; lex non distinguit. *Exercitium* autem iurisdictionis *impedire* est, prohibere, ne his qui illa praeditus est, ea vel plene uti, vel utiliter uti possit. Et quando omnis iurisdictio cum primis in ligando et solvendo, adeoque in dando vel adimendo, et, ut generaliter dixerim, in faciendo posita est, nihil refert quid quis prohibeat; ligare, (v. c., censuris), an solvere; conferre beneficium an adimere: vel quodvis aliud prestare, e. g., visitare dioecesim, dimissorias ad ordinationem concedere, etc. Et licet quis iurisdictione sua functus sit, v. c., in beneficio aliquem instituerit, si tu institutum prohibes, quominus possessionem capere possit, v. c., minis, aut negato sibi, per te, *Regium placet,* excomm. contrahis, quia executio alicuius sententiae, vel decreti, pertinet ad iurisdictionem eius a quo sententia, vel decretum prodit (48), et *postremum in iurisdictione est* (49). Aliud iuris est, si quis cogat Episcopum iurisdictione sua uti; e. g., Seium censuris coercere, vel a censuris absolvere; vel ei beneficium conferre, aut adimere: vel eum vexat, postquam iurisdictione sua functus

(43) Bonac., D. II, Q. 3, P. 6, § 1, n. 3.
(44) Filiucc. XVI, 248; Duard., Q. 12, n. 6; Bonac., nn. 19, 20; Sayr., III, 15, 9.
(45) De iis qui ratum habent V. § 304.
(46) Ex C. 3, *De Immun. eccles.* in 6°; B. C. § 16.
(47) § 17, B. C.
(48) L. 1, *Si praeter,* 75, *De Iudic.,*
(49) L. 1, *Si quis ius dicen.*

penitus est, v. c., quia Seium excommunicavit (50). Sed nec is qui obstat volenti iurisdictione uti per fas et nefas, contrahit hanc excommunicationem; v. c., volenti beneficio expoliare clericum non subditum, vel sine iudicio, vel post appellationem interpositam (51); nam *vim*, *iniuriam* repellit (52).

Est autem triplex genus eorum, qui *principaliter* huic excommunicationi sunt obnoxii, nempe impedientium, recurrentium, et edentium mandata. Quibus accedunt cooperantes.

Primo IMPEDIENTIUM: impedire dicitur qui *cogit* ab incoepto desistere (53); proinde si fallaciis utitur, magis decipere videtur. Sed utrum necesse sit impedire auctoritate publica? Affirmantium sententia olim communior (54); hodie contraria fortassis verior, quia C. *A. S.* loquitur sine ulla distinctione. Illud non interest, quis prohibeat, publicus homo, an privatus; laicus an clericus; utrum *per se*, an per alios; lex non distinguit: directe an indirecte (sed quis indirecte prohibere dicendus sit, plerumque difficile est definire, quia magis in facto, quam in iure consistit). Neque huc pertinent Clerici *intrusi* (55): sane Pius IX, Ency. 21 nov. 1873, eos excommunicationi subiecit in Helvetia; quam S. C. C., 7 maii 1874, ad Lombardos Venetos produxit: nam quod his, qui forte detrusus fuit, iurisdictione uti non possit, per accidens fit. Nec demum is qui, v. c., Parochum, Episcopum vexat ex alia causa, si is, ut vexatio cesset, incoepto (e. g., contra clericum) iudicio desistat; nam hoc quoque per accidens fit (56). Hactenus de his qui impediunt re et *facto*, proprio inquam; ideoque per se.

Secundum genus est RECURRENTIUM ad hoc: hi quasi *iure*, idest officio magistratuum, atque ideo *per alios* impediunt. Dices: Const. ait *impedientes* ET *recurrentes:* ergo utroque opus est. Haud ita sane, sed illud *et* accipiendum est – VEL – (57): nec est novum in iure (58); primo, quia heic subest novus impediendi modus; deinde, eo quod alias haec excomm. *perraro*, immo vix, locum haberet (V. § 186, n. 32); demum, quia contrarium est a § 16 *B. C.* (unde hic artic. depromptus fuit) alienissimum. Sed recurrendum erit *ad hoc*, idest, *ad eludendum iudicium fori ecclesiastici* (59):

(50) Contra C. 11, *De S. E.* in 6°.
(51) Ex C. 3, *De Imm. eccles.*
(52) V. Filiucc., 16, 207.
(53) V. Salm., IV, 10, 95.
(54) Ex § 15, *B. C.;* V. Bonac., *Ibi.*, Quae. 17, P. 1, n. 7.
(55) V. Reiff., V, 3, 519.
(56) Ex *B. C.*, § 16, v. *Hac de causa;* Bonaci., P. 2, n. 4.
(57) Reginald., IX, 325; ex *B. C.*, § 16; Avanzini, et cl. Bertap.
(58) L. 53, *De V. S.*
(59) *B. C.*, § 16.

quamobrem si qua alia, non contemnenda, causa recurreris, v. c., quia iudex ecclesiasticus improbe differt, vel quia, ob iniuriam temporum, ei non paretur impune, excomm. cessat (60): dum ne agatur de causis spiritualibus. – *Ad forum saeculare*, idest ad eos, penes quos est iure civili usurpata haec impediendi potestas: proinde si ad alias potestates, seu magistratus, vel officiales recurrerint, excomm. cessat, si quid opinor. Sed alii putant, *fori* appellatione heic significari quascumque personas, quae quamlibet potestatem habent: et valde probabile est, quia fori appellatio, paucis verbis ante, latiori significatione accepta est: viderint sapientes: tu vide, si lubet, Commentariolum nostrum in C. *A. S.*, § 61. Addit Const.: *eiusque mandata procurantes;* ergo, quoad mandatum procuraverint, excomm. cessat: nam, ex uno capite, nihil heic cogit coniuncta pro disiunctis accipere; ex altero vero ad poenam incurrendam, regulariter, delicto perfecto et consummato opus est. Et utrumque simul desiderare videtur *B. C.:* et est tutius, quia versamur in odiosis.

Tertium genus est EDENTIUM MANDATA ad impediendum exercitium iurisdictionis ecclesiasticae. De his pene expedita res est. *Edere* heic significat *concedere* ut in C. 53, *De S. E.; decernere,* ut *B. C.*, § 16 (61). Ergo haec excomm. non tenet actuarios, praecones, apparitores, etc. Immo nec ipsos edentes, si quid opinor, si nullam, nec ipso iure civili, habent iurisdictionem huiusmodi, quia impediendo nihil agunt; nam eis non paretur impune.

Praeter hos, excomm. contrahunt, quasi rei accessorii, qui auxilium, consilium, vel favorem praestant: non item qui mandata exequuntur, quia hos exclusit C. *A. S.* Ad ultimum admonendi sumus, hunc articulum non pertinere ad eos qui impediunt solius ordinis exercitium; v. c., confirmare, ordinare, ungere morituros; vel ea impediunt, quae magis iuris et libertatis naturalis sunt; velut acquirere bona temporalia, ea distrahere, contractus inire: et planum est.

VII. «Cogentes sive directe sive indirecte iudices laicos ad tra-«hendum ad suum tribunal personas Ecclesiasticas praeter cano-«nicas dispositiones: item edentes leges, vel decreta contra liber-«tatem aut iura Ecclesiae (62)».

Insignis hic articulus est atque arduus: duas partes habet; una fori privilegio, altera Ecclesiae libertati et iuribus cavet.

(60) Arg. ex § 13, *B. C.;* Covarr.; Ronca.; cl. Pennacchi, p. 254.

(61) Bonac. n. 34.

(62) V. Mart. V. C. *Ad reprimendum;* B. C. § 15.

Prima obscurior est, quae plurimos torsit, et Commentatores Const. *A. S. fefellit.* Scilicet, etsi verba eam videantur habere intelligentiam quam hi eis tribuerunt, mens tamen legislatoris (mihi nunc explorata satis) aliud vult. Nec est novum in iure (63). Ante omnia tenendum est, hunc artic. depromptum fuisse ex cit. § 15, *B. C.* Porro hic § 15, excommunic. coercebat iudices laicos, eorumque subalternos, trahentes clericos ad suum tribunal: Const. nostra excommunicationi hos exemit, tum quia plerique ex eis plerumque hos trahebant, ne loco moverentur, vel ne quasi praevaricatores in officio, vel alias punirentur, ideoque quasi *metu coactos;* tum ut ne Ecclesia excommunicationibus repleretur, eique obnoxios esse voluit eos tantum, qui illos cogunt. Et S. U. I. consulta respondit fer. IV, die 1 februarii 1871, Constitutionem *A. S.* «*non attingere eos, qui subordinati sunt, etiamsi iudices fuerint, sed eos* TANTUM *qui, a nemine coacti, vel talia agunt, vel alios ad agendum cogunt*».

Itaque *cogentes* accipere debemus hos, qui vel nullum superiorem magistratum agnoscunt (*Ministros* vocant); vel qui sponte sua, *a nemine,* ideoque nec a lege, coacti, cogunt iudices trahere ad suum tribunal eos, qui fori privil. gaudent. Sed necesse est, ut 1° et hi qui cogunt, non qua privati, vel potentiores cogant, sed potestate qua aliis imminent; sive, uti aiebat *B. C.*, *ex praetenso eorum officio;* et 2° ut hi qui trahuntur, quasi clerici trahantur, et non quo alio nomine; v. c., quasi tutores, fideiussores, peritiores, testes, etc.: utque demum, 3° et illi trahere iubeant, et hi trahantur *ad tribunal* iudicis laici; idest, ad locum in quo magistratus *ius dicunt* (64); ideoque *iudicium* eius subituri. – Quamobrem excommunicat. non incurrunt qui cogunt aliquem trahere ante magistratum, cui nullum tribunal est, v. c., ad irenarchas, vel praefectum urbis; vel est quidem, verum non ut ius in eum dicat, sed qua de alia causa; e. g., ut ei de plano praecipiat aliquid, vel ut eum corripiat, admoneat, etc. Illud non interest, quodnam iudicium agatur, poenale ne, an civile, et planum est; et licet *illuc* ob crimen vel gravissima trahantur, *huc* ob debitum unius teruncii; iniuria in trahendo est. Quae omnia adeo manifesta sunt, ut probatione, vel DD. auctoritate non egeant. At qui huic excomm. sunt obnoxii, non excusantur, quod coegerint trahere, non contra, *sed praeter canonicas sanctiones*, idest, non servatis conditionibus, quibus forte

(63) V. L. 15, § *Aliud, De Excusat. Tutor.*

(64) L. 11, *De Iust. et Iure.*

trahere permissum est. Quod autem plerique existimarunt, excommunicationem incurrere *actores*, qui ad laica tribunalia trahunt clericos, hoc, nedum a Const. nostra (65), sed et ab ipsa *B. C.* alienum est. Nec obstat C. Martini V, *Ad reprimendum*, quia Const. *A. S.*, non ex hac Const., sed, ut dixi, ex *B. C.* hunc artic. deprompsit; a qua proinde et interpretationem accipere debet.

Venio ad alteram articuli partem. Hac igitur coercentur edentes leges, vel decreta contra libertatem, aut iura Ecclesiae. – *Edentes;* idest, sancientes, ut in artic. superiori: *leges;* quae nempe constituuntur ab his, penes quos suprema potestas est (§ 161): *decreta;* quae et a quolibet magistratu feruntur non singulariter (contra Alter., Filiucc., etc.), sed generaliter (66). Quae mihi verior sententia est, tum ex C. 49, *De S. E.*, unde haec censura primum prodiit, et ex § 15, *B. C.;* tum ex hac ipsa Const. nostra, qua (artic. praecedenti) ea, quae in singulos feruntur, *mandata* vocantur: *contra*, etc.; haec verba patent latissime, et omne prorsus feriunt legum seu decretorum genus, quibus potestas sive iurisdictionis (etiam latissime sumptae), sive ordinis; seu quodlibet aliud ius, seu profluat ex lege divina (ut puta, ius docendi, praedicandi), seu ex lege naturali (velut ius acquirendi et alienandi bona temporalia), intercipitur, restringitur, perturbatur (67). Haec excomm. coercet solos edentes leges, vel mandata (nempe ex quo publicata fuerint: v., §§ 162, n. 16; 202, n. 15), omnes inquam; et praeterea neminem.

VIII. « Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas li-
« teras vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab eiusdem Legatis
« aut Delegatis quibuscumque profecta, eorumque promulgationem
« vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa
« sive ipsas partes, sive alios laedentes, vel perterrefacientes ».

Hoc articulo iurisdictioni et potestati R. P. *speciatim* consulitur (68). LITERAE Apost. sunt quae prodeunt R. Pontif. nomine, seu in forma *Bullae*, seu in forma Brevis; ACTA S. Sedis, quae geruntur nomine eiusdem, vel de eius mandato etiam a SS. RR. Congregationibus (69). Legatos vero accipere debemus, non *natos*, (§ 93, in fin.); nec delegatos a iure (utrorumque enim potestas ordinaria est, et per-

(65) Et ita pluries respondit S. U. I.
(66) Ugolin., ap. Bonac., *D. I.* P. 16, sect. 2, n. 1.
(67) V. *Sillab.* §§ 22, 26, 27, 29, 32, 33.
(68) C. 3, *De Immun. Eccl.* in 6°; B. C., § 13.
(69) S. U. I., 13 iun. 1892, ad 2.um

petua), sed ab homine (§ 72, n. 13). Hac excommunicatione *animadvertitur* in recurrentes, prohibentes, laedentes et perterrefacientes. 1° In *recurrentes:* ergo eam non incurrit qui, in ius vocatus, submovet ope cuiusvis exceptionis literas, vel acta A. S., etc. *Ad laicam potestatem*: potestatem accipio, quae iure civili eorum executionem impedire valet (70). 2° *Prohibentes promulgationem*, idest *publicationem* (§ 162, n. 16), vel *executionem,* nempe quidquid necessarium est, ut haec effectum habere, et quis eis uti possit; ut puta, si prohibeat tabelliones super eis instrumenta conficere, vel confecta partibus tradere (71) vel his traditis uti: et licet indirecte prohibeat; v. c., *per alios;* vel si id agat, ne Regium *Placet,* aut *Exequatur* (ubi eo, ex iure civili, opus habent) obtineant. Sed, ut quis prohibere dicatur, opus est, ut et illa iam impetrata, edita fuerint; et ipse facto aliquo *positivo* eis obsistat. Quamobrem excomm. non incurrit qui illa impetrare vetat (72) nec is, qui impetratis obstat actu aliquo *negativo*, ea prohibere (nec indirecte) dicendus est; puta, si ea publicare, expedire, tradere recuset: etsi recuset (Episcopus quoque), quod nondum Principis consensus accesserit (73). Quaestionis est, utrum necesse sit haec prohibere auctoritate publica (74): et licet sentent. negantium sit communior, et verior forte, quia lex non distinguit, res tamen dubia est. Demum, 3°, *laedentes et perterrefacientes.* Porro *laedi* proprie corpus dicitur (75), et laedere graviter opus est, quia excommunic. est gravis poena: *perterrefacere* autem est, plusquam metum facere; ideoque metum facere oportet nedum gravem, sed oppido gravem, si quid opinor; et absolutum, non relativum (§ 138, n. 13). *Eorum causa;* idest, ut interpretor, ad publicationem vel executionem impediendam. *Sive ipsas partes, sive alios:* verum alios accipere debemus eos, ad quos pertinet horum publicatio, vel exequutio; veluti *procuratores, agentes, notarios, executores, subexecutores* (76). Qui autem huic excomm. sunt obnoxii, non excusantur, quod tantum *ad tempus* (v. c., quoad obtinueris *Regium Exequatur*, vel quoad restitueris ablatum iniuste) recurrant, impediant, perterrefaciant (77), quia non cessat iniuria in *Sedem Apost.* Ad ultimum, videamus utrum haec excomm. teneat ante effectum sequutum. De impedientibus inter DD. non convenit; et hoc satis: ergo ad minus recurrentes, et perterrefacientes ea tenentur,

(70) V. cl. Pennacchi, *Com.*, p. 282.
(71) Bonaci., *D. I.*, Quae. 14, P. 2, n. 4).
(72) Contra *B. C.*, § 13, in fin.
(73) Reginal., IX, 324, 327).
(74) V. Bonac., *l. c.*, n. 10.
(75) Brisson., *Vocab. Iuris*, v. *Laedi.*
(76) *B. C.*, cit. § 13.
(77) Duard.; Regin., 322.

quia quasi *conatum* praestant (V. § 298, n. 29). At laedentes teneri puto statim ac laeserint, quia delictum *sui generis* est; et contrarium dicere vix non ridiculum foret.

IX. « Omnes falsarios literarum Apostolicarum, etiam in forma « Brevis ac supplicationum, gratiam vel iustitiam concernentium, « per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancellarios, seu Ge- « rentes vices eorum, aut de mandato eiusdem Romani Pontificis « signatarum; nec non falso publicantes Literas Apostolicas, etiam « in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes huiusmodi « sub nomine Romani Pontificis seu Vice-Cancellarii aut Gerentis « vices praedictorum (78) ».

Hac excommunicatione coercetur crimen falsi, quod definitur: *Veritatis immutatio, vel suppressio in fraudem alterius facta* (79). Admittitur dictis, factis, scripturis: heic coercetur quod scripturis admittitur; et propter reverentiam Apostolicae Sedis coercetur. Non quodvis inquam, sed 1° quod fit in Literis vel Signaturis (*signaturae* dicuntur supplices petitionum libelli R. P. oblati) apostolicis, sive gratiae, sive iustitiae (V. § 236), quae prodeunt ab his, qui hoc artic. recensentur: non item quae ab aliis prodeunt; licet a Sacris Urbis Congregationibus prodierint, vel a Nunciis aut Legatis Apostolicis, etiam a *Latere* (80). Et 2° quod fit seu *veras* corrumpendo; seu *falsas* publicando, aut signando sub nomine R. P., etc. Nempe, postquam munita fuerint sigillo, et plumbo (quando hodie et plumbo opus est); nam sine his, cum nondum sint authenticae, nondum valent (81); et dum ne ita exciderint, ut iterum valere nullatenus possint (82) velut dispensatio matrimonialis, mortuo dispensato. Excommunicatio autem incurritur statim ac veras corruperis; falsas publicaveris, aut signaveris (83): licet postea, v. c., facti poenitens, eis usus non fueris (84). Eam autem hodie incurrunt hi soli qui corrumpunt, publicant, signant: non consulentes, neque cooperatores, ut antea; neque, verius, mandantes (85). De *utentibus*, V. § 392, III.

(78) C. 7, *De Crim. falsi;* B. C. § 8.
(79) Renazzi, *Synops. Elem. Iur. Crim.*, Lib. IV, Cap. 24, § 20.
(80) Navarr., 27, 27; Regin., IX, 289; Suar., XXI, II, 42, 49.
(81) Ex L. 6, *Ad L. Cornel. De Fals.;* Bonaci, Disp. I, Q. 7, P. 3, n. 11.
(82) Navarr., 18, 169; Regin., IX, 289.
(83) Ex L. 8, *Ad L. Corn. De Fals.*
(84) C. 1, *De Crim. falsi.*
(85) Contra L. 29, *Ad Legem Corn. De Fals.*

X. « Absolventes complicem in peccato turpi etiam in mortis « articulo, si alius Sacerdos, licet non approbatus ad Confessiones, « sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo possit excipere « morientis confessionem (86) ».

XI. « Usurpantes vel sequestrantes iurisdictionem, bona, reditus « ad personas Ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut bene- « ficiorum pertinentes ».

Varia, implexa, difficilis haec materia est, et hodie pene quotidiana; quam idcirco non licet attingere summis digitis. Agitur de bonis ecclesiasticis: porro *bona* accipimus quae in patrimonio cuiusque sunt (87); ideoque res omnes, sive mobiles, sive immobiles, reditus, pecunia, iura *ecclesiastica,* idest ad Ecclesiam pertinentia. *Ecclesiae* autem vocabulo continentur omnes ecclesiae, cappellae in eis extructae, et coemeteria; monasteria omnia; et omnes personae morales, velut hospitalia, orphanotrophia, nempe auctoritate Episcopi excitata (§ 43, n. 2). Agendum est I. de usurpantibus et sequestrantibus iurisdictionem et aliqua ex praedictis bonis: II. de alienantibus et acquirentibus bona usurpata, de occupantibus cetera bona, deque illa et ista retinentibus; III. de alienantibus et recipere praesumentibus citra usurpationem eadem bona *sine* benaplacito Sedis Apostolicae.

Et primo videamus de usurpantibus et sequestrantibus. Hos excommunicationi primum subiecit C. 13, *De Election.* in 6°; unde serius (88) prodiit § 17, *B. C.;* ex quo hic art. Const. *Ap. Sedis* depromptus est. - USURPANTES *communissime* accipimus eos qui rem 1° occupant, 2° a domino, 3° quasi ad se pertinentem (89). Ergo ex 1° huc non pertinent qui aliquid, citra occupationem, retinent iniuste; v. c., conductor, fructuarius, emphiteuta, etc.; vel haeres, qui rem Ecclesiae relictam non tradit (90): nec ex 2° qui ab alio,

(86) Ben. XIV, B. *Sacrum. Poenitentiae,* C. *Apostolici muneris.* Et non excusat ignorantia crassa vel supina (S. U. I., 13 iun. 1892, ad 3um). V. quoad haec. P. III, § 324.

(87) L. 49. *De V. S.*

(88) Cf. Sayr., III, 21, 3.

(89) Cajet., V. *Excommunicatio* C. 27; Suar., *De Censur.* 21, 2, 96; *Navarr.*, 27, 69; Tolet., Lib. I, C. 28; Alter; Duard., Can. 79, Q. 10, n. 1; Ugol; Regin., IX, Cap. 25, 372; Filiucc., XVI, 223; Bonac. D. I, Q. 18, P. 1. n. 3. Et jure prorsus (Ex LL. 8, 9, 16, D. *Quem serv. amitt.;* L. 9, § ult., *De Publican.;* L. 7, *De Inter. Matrim.;* et constitutionis Nostrae interpretes fere omnes). Illud non interest utrum sibi usurpet, an aliis, puta si bona alicujus beneficii Nosocomiis vel Gymnasiis adscribat.

(90) Filiucc., XVI, 218.

v. c., ab usurpatore (91) illam acquirit actibus seu ultimae voluntatis, seu inter vivos (92): nec demum ex 3° fures, raptores, praedones, etc. (93). Illud, verius, non interest, utrum quis aliquid usurpet publica auctoritate, an privata, quia lex non distinguit, et est sententia longe communior (94). - SEQUESTRANTES. Sequestrum est: *Rei controversae, sive mobilis, sive immobilis* (95), *penes aliquem depositio, ut, lite finita, victori restituatur* (96). Fit vel consensu partium, vel officio iudicis: heic coercetur quod fit iudicis officio; nempe iniustum: idest, si vel nullo iure sit factum, vel nulla cogente necessitate; utputa subtractionis, dilapidationis periculo (97). Hodie obtinet et aliud sequestrum, quod *penes tertios* dici solet, iuri canonico ignotum; quo videlicet is, qui debitoris mei rem detinet, prohibetur ei reddere, ut mihi cautum sit: dubitari potest, an haec excomm. ad hoc quoque sequestrum sit producenda, quia censurae C. *A. Sedis* perinde habendae sunt, *ac si primum editae ab ea fuerint;* an secus, quia *vim accipiunt ex veterum canonum auctoritate* (§ 389). Ego hoc magis puto (§ 184[3], n. 15; § 309, n. 6).

Hanc excomm. incurrunt, non qui quamcumque rem ecclesiae usurpant, sequestrant, sed qui *iurisdictionem, bona,* etc., *ad personas,* etc., ratione suarum ecclesiarum, aut beneficiorum pertinentes. *Iurisdictionem* nempe ordinariam tantum (98), sed quoad res et quoad personas, adeoque et imperium seu merum seu mixtum (99). *Bona,* etc., *ad personas*, etc. Ergo excommunicationem effugit qui sequestrat, usurpat, v. c., quae Locis Piis pertinent; vel ecclesiae quidem in qua clericus adscriptus est, sed aliis usibus destinata, v. c., divinis obeundis, aedibus reparandis, etc.; vel quae ab ipsis clericis quidem percipiuntur, sed vel ratione altaris aut cappellae, vel a cappellaniis laicalibus aut movibilibus ad nutum, vel alicuius operis, aut laboris intuitu, ut puta distributiones quotidianae, *stolae*

(91) Ex S. Poenit., 10 mart., et 12 apr. 1881.

(92) Ex S. U. I., 8 iulii 1874; *Comment. Rom.,* p. 370. *Noxa caput sequitur,* idest; *poenalibus actionibus haeredes non tenentur, nec caeteri successores* (L. 1, *De privat. delict.*). Et est certissima juris regula (§ *Non autem. De Perpet. et tempor. action*).

(93) Ex S. Poenit., 9 mart. 1870; De Angel., III, 13, 7.

(94) Thesaur., v. *Usurpatio,* Cap. I, n. 1, Salm., 10, 6, 93.

(95) Ex L. 2, *De Sequestr.;* Pirhing. 16, n. 2.

(96) Ex L. 12, *Depos.*; L. 109, De V. S.

(97) C. C. 2, 3. *De Sequestr.;* L. 5, C. *Quor. appell.*

(98) Duard., II, Cau. II, Q. 3, n. 14. Seu temporalem seu spiritualem, et non temporalem tantum, ceu unus existimavit Alterius (Duard., *l. c.*, n. 13; Suar. 21, 2, 95; Filiucc., XVI, 219; Bonac., D. I, Q. 18, P. 2, n. 3.

(99) Suar; Duard., Filiucc., *ll. cc.*; Bonac., *l. c.*, n. 2.

reditus, quos vocant, etc.; stipendia a parochis suis coadiutoribus assignata. Amplius; his in locis, in quibus privilegium fori, vel Concordatibus, vel consuetudine legitime invecta, abrogatum fuit, haec excommunicatio cessat; excepta usurpatione, vel sequestratione iurisdictionis ecclesiasticae; et planum est. Et soli usurpantes, et sequestrantes eam incurrunt. Sequestrantem vero accipimus iudicem, quia sequestratio non necessitatis sed arbitrii eius est (100); non item *actorem*, quo instante sequestrum indicitur; quod Bonacinae indubium videtur: nisi aliud legibus obtineat. Verum sedulo animadvertendum est, ne hi, qui huius articuli excomm. effugiunt, incidant in excomm. latam a Conc. Trident., XXII, *R.*, XI, Romano quoque Pont., sed simpliciter, reservatam.

De alienantibus et acquirentibus bona usurpata, de occupantibus, etc., sermo est in Trid. *loc. cit.* En eius verba: *Si quem laicorum vel clericorum, quacumque is dignitate etiam* REGALI AUT IMPERIALI *praefulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut cuiusvis alicuius Ecclesiae vel Loci Pii iurisdictiones, bona, census, iura, fructus, et quascumque obventiones vel emolumenta, quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, vi vel timore incusso, seu quacumque arte aut quocumque quaesito colore in suos usus convertere, illosque usurpare praesumpserit, seu impedire ne ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur, is anathemati tamdiu subiaceat quamdiu ea quae occupaverit, vel quae ad eum quomodocumque, etiam ex donatione suppositae personae pervenerint, restituerit, ac deinde a R. P. absolutionem obtinuerit.* Haec excommunicatio, latissime patet; nam attingit, 1° res pene omnes; 2° omnes prorsus personas; usurpatores, occupantes, detentores (nempe suo nomine), heredes; et demum clericos, qui usurpationum huiusmodi auctores fuerint, vel eis consenserint: et 3° omnes actus quibus dominium transfertur; veluti si quis empta, legata, donata ab usurpatoribus, aliis vendat, donet, testamento relinquat, quo in casu uterque (nempe ille novam) excommunicationem incurrit (101). Eam pariter incurrunt qui bona usurpata in emphiteusim dant et accipiunt; qui antea ab ipsa Ecclesia in emphiteusim accepta ab usurpatore redimunt; et Patroni qui iniussu S. Sedis praedia a fisco emancipant, nam vere et eam partem emunt, quam sibi fiscus attribuit, et eam usurpant, quam fiscus ipsis restituit. Non item qui census redimunt; et neque peccant si

(100) L. 1, C. *De Prohib. Sequestr.*; Bonac., Ronca, etc.

(101) Pius IX, Alloc. 23 iul. 1873: S. U. I., 3 iul. 1874.

coacte hoc faciunt, dummodo Ecclesiis restituant quod minus accepta sorte persolverint. Num autem eam incurrant qui venales fructus praediorum emunt ab usurpatore, ac proinde et hi qui emunt ab emptoribus et sic deinceps? Non ausim affirmare.

Verum, Decretum istud non ad quascumque usurpationes pertinet, sed ad *auctoritativas*, et *potentiales* (cuius proinde usus *nimium rarus est in Curia Romana*) (102); cuiusmodi sunt, v. c., capta in bello (103); quia bella, nisi publica auctoritate, non fiunt, et bello capta milites et resp. quasi sua sibi vindicant (104); vel legibus (ceu penes nos 7 iulii 1866 et 15 aug. 1867) proscripta. Nonnulli putant excommunicationem Tridentinam perstringere 1° quascumque occupationes, et 2° a quibuscumque factas (105). Sed contraria sententia verior videtur, quoad primam partem ex Bulla Xisti V, qui excommunicatione *fer. sent.* animadvertit adversus *occupantes et detinentes pecunias* ac *alias res, et bona quaecumque mobilia domibus et locis Terrae Sanctae quomodolibet relicta, et ad illa alias spectantia* (106): quoad alteram ex ipso Conc. Trid., quod serius eadem excommunicatio *fer. sent.* coerceri iussit eos, qui decimas Ecclesiis obvenientes subtrahunt vel impediunt (107): quoad utramque vero, eo quod alias hanc excomm. non effugerent fures; et fures ea non teneri, non incerti iuris est (108).

Denique de his qui bona Ecclesiae alienant vel recipere praesumunt sine beneplacito Apostolico, V. Par. III, §§ 77-84.

XII. « Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios, « Civitates, Terras, loca aut iura ad Ecclesiam Romanam perti-

(102) Card. De-Luca, Disc. 22, *Ad Sess.* XXII, R., XI Conc. Trid.

(103) Bened. XIV. C. *Urbem Antibarum,* et C. *Cum evangelicas.*

(104) § 17 De A. R. D.

(105) Bonac., D. I, Q. 18, P. 4, n. 3.

(106) B. *Nostri Pastoralis,* 13 dec. 1589. Quam excomm. postea Gregorius XV, 18 oct. 1622, ipso facto incurri iussit (Urb. VIII, C. *alias felicis recordationis*).

(107) Trid. XXV, R. 12. Quo in loco eos qui decimas *occupant et in rem suam vertunt,* et qui *dantes impediunt* accenset his *qui rem alienam invadunt.*

(108) S. C. C. *Sorana,* 27 feb. 1691; S. U. I., 9 mart. 1870. Et nec fures tantum, sed quisquis rem quamlibet, v. c., modium frumenti vel cadum olei in suos usus convertit, conductor qui mercedem non solvit, vicinus qui proximum agrum abradit, vel ultra confinium aedificium ponit, excomm. incurrerent; ac proinde necesse erit excommunicationibus Ecclesiam replere, quod a mente Tridentini videtur alienum prorsus (Trid. XXIII, R. 3). Et heic dicere lubet, quod de quodam Edicto D. Marci dixit Modestinus: « Etsi ma- « xime verba legis hunc habeant in- « tellectum, tamen mens legislatoris « aliud vult »(L. 15. § *Aliud.* De accusat. Tutor).

« nentia, vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam iuris-
« dictionem in eis, nec non ad singula praedicta auxilium, con-
« silium, favorem praebentes (109) ».

Haec excommunicatio spectat *ad defensionem dominii temporalis ad Sedem Apostolicam pertinentis* (110); sed, hodie, quod ad solam ditionem Pontificiam (111). Proinde *iurisdictionem*, et *iura* (quae duo pene idem significant) heic accipere debemus temporalia; nec quamlibet iurisdictionem, sed *supremam*; idest, eam quae *soli Principi* competit; ac proinde, nec quaelibet iura, sed *maiestatica*; ut puta, ius vitae et necis, ius indicendi tributa, ius creandi magistratus, etc. (112).

Hanc excommunicationem incurrunt *principaliter :* 1° *qui invadunt, vel destruunt terras*, etc.; 2° *qui usurpant vel perturbant*, etc.: usurpant, seu vi, seu proditionibus, seu quovis alio quaesito colore; v. c., praecavendae seditionis praetextu (113), ut abhinc ann. 40 (114): *perturbant* nempe *politice*; ac demum, 3° qui usurpata, vel ab aliis, retinent. – *Accessorie*, ut ita dixerim, qui auxilium, consilium, favorem praebent *ad singula praedicta*, idest, vel ad unum eorum tantum. Verum definire, quinam dicendi sint haec praestare *retinentibus*, perdifficile est, et oppido salebrosum ; dicam quod sentio.

Respublica, ut stare possit, duobus cum primis indiget, magistratibus, et militibus. *Magistratus* sunt vel politici, vel civiles, vel mixti; illi qui formae reipublicae, isti qui civium incolumitati, *hi* qui utrique student: itaque illos huic excomm. obnoxios esse, istos non esse, quia civitas necare seipsam non potest, utrumque (aut ego fallor) palam est: sed et *hos* eximere aequius est (115). Item et *milites*, quia conscribuntur inviti (116); ideoque exceptis his, qui vel sese dedunt (117); vel confectis stipendiis, militiam sine gravi incommodo deserere potuissent. Praeter hos, favere retinentibus intelliguntur, qui *proximam* (alias infinita huius rei aestimatio erit) eis ad id operam praestant, puta, pecunia, delationibus, scriptis, consiliis, etc. – At qui usurpatoris, vel invasoris partes simplici-

(109) B. C. § 20.
(110) Suar., 2, 21, 104.
(111) V. cl. Pennachi, *Comm.*, p. 387.
(112) Bonac., Disp. 1, Q. 21, P. 1, n. 16.
(113) Duard.; Sayr.; Bonac., n. 18.
(114) V. Spada, *Rivoluzione di Roma*, Vol. I, p. 440.
(115) V. § 309, n. 9.
(116) V. supra, VII, v. *Prima obscurior.*
(117) Ex Decl. Pii VII, 24 aug. 1808; et S. Poenit., 10 decem. 1860, ad 7 et 8.

ter sequuntur (*adhaerentes*), hodie huc non pertinet; C. *A. S.* eos praeterit (118).

Adsunt aliae duae excommunicationes speciali modo R. P. reservatae; nempe:

XIII. « In Canonicos ac Dignitates, *qui* curam, regimen et admi-« ministrationem *Ecclesiae Cathedralis vacantis*, *remoto* Vic. Capi-« tulari, concedere et transferre praesumunt in nominatum ac prae-« sentatum a saeculari potestate ante exhibitionem literarum Apo-« stolicarum. *Nec non in ipsos* nominatos et praesentatos qui eam « suscipere praesumunt; *ac demum in eos qui* praemissis paruerint, « vel auxilium, consilium, favorem praestiterint, cuiusvis status, « praeeminentiae ac dignitatis fuerint (119) ».

Haec censura proxime accedit ei de qua in § 394, I, et eam complet. Pertinet ad tuendam Ecclesiae disciplinam quoad electionem et potestatem Vicarii Capitularis (120), et exinde ad intrusos Episcopos removendos pertinet. Videamus 1° quaenam actiones – 2° quaenam personae – 3° quibus censuris coerceantur.

Actiones PRINCIPALES quae coercentur hoc loco sunt Ecclesiam vacantem *concedere et transferre*, eamque *suscipere;* ACCESSORIAE, quemcumque eis favorem praebere (121). Verum ad censuram incurrendam opus est, 1° ut in possessionem Ecclesiae vacantis missus fuerit NOMINATUS seu PRAESENTATUS *a potestate laica* idest a *supremis publicarum rerum moderatoribus quomodocumque nuncupentur* (122): 2° ut loco Vic. Capitularis, vel constituti ab eo, qui deficiente Capitulo Vicarii costituendi jus habet (123): *loco* idest, eo non electo vel remoto, vel (si forte mortem obierat, aut renun-

(118) Contra *B. C.*, § 21.

(119) Pius IX. C. *Romanus Pontifex*, V cal. sept. 1873; C. *Avaritiae*, 5. *De Elect.* in 6°; Extr. 1, *Iniunctae De Extr.* int. *Comm.*

(120) C. 48. Cau. 12, 2; Trid. XXIV, R. 16.

(121) Cit. C. R. P. § *Confidimus*; et § *In easdem*; Comment. *Pat. I.*, 158, principalibus actionibus accensent. *Vicarii Capitularis, rite constituti, auctoritatem minuere, aut limitare, vel eum ab officio removere.* – Sed ob hanc solam, non incurri excomm. ex § *Confidimus* evidens est.

(122) Cit. C. § *Hac autem.* Ergo huc non pertinent si populi suffragio delecti fuerint (Contr. cl. A. Varceno *h. t.* § XIII, n. 3): nisi forte in Republica in qua negocia populi suffragio expediuntur. Nec electi ab ipsis Capitulis Ecclesiarum Cathedralium (Contr. cl. Ciolli § 99. et Del Vecchio, To. 1, § 590): cujus est et alia ratio, quia hi non *praesentari*, seu *nominari*, sed *eligi* dicuntur; quae duo jure canonico longissime distant: et ipsa Const. R. P. ea distinguit (§ *Hac autem*). et iterum et tertio ait *nominatos*, seu *praesentatos.*

(123) Ex Cit. Const. § *Hac autem.*

ciaverat aut jure motus fuerat) non subrogato: 3° ut ea quae censuris coercentur *temere* praestita sint. Illud non inquiritur quo *quaesito colore*, *quo titulo*, *quove nomine*, *v. c.*, *Provisoris*, *Vic. Generalis*, etc., quis Ecclesiam occupet, nec proderit quod nominatus et praesentatus fuerit ab his qui hoc iure canonice gaudent.

Sunt autem obnoxii censuris 1° Canonici et Dignitates qui *concedunt*, *transferunt*, etc. *Dignitatum* autem nomine contineri puto eos qui, deficiente Capitulo, Vicarii deputandi jus habent; alias hi eximerentur, quod a mente legislatoris, et a sententia omnium pene Commentatorum (124) alienum est. 2° Praesentati et nominati qui *suscipiunt*, etc., sive per se sive per alium (125). 3° Qui eis parent, aut favent quoquo modo: *cujusvis dignitatis* adeoque etiam Regalis, vel Imperialis (126).

Demum censura est excomm. R. P. specialiter reservata. *Si vero aliqui ex praedictis Episcopali charactere sint insigniti, in poenam suspensionis ab exercitio Pontificalium, et interdicti ab ingressu Ecclesiae incidunt S. S. pariter reservatum* (127). Hi igitur excommunicationi eximuntur (128).

XIV. « In omnes et singulos *societati catholicae pro vindicatione* « *jurium populi christiani, et in primis romani* in electione R. « P. nomen dantes, vel eam promoventes, aut ei quomodocumque « faventes vel adhaerentes (129).

Promoventes, nempe qui fideles quoquo modo sollicitant ut praedictae societati adhaereant. *Faventes* (favere quid sit, V. § 302), etsi non adhaereant. *Adhaerentes*, idest doctrinam sectantes, profitentes, etc., quamvis non adscribantur. *Nomen dantes*, licet non promoveant, nec adhaereant, neque faveant; modo tamen nomen dederint, non *simpliciter* tantum, ut (forsan ex verbis dubiorum S. Poenitentiariae propositorum) ait cl. Gonella (130), sed expresse declarantes se assentire doctrinis in programmate contentis, et coram duobus te-

(124) C. 5, § 2. *De Elect.* in 6°. Cit. C. R. P. § *Hac.*

(125) Cl. Baller. Ad Gury II. 973. Ciolli § 99. A. Varce. cit. n. 6.

(126) C. 5, § 2. *De Elect.* in 6°.

(127) Cl. A. Verceno post. n. 6. *Nota.*

(128) Cit. C. 5.

(129) Comm. Patav. *l. c.* Et jure prorsus. Contra cl. Ciolli *l. c.*, qui hac quoque teneri putat. Ad haec Canonici et dignitates privantur ipso iure fructibus beneficiorum, aliisque ecclesiasticis reditibus, quae *singulariter* (V. § 394, I) possident (Cit. C. R. P. § *Confidimus.*

(130) S. Poenit., probante Pio IX, 4 aug. 1876; Acta S. Sedis XVI, pag. 148.

(131) Gon., edit. Taur. 1893, p. 81.

stibus obligationem contrahentes se operam daturos ut tales doctrinae propugnentur, et societas ipsa dilatetur (licet non assentiant, nec quidquam faciant). Haec enim verba exposita fuerunt, quoad nomen dantes, S. Poenitentiariae, quae nonnisi *attentis omnibus expositis* respondit. Ergo juxta exposita intelligenda sunt quae continentur in propositis dubiis, praecipue quia versamur in odiosis.

ART. II.

De Excommunicationibus L. S. Romano Pontifici simpliciter reservatis.

391. Excomm. R. P. simpliciter r. incurrunt:

I. « Docentes vel defendentes, sive publice sive privatim, pro-
« positiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis
« poena latae sententiae; item docentes vel defendentes tamquam
« licitam praxim inquirendi a poenitente nomen complicis, prout
« damnata est a Ben. XIV, in Const. *Suprema*, 7 iulii 1755, et C.
« *Ubi primum*, 2 iulii 1746, et C. *Ad eradicandam*, 28 sept. 1746 ».

Hic artic. in duas partes diducitur. PRIMA pertinet ad propositiones damnatas: nempe, 1° a *Sede Apostolica*, idest, ab ipso R. P.; et 2° *sub poena excomm.* l. s. Proinde huc non pertinent (ex 1°) damnatae ab aliis (v. c. Wiclefi, et Hus damnatae in Conc. Costantiensi); nec verius (ex 2°) damnatae ab ipsa Sede Ap., sed non sub poena excomm. l. s. (ut ecce quae in *Syllabo* collectae fuerunt); etsi forte damnatae sint sub poenis, et *censuris* in iure contentis (1). Hac autem excomm. coercentur soli *docentes vel defendentes*: non item qui eas affirmant, asserunt, tenent; nam quando RR. PP. hos quoque coerceri volunt, illos recensent nominatim.

Venio ad ALTERAM partem. Benedicto XIV P. M., praxis apud Lusitanos inolescere coeperat exquirendi a poenitentibus nomen et habitationem complicis, *falsa zeli imagine seducti, et in primis procurandae complicis correctionis gratia: nec modo suadendo*, SED *denunciata* QUOQUE, *nisi revelaverint, absolutionis Sacramentalis denegatione* (cit. C. *Suprema*). Pontifex ille sapientiss. damnavit eam praxim, et excommunicationi l. s. obnoxios esse voluit et illos

(1) Croix, I, 216; Cl. Pennacchi, p. 461.

qui eam licitam esse *scribere, aut loqui* non dubitabant, et confessarios qui *haec exquirere praesumerent, absolutionem* reticentibus *denegando.* Constitut. nostra *hos* praeterit, et excommunicatione coercet solum *docentes, vel defendentes licitam esse praxim exquirendi* NOMEN (non habitationem), *complicis.* Damnat, inquam, hanc *praxim*, PROUTI *damnata est a Bened. XIV:* quamobrem, ad hanc excomm. incurrendam, opus est, ut quis utrumque licitum esse doceat: nempe, et exquirere nomen complicis, et reticenti absolutionem denegare. Et mihi consentiunt clariss. De Varceno (2) Del Vecchio (3), et Ganglaude (4). At clar. Bertapelle (5) putat satis esse alterutrum; nempe quia Ben. XIV damnavit praxim exquirendi nomen complicis, sive *suadendo*, sive *absolutionem denegando.* Haud ita sane, ut legenti facile patet. Quid quod confessarios ita demum excommunicationi subiecit, si poenitentem inabsolutum dimisissent? (Cit. B. *Ubi primum*).

Sed dubitari potest, utrum excommunicationi sint obnoxii qui, non *ex falso animarum zelo*, sed qua alia causa exquirunt, etc.? Timidus negavi in Comment. edito Reate 1880, § 97, ex cit. B. *Ubi primum*, quae *hos*, non S. O., sed locorum Ordinariis denunciari, et ab his suspensione, aliisque poenis coerceri praecepit: mihique adhaesit cl. Gangl. (*l. c.*): nihilominus haesi, et adhuc haereo. Illud profecto dubitandum non est, appellatione *complicis* contineri, non solum complicem in peccato turpi, sed omnes.

II. « Violentas manus suadente diabolo iniicientes in Clericos, « vel utriusque sexus Monachos, exceptis, quoad reservationem, ca- « sibus et personis, de quibus iure vel privilegio permittitur ut « Episcopus, aut alius absolvat (6). »

III. « Duellum perpetrantes aut simpliciter ad illud provocantes, « vel ipsum acceptantes et quoslibet complices vel qualemcumque « operam aut favorem praebentes; nec non de industria spectantes, « illudque permittentes, vel quantum in illis est non prohibentes, « cuiuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis (7) ».

IV. « Nomen dantes sectae *massonicae* aut *carbonariae* aut aliis « eiusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam vel legitimas po-

(2) H. a. n. 4.
(3) To. II, § 725. Edit. II.
(4) *Comment.*, pag. 161.
(5) *Comment.*, Par. I, § 189.
(6) C. 4, Cau. 17, 19, V. § 365 bis.
(7) Trid., XXV, *R.*, 10. De hac excomm. in Par. II. §§ 288-290.

« testates seu palam seu clandestine machinantur; nec non iisdem « sectis favorem qualemcumque praestantes; earumve occultos « choriphaeos ac duces non denunciantes, donec non denuncia- « verint (8). »

Sectae Massonicae, aut Carbonariae illae omnes intelliguntur in Constitutionibus Pontificiis: – *Quae adversus Ecclesiam vel Gubernium sibi aliquid proponunt* (9) – quocumque nomine vocentur (Clem. XII, *l. c.* § 2). Uti autem *secta* intelligatur, necesse est, ut iam coita sit, ideoque ut sua statuta, suosque officiales habeat. Ut sit *massonica*, opus est, ut aliquid moliatur, quod vel ab Ecclesiae catholicae doctrina, disciplina, iuribus; vel a forma legitimi regiminis, aut a iure civitatis publico (§ 198), alienum sit. Quin puto, massonicas esse, quae quidvis publicae potestatis sibi usurpant; v. c., poenis in praevaricatores constitutis; nisi eiusmodi poenae sint, quae pactis conventis comprehendi possunt, ut mulctae. Nec refert, utrum clam machinentur, an palam (10); ac proinde *utrum a suis asseclis exigant, an non, iuramentum de secreto servando* (11): nec utrum viri Principes, et Moderatores Civitatis eas tolerent, foveant. Uti autem aliquis huic excommunicationi sit obnoxius, necesse est, ut ei det nomen sciens prudens; quid igitur si dubitet, massonicane societas sit, an licita? Et in dubio iuris, non est prohibendus ei nomen dare; in dubio facti, non est permittendus (§ 256 n. 5): et si quae secretum iuratum exigat, illa massonica praesumenda est (12). Excommunicatio autem incurritur per solam cooptationem, licet cooptatus nihil moliatur, et planum est. Quid si b. f. nomen dedit, sed re comperta, non discedit, an effugiat excommunicationem? etenim *nomen dare* praesens tempus significat; ita porro, si invitus remanet; secus, sin volens, si quid iudico, quia ratum habet. Quod autem responsum fuit, absolvendos non esse, etsi poenituerint, *si externe cum sociis communicant* (13) cum grano salis accipien-

(8) Clem. XII, C. *In eminenti*, 24 apr. 1738; Bened. XIV, C. *Providas*, 18 maii 1751; Pius VII, 13 sept. 1821; Leo XII, C. *Quo graviora*; Pius IX, Alloc. *Qui pluribus*, 9 nov. 1846; et *Multiplices inter*, 25 sept. 1865; ac demum Leo XIII, Encycl. *Humanum genus*, 20 apr. 1884; qua Pontifex sapientissimus in massonicam ipsam societatem, in doctrinam eius universam, et consilia, et sentiendi consuetudinem, et agendi animum intendit, quo vis illius malefica magisque illustraretur; omnino perlegenda, et consulenda.

(9) S. U. I., 5 aug. 1846.

(10) Pius IX C. *Multiplices inter.*

(11) S. U. I., 5 aug. 1846.

(12) Ben. XIV, *l. c.* Sed. V. § 208, n. 64.

(13) S. U. I., 5 iul. 1837.

dum puto: quid enim si communicant, ne suspicetur se ab eis descivisse? etenim neci sunt addicti, quam effugere vix possibile est. Et si vel secta ab eis aliquid emolumenti, vel ipsi a secta aliquid spiritualis detrimenti vel alii scandalum capiant, quia rem malam faciunt naturali iure, eos absolvere grave est: secus, non puto eos illico inabsolutos dimittendos esse; sed omnia in aestimatione prudentis et amantis, at non diu, nec nimium indulgentis confessarii esse debent, si quid opinor.

Eorum vero, qui huic excomm. sunt obnoxii, duo sunt genera. UNUM eorum, qui sectae dant nomen; vel sectis huiusmodi *qualemcumque favorem* praestant; ut ecce qui eis praebent *consilium, auxilium, palam vel in occulto; directe vel indirecte, per se vel per alios; vel commoditatem faciunt, ut alicubi convocentur;* vel aliis auctores sunt, *ut huiusmodi societatibus adscribantur; eis intersint, vel ipsas quomodolibet iuvent ac foveant* (14). ALTERUM eorum qui non denunciant eorum *occultos coryphaeos ac duces;* nec excusantur, quod hodie eorum nomina per libros, et ephemerides passim evulgari soleant (15), quoad evulgata fuerint. Eis autem denunciatis, cessat ipso iure, non excommunicatio, ceu visum quibusdam (hoc enim et a regula iuris canonici § 335, et a verbis Const. nostrae remotum est), sed reservatio. – At hodie nemo ea tenetur, qui libros cuiusvis sectae rituales retinent, legunt; quippe eos praeteriit (16) C. *Ap. Sedis.* – Nec ea tenentur, qui aliis societatibus nomen dant; sive illicitis ceu furum, sicariorum; sive licitis, ceu *Societates operariorum*, quas vocant. Verum nihil *his* suspiciosius; nam etsi specie tenus sociis, re tamen vera sectis massonicis opitulandis inventae sunt; quamobrem Ordinariorum et ius et officium est, eas vigilare diligentissime; et, si quod grave dubium occurrat, rem ad S. U. I. deferre (17).

V. « Immunitatem asyli ecclesiastici violare iubentes, aut ausu « temerario violantes (18) ».

VI. « Violantes clausuram Monialium cuiuscumque generis aut « conditionis, sexus, vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque « legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel

(14) Clem. XII, *l. c.* § 5.
(15) S. U. I., 1 febr. 1871.
(16) Ex cit. CC. Pii VII, et Leonis XII.
(17) V. Instruct. S. U. I., 10 mai 1884, § 4.
(18) Tot. Tit. *De Imm. Eccl.*; V. Par. III, § 15, n. 19.

« admittentes, itemque Moniales ab illo exeuntes extra casus ac « formam a S. Pio V, in C. *Decori* praescriptam (19) ».

VII. « Mulieres violantes regularium virorum clausuram, et Su- « periores aliosve eas admittentes (20) ».

VIII. « Reos simoniae realis in beneficiis quibuscumque, eorum- « que complices ».

IX. « Reos simoniae confidentialis in beneficiis quibuslibet, cu- « iuscumque sint dignitatis ».

X. « Reos simoniae realis ob ingressum in Religionem (21) ».

XI. « Omnes qui quaestum facientes ex indulgentiis aliisque « gratiis spiritualibus excommunicationis censura plectuntur C. S. « Pii V, *Quam plenum*, 2 ian. 1569 (22) ».

Post Tridentinum, cum quidam Ecclesiarum Hispaniae administratores litteras suas in suis dioecesibus publicarent, quibus, facultates sibi concessas excedentes, indulgentias et gratias spirituales, *pias causas praetextantes*, concedere coepissent his qui, certa soluta pecunia, eas litteras acciperent, S. Pius V coercuit omnes, qui, etc. Scilicet inferiores Episcopis excommunicatione; ipsos vere Episcopos et *qui majore dignitate praefulgent* (*S. R. E. Cardinales*) *interdicto ab ingressu Ecclesiae et suspensione a perceptione fructuum suarum Ecclesiarum.* Hodie, sublatis interdicto et suspensione (23), excommunicationem incurrunt soli inferiores Episcopis, qui *ex indulgentiis*, etc.

Indulgentiae quid sint, neminem latet. *Gratiae spirituales censentur* 1° *facultas* eligendi sibi sacerdotem, seu *simplicem* a quo absolvi, seu *confessarium* per quem a reservatis (Romano Pontifici vel ordinariis) absolvi possit; 2° missae sacrificium et ecclesiastica sepultura tempore interdicti; 3° ciborum prohibitorum usus; 4° assumptio plurium compatrum ad baptisma contra Decr. Trid.; 5° absolutio a reali simonia, Sedi Ap. reservata.

(19) Trid., XXV, *De Reg.*, 4, 5; V. Par. III, 227, 228.

(20) C. *Decet*, C. *Regularium* S. Pii V.; Par. III *loc. cit.*

(21) Extr. 3 *De Simon.*, 7, 8,; V. Par. III, §§ 87-119.

(22) Trid., XXI, *Ref.* C. ult.; S. Pius V, C. *Quam plenum.*

(23) V. *Comm. Patav.*, II, p. 279; Pennacch., To. I, p. 935.

Huic excommunicationi tenetur qui per se vel per alium aliquid ex praedictis, et non aliud, publicaverit vel concesserit; et non quaestus faciendi causa, sed *quaestum* revera *faciens*, idest pecuniam accipiens (24).

XII. « Colligentes eleemosynas maioris pretii, pro Missis, et ex « illis lucrum captantes, facientes eas celebrari in locis ubi missa- « rum stipendia minoris pretii esse solent (25) ».

XIII. « Omnes qui excommunicatione mulctantur in CC. S. Pii « V, *Admonet nos*, IV kal. aprilis 1567; Innocenti IX, *Quae ab hac* « *Sede*, prid. non. novem. 1591; Clementis VIII, *Ad Romani Pon-* « *tificis curam*, 26 iunii 1592; et Alexandri VII, *Inter caeteras*, IX « kal. novem. 1660, alienationem et infeudationem civitatum et « locorum S. R. E. respicientibus ».

Actio quae hac excomm. coercetur est, agere penes R. P. de alienatione, et infeudatione civitatum, oppidorum, locorum ad ius et proprietatem S. Sedis seu immediate (26), seu mediate pertinentium; *etiam sub colore verae et evidentis necessitatis vel utilitatis* (27). Eamque incurrunt omnes, etiam. S. R. E. Cardinales (28) *tractantes* de hac re, aut alias *verba facientes*, etc.; *insinuantes*, *suadentes sive per se sive per alios*. Et statim incurrunt, ac de ea re cum R. P. agere coeperint. Quaesitum est, an illam incurrant qui R. P. auctores sunt conciliationis cum Italico Gubernio ineundae, per *abdicationem* dominii temporalis: affirmant de Varceno, Formisani, Ciolli, etc. Negat cl. Pennacchi (*Comm.*, p. 1013). Et rectius, si quid opinor, tum quia *abdicatio* distat ab *alienatione*, tum quia RR. PP. agunt de infeudationibus et investituris: nec mens legislatoris ad non cognita trahenda est (29).

XIV. « Religiosos praesumentes clericis aut laicis extra casum « necessitatis sacramentum Extremae Unctionis, aut Eucharistiae « per viaticum ministrare absque Parochi licentia (30) ».

(24) Publicare intelligitur et is, qui indicem indulgentiarum, etc., aedibus sacris appendi iubet (Citata C., § 2) sed qui publicat vel concedit non fit obnoxius excommunicationi, si nihil accipiat.

(25) Ben. XIV, C. *Quanta cura*, Sed. V. Par. III, § 191.

(26) C. *Admonet nos*, § 3.

(27) Clem. VIII, *Ad Romani Pontificatus*.

(28) C. *Admonet nos*, § 3.

(29) Ex L. 44, De C. E.

(30) Ex Clem., I, *De Privil.*

Religiosos, scilicet non Piae cuiusvis Congregationis (31) vel Religionis a R. P. nondum approbatae; immo nec approbatae, si nondum professionem (et hodie, ut puto, solemnem) emiserint (32) vel si post emissam eiecti fuerint, aut per iniquas leges extrusi, et foras quasi presbyteri saeculares vitam agant.

Praesumentes. Adeoque excusat ignorantia seu facti seu iuris, dummodo non fuerit affectata (33).

Clericis aut laicis; licet in monasterio forte degentibus studiorum, aeducationis, aut valetitudinis causa (34). Non item si ea ministraverint Regularibus, vel iis, qui Regularium iure censentur (35).

Extra casum necessitatis. Et hoc existimari debet nedum ex periculo quo laborat aegrotus, sed et si Parochus non facile acciri potuerit, vel accitus venire noluerit, et periculum sit in mora (36).

Sacramenta, etc. *ministrare*, nempe valide (37).

Sine parochi licentia: Parochum heic accipimus, qui curam animarum habet (quocumque nomine vocetur), aut vices eius gerit, cuius aegrotus subditus est ex domicilio vel quasi domicilio (38): licentiam vero, non *specialem*, ut antea; sed vel praesumptam, si parochus eam certo daturus fuisset (39).

XV. « Extrahentes absque legitima venia reliquias ex sacris « coemeteriis sive catacumbis Urbis Romae, eiusque territorii; eisque « auxilium vel favorem praebentes (40) ».

(31) Bonac., D. II, Q. 9, p. 5, n. 32; Avanz., n. 24.

(32) Ex C. 21, § 1, *De S. E.* in 6°.

(33) S. C. Epp., 21 iun. 1848; V. Bizzarri, *Collect.*, p. 618; Pennac. To. I., pag. 1025.

(34) Itaque cessat excommunicatio, si quis falso existimaverit 1° parochum non esse invitum, vel esse periculum in mora (Ex L. *Qui re* 77, *De Furt.*); 2° necessitatem abesse, quae aderat, vel parochum esse invitum, qui invitus non erat (§ 8, *De obligat. quae ex delicto*); nam *falsa nostra existimatio rei veritatem non mutat.* (L. 6. *Ad* Municip.).

(35) Ex Trid., sess. XXIV, *De* Regul., II. Idest Novitiis, et famulis qui actu eis inserviunt, et in septis sub eorum obedientia vivunt (non item si degant in locis a clausura separatis, etsi contiguis. S. C. C. 17 apr. 1722; S. Alph. VI, 240). His addendi sunt pauperes in hospitalibus ipsorum degentes (Clem. I, *De Privil.*), et *Viri* Tertiarii, qui collegialiter vivunt, vel cum claustralibus habitant (S. C. Epp., 20 dec. 1616; Ferrar V. Tertiarii, n. 3.

(36) V. Sanch., Dec. II, 13, 3; Ben. XIV, *De Syn.* VIII, 4, 7; S. Alph., VI, 236.

(37) Proinde excommunicatio cessat si hostia non fuerit consecrata, vel Diaconus ministraverit Extrem. U. (Suar. 22, 4, 5).

(38) Bonac., *loc. cit.* nn. 7, 9.

(39) Suar., *De Euch.*, 72, 2, 2; Filiucc., Tr. IV, 161. Et si parochus eam dederit aegroto, sufficit, etsi daturus non fuisset ei qui ministrat.

(40) Edict. 24 aug. 1613, editum iussu Pauli V; Clem. X, C. *Ex Commissae*, 13 ian. 1672.

Exuviarum, quae inveniuntur in his sacris coemeteriis sive catacumbis, triplex genus constituendum est: nam quasdam SS. Martyrum esse constant, e. g., cum phialae vitrae, aut figulinae ad loculos sepultorum intus, vel foris, reperiuntur (41), contra, quasdam non esse certum est, ut illae quas reperiuntur in loculis apertis; quaedam denique, utrum martirum sint, an minus ambiguum est. Porro nos reliquias accipimus *Sanctorum*, proinde excommunicat. contrahit qui illas extrahit, non qui istas. An qui has? affirmant Avanzini, Ballerini, Ciolli, de Varceno; nempe ad vitandum profanationis periculum: negant clar. Bucceroni (§ 12), Pennacchi (p. 1009), et *Nouvelle Revue Théol.* (42). Et rectius (V. § 309). Sed procul dubio est grave; et hoc satis esse debet ad periculum profanationis amovendum. Illud non interest, ex Edicto Pauli V, quantum quis extrahat, multum, an modicum; et planum est. Hanc excomm. subeunt, qui sacras reliquias extrahunt (sive pro se sive pro aliis) *sine venia;* quique extraentibus *favorem* vel *auxilium;* non item (secus ac antea) qui consilium praestant. Porro venia a Card. Urbis Vic. danda est; sed utrum scripto, eiusdem subscriptione et sigillo munito, ut antea? Affirmat Avanzini; negat cl. Pennacchi (p. 1037): et verius: haec enim ad *formam* pertinent: quando autem Const. nostra formam quoque servari voluit, id iussit verbis expressis.

XVI « Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa « in crimine criminoso, ei scilicet impedendo auxilium vel favo« rem (43) ».

XVII. « Clericos scienter et sponte communicantes in divinis « cum personis a R. P. nominatim excommunicatis, et ipsos in « officiis recipientes (44) ».

XVIII. « Absolvere praesumentes, etiam quovis praetexu ab ex« communicationibus R. P. reservatis speciali modo. » (45)

Ante C. *Ap. Sedis*, absolventes a casibus reservatis in *B. C.* excommunic. incurrebant; sed verius nemini reservatam (46). Verum si quis ab eis, aliisque nonnullis, et a casibus ab Ordinariis locorum

(41) S. R. C., 10 apr. 1668, et 27 nov. 1863.
(42) Tom. 10, pag. 202.
(43) C. 29, *De S. E.;* V. § 363, n. 26.
(44) C. 18, *De S. E.;* V. § 363, n. 26.
(45) C. *A. S.*, § *A quibus;* Ex *B. C.*, post § 20, v. *Quod si forte;* Decr. Clem. VIII, 9 ian. 1601.
(46) Suar., 22, 5, 2.

reservatis, praetextu facultatum et privilegiorum absolvisset intra Italiam et extra Urbem: incurrebat excomm. R. P. reservatam (47). Hodie huic excommunicationi sunt obnoxii hi solum qui absolvunt a reservatis R. P. s. m., et ubique locorum obnoxii sunt: nec inquiritur, utrum praetextu privilegii alicuius, an minus absolverint. Verum ad eam incurrendam opus est: 1° ut absolvas; 2° ut temere; 3° ut a censuris absolvas – quamobrem ei eximeris, si absoleris verbo tenus (48); vel ex ignorantia; licet crassa et supina (cit. § 312, n. 71); vel si tantum a peccatis (49), absolveris (50).

Ad haec quidam existimant censuras non reservatas ipso iure reservatas fieri R. P. si ad eum pro absolutione recurreris (51). Et hoc verum est si R. P. ad se negocium avocaverit (52); secus, non puto: quia *adire* Principem, nullum *praeventionis effectum operatur* (53); nec intelligere valeo, quomodo quis, Piae Matris Ecclesiae veniam implorando, conditionem suam deteriorem faciat (54).

Art. III. *Excommunicationes L. S. Episcopis, sive Ordinariis reservatae.*

392. His excommunicationibus subiacent:

I. « Clerici in sacris constituti vel Regulares, aut Moniales, post « votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes; « nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium « contrahere praesumentes (1) ».

Matrimonium; licet non consummatum (2), et quamvis nullum, nedum ratione ordinis sacri et voti solemnis *in Religione* a *S. Sede*

(47) S. C. Epp., 9 ian. 1601, 26 nov. 1602, iussu Clem. VIII.

(48) Bonac., Disp. I, Q. 22, P. 3, n. 3; § 312, n. 71.

(49) V. S. Alph., VI, 265. q. 3.

(50) Bonac., n. 6.; ibiq. Zabar., Silvest., Ugolin.

(51) *Ex Conrad.*, Prax., etc. Disp. VIII, 1, 12; ex C. *Ut nostrum* 56, *De Appellat.*; et ex CC. 1 et 2, *De confirm. utili* vel inutili: Gonzal., ad Regul. VIII Cunc. Gl. 52, nn. 22, 23; De Iust. I, VII, 224, ex C. *In distribuendis, De Temp. Ordin.*, quod in Decretal. non invenitur, et ex C. *In distribuendis*, 12, quod hęic non pertinet.

(52) Sanch., *M.* VIII, XIV, 3, 8, 9.

(53) Ex. C. 56, *De Appellat. Manus appositio Papae non ligat manus Ordinariorum quoad forum conscientiae* (Thesaur., I, 20, v. *An autem.* Ibique Gonzal. Gl, n. 60; V. Garc., P. II, Cap. X, n. 139). Et qui a sententia Ordinarii sui appellavit, nihilominus ab eo potest absolvi, licet ille appellationem admiserit (Sayr. II, 20, 3).

(54) V. L. *Nemo*, 88, *De R. I.*

(1) Clem., I, *De Consang.*

(2) Sanch., M. VII, 48, 6.

approbata, sed etiam propter clandestinitatem, v. c., si contractum fuit coram civili magistratu (3), vel propter alia impedimenta, v. c., consanguinitatis, affinitatis (4). Sed excommunicatio cessat si in utraque vel alterutra parte defuit legitimus consensus (5), vel praestitus fuit ex errore substantiali, metu gravi (6), vel ignorantia seu facti seu juris, licet crassa et supina (7), etsi postea, re cognita, in cohabitatione perseveraverint (8).

II. « Procurantes abortum effectu sequuto (9) ».

Procurantes abortum, nempe studiose et ex industria (10), sive physice, v. c., ictu, veneno, ponderibus mulieri impositis (11); sive moraliter, v. c., terrore praegnanti incusso (12); sive per se, sive per alium (13). Quamobrem excommunicatio non contrahitur ex abortu voluntario indirecte et in causa (14), vel admisso sola culpa civili aut casu; nec a mandatario (15), vel ab eo qui procuranti opem praestat (17). *Effectu sequuto,* nempe ex causa, quae posita fuit. Itaque excommunicatio reum non tenet, quamdiu sibi non apparet abortum sequutum fuisse; vel quamdiu aut certo (17) aut probabile videtur (18) sequutum fuisse ex alia causa (19).

III. « Literis Apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini in ea re cooperantes (20) ».

Literis Apostolicis: ergo eam non incurrunt qui falsis *signaturis* utuntur. *Utentes* accipere debemus, qui eas exhibent ut effectum habere possint: *cooperantes* qui utentibus operam praestant (§ 302);

(3) S. U. I., 22 dec. 1880., *Nouv. Rev., Theolog.*, To. XI.
(4) S. U. I., 13 ian. 1892 ad 5.
(5) Suar., 22, 5, 7.
(6) Sanch., loc. cit. nn. 10, 12.
(7) Bonac., D. II, Q. 4, P. 7, n. 18.
(8) Navarr., Sanch., n. 20. Scilicet lex contractum, non cohabitationem coercet (Suar., 23, 5, 21).
(9) Xistus V. C. *Effrenatam;* Greg. XIV, C. *Sedes Apostolica.*
(10) Sporer., IV, § 743.
(11) Xistus V, C. *Effrenatam*, § 1.
(12) Carmignan., § 915.
(13) Xistus V, ibid. Nec interest utrum foetus animatus fuerit ac inanimatus, quia C. generaliter loquitur.
(14) Licet abortus ex illicita actione prodierit: v. c., si quis praegnantem graviter percusserit ex ira, odio, zelotypia, etc. (Sporer. §§ 738, 739).
(15) Xixt. V, loc. cit.
(16) V. c., ab eo qui pharmacum parat (Comm. Gall., § 315).
(17) Ex L. *Huic scripturae*, 15, § *Si servus*, D. Ad L. *Aquil.*
(18) Ex S. Alph., III, 562, *Secunda sent.*, et 658.
(19) V. c., si mulier, sumpto abortivo, ante eiectionem ex alto deciderit, vel perierit ferro, apoplexi, ruina, etc.
(20) C. 7, *De Crim. falsi.*

et non eos qui tantum hortati fuerint, vel consilium dederint (21). Nempe si et ipsi fecerint *scienter*, quia aequum non foret, cum delinquentibus accessoriis durius agere. Olim laici tantum erant obnoxii excommunicationi; clerici coercendi erant privatione officii et beneficii (22): hodie et clerici, quia lex non distinguit; ideo poena privationis officii et beneficii nunc exulat (§ 309, n. 12): contra cl. Bertapelle (23) et Ciolli (24). Nec amplius eam incurrit (contra C. 4, *Eod.*), qui literas huiusmodi non destruit, vel non tradit Ordinario intra dies viginti: sed peccat.

ART. IV. *De Excommunicationibus L. S. nemini reservatis.*

393. His excommunicationibus tenentur:

I. « Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae hae-« reticos notorios (1), aut nominatim excommunicatos vel inter-« dictos (2) ».

Licet appellatione *sepulturae ecclesiasticae* veniat etiam ritus sacer quo Ecclesia utitur in efferendis sepeliendisque fidelibus (§ 112, n. 3); nihilominus haec excomm. solam materialem sepulturam seu inhumationem attingit: quod verbum *tradi* satis ostendit. Nec omnes personas attingit, quae arcentur ecclesiastica sepultura, sed haereticos, nempe *ex secta* (§ 114, n. 35), dumtaxat notorios, et si notorii sint ubi sepeliendi sunt (§ 242, n. 55); atque excommunicatos, vel interdictos nominatim, idest vitandos. Nec eos tenet qui cadaver tumulo inferunt, condunt; nec qui eis operam praestant, sed eos tantum *qui cogunt* condere, inferre. Scilicet post traditam illis sepulturam (§ 298, n. 22). At vero eos non excusat, secus ac antea (3), ignorantia crassa, aut supina (V. § 318, n. 80); nec quod defunctus sine ullo ritu sacro sepultus fuerit (4).

II. « Laedentes aut perterrefacientes Inquisitores, denunciantes, « testes, aliosve ministros S. Officii; eiusve sacri tribunalis scripturas « diripientes, aut comburentes, vel praedictis quibuslibet auxilium, « consilium, favorem praestantes (5) ».

(21) Ex L. *In furti,* 51, § *Opem, De furt.*
(22) Cit. C. 7, § ult.
(23) III, 339.
(24) § 145.
(1) Ex C. 3, *De Haeret.* in 6°.
(2) Clem., 1, *De Sepult.*
(3) C. 2. *De Haered.* in 6°; Clem. I. *De Sepult.*
(4) Bonac., D. II. Q. 2. P. 20. n. 5.
(5) S. Pius V, C. *Si de protegendis.*

Laedere, et perterrefacere quid sint superius explicavi: *diripere* autem proprie est: – *in partes diversas rapere* – (6), et velut praedari (7): *rapere* est: – *per vim auferre.* Denique *S. Officium* accipere debemus ubicumque illud extat, et non tantum quod Romae; lex non distinguit. At ubi nullum speciale extat huiusmodi sacrum Tribunal (ut in Regno utriusque Siciliae), sed est penes Episcopos, haec excomm. cessat.

III. « Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica ab« sque Beneplacito Apostolico, ad formam Extrav. *Ambitiosae De « Reb. Eccl. non alien.* (8) ».

IV. « Negligentes sive culpabiliter omittentes denunciare infra « mensem Confessarios, sive Sacerdotes a quibus sollicitati fuerint « ad turpia, in quibuslibet casibus expressis a Praedecessoribus « Nostris Gregor. XV, C. *Universi*, 20 aug. 1622, et Ben. XIV, « C. *Sacramentum Poenitentiae*, 1 iun. 1641 (9) ».

His addendae sunt: V. Excommunicatio in Decreto Sess. IV *De editione Sacrorum Librorum* constituta, cui Constit. nostra illos tantum subiacere voluit, *qui libros de sacris rebus tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt aut imprimi faciunt* (10); et VI. Excommunicatio adversus Ecclesiasticos et Missionarios mercaturam in Indiis Orientalibus exercentes iuxta Const. Urb. VIII, *Ex debito*, 22 febr. 1633, et Clem. IX, *Sollicitudo*, 6 iul. 1669 (11), et Superiores immediati ac Generales et Provinciales Religiosorum, qui in suos subditos etiam pro una vice delinquentes, saltem per amotionem a locis commissi delicti non animadverterint (12).

(6) Forcellini, V. *Diripere.*

(7) LL. 4, 7 etc. *De incend.* ruin., etc.

(8) De hac excomm. agendum erit in Par. III, §§ 77-84.

(9) Et de hac quoque in Par. III, §§ 365-369.

(10) S. U. I., 22 dec. 1880.

(11) Quovis modo et praetextu, sive proprio vel Religionis nomine, sive per se vel per alios in mercaturam se immisceant. Cit. Const., quas S. U. I., 4 dec. 1872, auctoritate Summi Pont. declaravit non fuisse revocatas per C. *Ap. Sedis.*

(12) Cit. C. Clem. IX, § 3; secus ex Urb., VIII. Haec excomm. nulli est reservata; sed nemo ex delinquentibus potest absolvi, praeter quam in articulo mortis, nisi auris prius restitutis (Clem. IX, *loc. cit.*).

CAPUT II.

DE SUSPENSIONIBUS L. S. R. P. RESERVATIS.

394. *Suspensiones L. S. Romano Pontifici reservatae.*

I. « Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum beneficiorum « perceptione ad beneplacitum S. Sedis Capitula et Conventus « Ecclesiarum et Monasteriorum, aliique omnes qui ad illarum seu « illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve « Praelatos de praedictis Ecclesiis seu monasteriis apud eamdem « S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint literas « Apostolicas de sua promotione (1) ».

Hac suspensione cavemur ab intrusis. – *Episcopos*, quia versamur in odiosis, accipere debemus consecratos; *Praelatos* eos qui pollent iurisdictione episcopali (2); *provisos* eos qui a S. Sede vel promoti, vel confirmati fuerunt (3). *Recipere* autem est, excipere, admittere quasi Episcopos – Praelatos – Provisos. – Age nunc; hac poena olim coercebantur ipsimet Episcopi, Praelati, Provisi; hodie hi tantum qui illos recipiunt; idest, *Capitula, Conventus Ecclesiarum, aliique omnes*, idest, alii omnes, praeter Capitula, et Conventus, non omnes quidem prorsus (quod est prorsus incredibile), sed quorum est illos admittere; ut puta, Magistratus civiles; quibus incumbit vel possessionem bonorum temporalium eis tradere, vel *Regium exequatur*, aut *placet*, expedire; ubi haec obtinent, S. Sede consentiente, vel tolerante.

Itaque hi suspenduntur a *perceptione suorum beneficiorum.* – A *perceptione*, nempe fructuum, nam hi tantum *percipi* in iure dicuntur; et percepti intelliguntur statim ac separati fuerint a re (terra-arbore) qua tenentur (4): ex quo consequens est dicere, suspensum, nedum eos non lucrari, sed nec colligere posse. *Suorum*; atque ideo Capitula et Monasteria ab his tantum quae possident in communi (5); ceteri ab his quae singulariter possident. Ergo cetera iura quae beneficio cohaerent, et omnia quae cohaerent officio, salva permanent. Et quia actus recipiendi receptione finitur, nullam suspensionem

(1) Extr., 1, *Comm. de Elect.*
(2) Berard., *I. E. U.*, To. I, Diss. V, Cap. 3, pr.
(3) Ex cit. Extr., 1.
(4) L. 48, *De A. R. D.*
(5) Suar., 28, 3, 3; 31, 5, 23; Salm., – 10, 5, 43.

incurrunt, secus ac olim (6), qui iam recepto *parent, intendunt, obediunt:* hos enim praeterit Const. nostra (7).

II. « Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso iure « incurrunt aliquem ordinantes absque titulo beneficii, vel patri- « monii, cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta (8) ».

Subeunt hic suspensiones contra male promoventes ad ordines (II, III et IV), et male promotos (VI et VII, et § 397, II). Uti igitur quisque in eo puniatur in quo peccavit (9), utrique suspensione coercentur; nempe ordinator *a collatione ordinum* (10), ideoque omnium (V. § 185, n. 26); ordinatus ab exercitio eius dumtaxat, quem male suscepit (11); nisi forte omnes male susceperit (12).

III. « Suspensionem per annum ab Ordinum administratione ipso « iure incurrunt ordinantes alienum subditum etiam *sub praetextu* « *beneficii statim conferendi*, aut iam collati, sed minime sufficientis, « absque eius Episcopi literis *dimissorialibus* (13); vel etiam sub- « ditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum « impedimentum ibi contrahere potuerit, absque Ordinarii eius loci « literis *testimonialibus* (14) ».

Minime, etc., nempe *iuxta taxam synodalem, aut mores regionis* (15). *Ordinantes;* ergo suspensio, quam olim icurrebant conferentes tonsuram (16), hodie cessat (17). *Ordines* vero accipere debemus vel minores, ut antea.

IV. « Suspensionem per annum a collatione Ordinum ipso iure « incurrunt qui, excepto casu legitimi privilegii, ordinem sacrum « contulerint absque titulo beneficii vel patrimonii clerico in aliqua « congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur: « vel religioso nondum professo (18) ».

(6) Cit. Extr., 1, *De Elect.*
(7) Contra cl. Ciolli, § 156.
(8) C. 45, *De Simon.* Adde n. 4°.
(9) C. 13, *De Temp. Ordin.*
(10) Cit. C. 13.
(11) Cit. C. 13, in fi.
(12) CC. 1, 2, *Eod. tit.* in 6°.
(13) Ex C. 2. *De Temp. Ord.* in 6°; Trid., XXIII, *R.*, 8; V. CC. 3, 6, Cau. 9, 1.
(14) Innoc. XII, B. *Speculatores,* § 12.
(15) Innoc. XII, B. *Speculatores,* § 8.
(16) Cit. B. *Speculatores,* §§ 6, 15.
(17) V. Reiff. I, XI, 170, ibiq. Barbos., Navarr., etc.
(18) Ex C. S. Pii V, *Romanus Pontifex Sacrorum.* Hactenus de ordinantibus.

V. « Suspensionem perpetuam ab exercitio Ordinum ipso iure « incurrunt Religiosi eiecti, extra Religionem degentes (19) ».

VI. « Suspensionem ab ordine suscepto ipso iure incurrunt qui « eumdem ordinem recipere praesumpserunt ab excommunicato vel « interdicto nominatim denunciatis, aut ab haeretico vel schisma- « tico notorio; eum vero qui bona fide a quopiam eorum est ordi- « natus, exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispen- « setur, declaramus (20) ».

Hodie igitur cessat suspensio, qua antea tenebatur qui eodem die, vel duobus continuis, conferebat; quique recipiebat quatuor minores ordines et subdiaconatum, vel duobus ordines sacros (21): si tamen erant l. s. (22): is qui ordinatus fuerat ab Episcopo non suo (23); vel a suo extra tempora; vel, mala fide, ante legitimam aetatem (24); vel furtive (25). Aut per saltum: scilicet, hunc suspensum esse (26) tenent canonistae (27); quod et Trident. supponere videtur (28). Non bene igitur hanc suspensionem inter Tridentinas recensere videtur omnium primus P. Avanzini (29): nam vel ipse Thesaur. (30), eam repetit etiam ex cit. C. un. – Utcumque, saltem dubium est utrum ex Tridentino sit repetenda. Verum de supensionibus hic recensitis a n. 2, latius forte in Par. III.

VII. « Clerici saeculares exteri ultra quatuor menses in urbe « commorantes ordinati ab aliquo quam ab ipso suo Ordinario absque « licentia Cardinalis Urbis Vicarii, vel absque praevio examine co- « ram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in « praedicto examine reiecti fuerint; nec non Clerici pertinentes ad « aliquem ex sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra « suam dioecesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis « quam ad Cardinalem Urbis Vicarium; vel non praemissis ante « Ordinem Sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem « dies in domo Urbana Sacerdotum a Missione nuncupatorum, sus-

(19) Ex S.C. C., 21 septembr. 1624, probante Urb. VIII.
(20) Ex CC. 1, 2, *De Schism.*
(21) CC. 2, 3, *De eo qui furt.*
(22) V. Reiff., I, XI, 205.
(23) C. 2, *De Temp. Ord.* in 6°.
(24) Pius II, *Cum ex Sacrorum*, nn. 14, 61.
(25) Tot. Tit. *De eo qui furt.*; Reiff., V, 30, 9.
(26) C. 2, Dist. 52; et ex C. un., *De Cler. per salt. prom.*
(27) V. Reiff., V. 30, 3.
(28) Sess. XXIII, *R.*, 14.
(29) *Comm. in* C. *A. Sedis*, n. 52.
(30) V. *Ordo*, Cap. 13.

« pensionem ab Ordinibus sic susceptis ab beneplacitum S. Sedis « ipso iure incurrunt: Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium « per annum (31) ».

CAPUT III.

DE INTERDICTIS LATAE S. RESERVATIS.

395. *Interdicta L. S. reservata.*

I. « Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum ipso « iure incurrunt Universitates, Collegia, et Capitula quocumque « nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis eiusdem Ro- « mani Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum con- « cilium appellantia (1) ».

Hoc interdictum differt ab excomm. – de qua in § 390, III – quia illa in singulos, hoc in personas morales animadvertitur; illa censura est, hoc magis privatio quaedam. Est species interdicti personalis generalis, et eius iure metitur. Quaesitum est an eo teneatur Episcopus, si forte sit unus et ipse ex canonicis Capituli interdicti? Negat Duard. (2); et iure prorsus (3). Porro, quamquam hoc interdictum teneat singulos, ex quibus coalescit universitas, collegium, etc., nam alias foret inutile (4), eos quos tenet, excommunicationem de qua in cit. § 390, III, effugere, dubitandum non videtur (§ 309, n. 13). Et hi qui hisce universitatibus, etc., vel singulis eorum membris praestant auxilium, consilium, etc., neque illam excommunicationem incurrunt, quod profluit ex dictis; neque hoc interdictum, quia eos praeterit Constitutio nostra.

II. « Scienter celebrantes, vel celebrari facientes divina in locis « ab Ordinario, vel delegato iudice, vel a iure interdictis, aut no- « minatim excommunicatos ad divina officia seu Ecclesiastica Sacra- « menta, vel Ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab « ingressu Ecclesiae ipso iure incurrunt, donec ad arbitrium eius « cuius sententiam contempserunt, competenter satisfecerint (5) ».

(31) Ex Edict. Card. Vicar. edito iussu Clementis VIII, 24 nov. 1613; Alex. VII, 15 mai. 1664, et Ben. XIV, an. 1743. In hac suspensione, quae vix pertinet ad ius canonicum, immorari nec iuvat, nec vacat.

(1) Ex *B. C.*, § 2.
(2) Lib. II, Can. 2, q. 5.
(3) § 325, n. 10.
(4) C. 16, § ult., *De S. E.* in 6°.
(5) C. 8, *De Priv.* in 6°.

Hic artic. duas habet partes; una coercet violantes interdicta localia, altera eos qui cum excommunicatis communicant in divinis. Prima *tenet celebrantes, vel celebrare facientes* in locis nominatim (6) interdictis. Verum si quis haec praestitit diebus quibus licet, et servatis conditionibus quibus licet, poena cessat. *Facientem autem celebrare* eum accipio, qui te ad celebrandum movet, alias non celebraturum; sive iubeat, sive roget, sive tantum suadeat. Altera tenet admittentes excommunicatos nominatim (nom item interdictos, ut antea) ad divina officia, etc. Porro hoc verbum *admittentes* ostendit *eos, ad quorum curam spectat prohibere, vel admittere aliquem ad huiusmodi actus* (7); idest Clericos qui loci interdicti regimen (8), vel (ut ego puto) custodiam habent. Porro olim dubitatum est; utrum hac prohibitione omnes clerici continerentur, et omnia loca (idest seu generaliter, seu specialiter interdicta). Sed hodie utrumque affirmandum videtur, quia lex non distinguit. Ab hoc interdicto excusat, ut in § 318, ignorantia etiam crassa et supina; immo, in sententia nostra, vel affectata; at non quilibet metus sed gravis tantum, ut alias, non enim hic additur *sponte*, prout nec in C. 18, *De Priv.* in 6°. *Donec* etc., an igitur cesset ipso iure, postquam interdictus competenter, arbitrio eius cuius sententiam contempsit, satisfecit, idest cum is data satisfactione se contentum declaraverit? Ita porro, si quid opinor, quippe hac declaratione tacite dispensat, absolvit.

CAPUT IV.

DE TRIDENTINIS CENSURIS SARTIS TECTIS SERVATIS.

397. *Excommunicationes, suspensiones et interdicta, quae Const. Nostra sarta tecta servari voluit* (§ 389), *haec sunt.*

I. Ex Tridentino, excommunicationem R. P. reservatam incurrunt hi de quibus supra § 390, XI: nemini autem reservatam (demptis his quae obsoleverunt) subeunt: 1° Qui adigunt viros, aut mulieres matrimonium invitos contrahere (1). 2° Raptores mulierum, eisque consilium, auxilium vel favorem praebentes (2). 3° Eos qui mulieres cogunt monasterium ingredi, aut solemnia vota nuncupare; quique his *consilium, auxilium, favorem, praesentiam, consensum, auctori-*

(6) Suarez, Bonaci., Laym.
(7) Suar., 37, 1, 5.
(8) Suar., Filiucc., Avila, ap. Bonac., Quae. 3, P. 2.
(1) Sess. XXIV. R. M. Cap. 9.
(2) *Ib.* Cap. 6.

tatem interposuerint: vel, contra, earum *voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo sine iusta causa impedierint* (3). 4° Qui *docere, praedicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputare, defendere praesumpserint*, existenti in letali, si Eucharistiam recipere velit, non esse confessionem necessariam (4). 5° Qui affirmant matrimonia a filiisfamilias, sineparentum consensu, contracta, irrita esse, et parentes ea rata, vel irrita facere posse (5). Ac demum, 6° magistratus saeculares qui Episcopis auxilium ad tuendam clausuram monialium praebere recusant (6); quod tamen extra Ditionem Pontificiam vix amplius obtinet, aut ne vix quidem. Excommunicationes huiusmodi nulli suntreservatae.

II. Suspensionem (praeter eas quae suo loco recensuimus) ipso iure ex Trid. incurrunt 1° *ab exercitio pontificalium indefinite* Episcopi residentiales in aliena dioecesi pontificalia exercentes, vel ordines conferentes sine Ordinarii loci expressa licentia (7) et *per annum* Episcopi titulares alterius subditum absque sui Praelati expresso consensu aut litteris dimissorialibus ad sacros aut minores ordines, vel ad primam tonsuram promoventes (8); 2° *a collatione ordinum per annum* Episcopi ordinantes alienum subditum non commendatum Ordinarii sui testimonio (9); 3° *ab officio et beneficio per annum* Vicarii Capitulares, qui dimissorias ad ordines non arctatis infra annum concesserint (10); *simpliciter* Episcopi concubinarii si, admoniti a Concilio Provinciali, se non emendaverint (11); 5° *ab executione susceptorum ordinum* ordinati ab Episcopo suo in aliena dioecesi (12), vel ab alieno sine testimonialibus Episcopi sui (13), aut cum dimissoriis a Vicario capitulari non arctatis infra annum concessis (14); 6° *simpliciter*, Parochi vel alii sacerdotes, seu saeculares seu regulares, qui sponsos non suos subditos matrimonio conjungunt aut benedicunt, quamdiu videbitur Episcopo illius parochi, cuius erat matrimonio interesse (15); 7° *ab officio*, quoad voluerit Episcopus, Praefecta monasterii, quae professionis a suis novitiis

(3) Sess. XXV, *De Reg.*, 18.
(4) Sess. XIII, *De Euch.*, Can. 11.
(5) Sess. XXIV, *De R. M.*, 1.
(6) *Ib. De Regul.*, 5.
(7) Sess. VI, *R.*, Cap. 5.
(8) Sess. XIV, *R.*, Cap. 2.
(9) Sess. XXIII, *R.*, Cap. 8.
(10) Sess. XXIII, *R.*, Cap. 10.
(11) Sess. XXV, *R.*, Cap. 14.
(12) Nempe *indefinite*, Sess.VI, R., Cap. 5.
(13) Quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire (Sess. XIV, *R.*, Cap. 2, et Sess. XXIII, *R.*, Cap. 8.
(14) Ad beneplacitum futuri Praelati (*Ib.*, XXIII, *R.*, Cap. 10).
(15) Sess. XXIV, *De Ref. M.*, Cap. 1.

ineundae, certiorem eumdem Episcopum non facit ante mensem (16). Adest alia suspensio ab exercitio Pontificalium, de qua supra (§ 390, XIII, in fine).

III. In Concilio Tridentino unum extat interdictum (ab ingressu ecclesiae), quo, nempe, coercetur Metropolitanus, qui Episcopum; vel Episcopus vicinior, qui Metropolitanum illegitime absentem non denunciat Romano Pontifici (17). Adest aliud interdictum ab ingressu Ecclesiae, de quo supra (§ 390, XIII, in fine).

Predictis addendae adhuc sunt censurae sive pro Romani Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcumque Ordinum, etc. (V. § 389).

Pro Romani Pontificis electione (V. § 390, XIV).

Pro interno regimine. Ut ecce excommunicatio lata adversus eos, qui violant clausuram (18); qui mutant habitum (19); qui retinent arma intra septa monasterii sine licentia Praelati (20); qui non denunciat suos subditos haereticos vel suspectos de haeresi (21); qui habitum dimittunt (22); licet apostatae, vel fugitivi, lex non distinguit, et ne commodum ex iniquitate reportent; qui adeunt Curias Principum, ut suis Praelatis, vel Monasteriis damnum aliquid inferant (23). Non item suspensio ab exercitio Pontificalium lata in eos, qui evecti ad dignitatem Episcopalem non servant sui Instituti Regulas, *quae Pontificale officium* non impediunt (24). Nec ut puto, quae pertinent ad rerum administrationem, vel ad tuenda aliorum iura, ut puta excommunicatio lata adversus eos, qui concedunt laicis

(16) Sess. XXIV, *De Regul. et Mon.*, Cap. 17.

Iuverit nunc obiter indicare suspensiones olim in iure statutas contra male promotos ad ordines. Itaque ante Const.nostram ab ordinibus male susceptis suspensi erant, 1° regulariter *in iniuriam ordinantis* ordinati ab Episcopo non suo, vel sine titulo, vel extra tempora (C. 1, Dist. 70; C. 14. *De Tempor. Ordin.*); 2° quia nemo dat quod non habet (executionem ordinis),ordinati abEpiscopo nominatim excommunicato, vel suspenso, vel interdicto; vel ab eo qui et loco et dignitati renunciaverat; 3° ex parte *ordinati*, qui ante legitimam aetatem aut per saltum, aut simoniace, aut irretitus excommunicatione, obrepsit ad ordines. Hos omnes non irregularitati, prout quidam incaute docuerunt, verum suspensionis obnoxios fuisse, tenuere vel ipsimet Salm. (10, 8, 73) et S. Alph. (VI, 799; VII, 160, 381). Sunt et aliae quae, utrum suspensiones sint an irregularitates, non plane convenit; de his in Tract. sequenti.

(17) Sess. VI, *R.*, 1.

(18) Gregor. XIII, C. *Inscrutabili*, C. *Ubi gratia*, S. Pius V, C. *Decori.*

(19) C. 2, *Ne Cler. vel Monach.*

(20) Clem. I, § 9, in fi. *De Stat. Monach.*

(21) Paulus V, C. *Romanus Pontifex.*

(22) C. 2, *De Cler. vel Monach.*

(23) Clem. I, *De Statu Monach.*

(24) Ben. XIII, C. *Custodes.*

reditus Monasterii (25); vel usurpant decimas Ecclesiarum (26); vel aliis persuadent, ut sepulturam eligant in suis Ecclesiis, voto aut iuramento interposito; vel ne mutent electam (27).

Explicit recensio censurarum, quae nunc vigent, l. s. Quando autem ex his quoque non omnes (demptis excommunicationibus) dici possunt censurae stricta significatione, sed quaedam mere *poenae* sunt, quaedam *privationes* tantum (§ 357), cum harum violatio secum irregularitatem non trahat (§ 358), consultissimum duxi quaenam eae sint paucis ostendere. Sunt igitur quae latae sunt I. in insontes (§ 394, VI): vel II. in personas morales, idest Capitula, monasteria (§ 394, I), Universitates, Collegia (§ 395, I): vel III. in singulos quidem, sed aut in perpetuum (§ 394, V), aut ad beneplacitum (ibid. VII). De his tantum non satis convenit, quae latae sunt in diem certum, puta ad annum (ibid. III, IV), vel triennium (ibid. II): nonnulli enim existimant, violantem censuras hujusmodi non fieri irregularem, quia magis poenae sunt quam censurae, cum recedant a ratione poenae medicinalis (28). Alii contra putant ex C. 1, *De Sent. et re Judic.* in 6° (29). Alii demum si latae fuerint *ab homine* illis, sin *a jure* his adhaerent (30). Haec sententia videtur verior; dummodo censura lata sit a jure *canonico*, a quo tantum irregularitates constitui possunt (31): nihilominus prima, si non verbis legis, at certe regulis juris melius cohaeret; et probabilis est vel ipsis contrariae sententiae patronis (32). Quamobrem, cum in odiosis versemur, non puto esse inquietandos eos, quibus arridet, nisi cum aliud in jure canonico fuerit expressum.

APPENDIX.

CIRCA ABSOLUTIONEM A CENSURIS RESERVATIS.

398. Porro a censuris *quibuslibet* R. P. reservatis hodie nullus omnino potest absolvere, cuiusvis Ordinis, Instituti, Societatis; sublatis privilegiis *quibuscumque etiam specialibus*, *comprehensis vel*

(25) Clem. I. *De Reb. Eccl. non alien.*

(26) Clem. I, *De Decim.*

(27) Clem. III, § ult., *De Poenis.*

(28) Villalob., Gabr., Avil., apud Salm., 10, 5, 13.

(29) Suar., 25, 2, 4; Bonac., *De Susp.* Disp. 3. Quae. 4, Prop. 1, n. 6; Salm., *l. cit.*; Diana; Pal., Filiucc., etc. Verum Suar., ex cit. C. I, et Bonac. ex eo, et ex C. 1. De *S.E.* in 6° (in quo manifeste decipitur), tenent, ex violatione cujusvis suspensionis, etsi babeat vim solius poenae, irregularitatem oriri, quod aut falsum est, aut oppido incertum.

(30) Ronc., et S. Alph., VII, 314.

(31) Suar., 40, 4, 12; Salm., 10, 7, 3.

(32) Diana, Salm., 10, 5, 3; S. Alph., *l. c.*

non in corpore iuris, aut quavis confirmatione Apostolica aut consuetudine etiam immemorabili roboratis (1). *Dummodo* ait Pontifex, *non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint* (2). Et firma facultate a Trid. Synodo Episcopis concessa Sess. XXIV, C. 6, De Reform., *in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac Constitutione reservatis* (nempe occultis et ad forum contentiosum nondum deductis); *iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicae Sedi speciali modo reservatas declaravimus. Nec in novis quibuscumqne concessionibus, ac privilegiis, quae ab Apostolica Sede concedi cuivis contigerit, nullo modo ac ratione intelligi, unquam,* ait idem Pontifex, *debere aut posse comprehendi facultatem absolvendi a casibus et censuris quibuslibet Romano Pontifici reservatis, nisi de iis formulis, explicita ac individua mentio facta fuerit.* (Quoad cetera V. §§ 344-350).

(1) C. *Apost. Sedis,* § *A quibus,* et § *Ceterum.* Ideoque nec Praelati Regulares ab his amplius absolvere possunt (S. Poenit., 5 dec. 1873): licet reservatis *simpliciter* tantum (S. U. I., 22 mart. 1881). Scilicet consurae insertae in Const. *A. S.,* perinde haberi debent, ac si ab ea *primum editae fuerint* (§ 389): ideo anteriores contrariae consuetudines ne intelligi quidem possunt; etsi vel tantum indirecte censuras sustulerint, abrogaverint; v. c., ut sola Ordinarii venia, bona ecclesiae alienari, aut moniales e suis monasteriis egredi possint (S. U. I., 22 decembris 1880).

Ait Const. cit. § *Ceterum* – A QUIBUSLIBET *censuris R. P. r.* –, nempe in hac Const.; nam loquitur in subiecta materia (Ex L. 23, *De Legib.*). Sane quod ad ea quae extra hanc Const. in suo robore permanserunt pro interno regimine Ordinum, et Institutorum regularium; *sive in genere, sive particulariter in Ordines et Instituta singularia constitutae* fuerint, nihil innovatum fuisse, declarati iuris est (S. U. I., 22 mart. 1881). Neque haec pertinent ad censuras a R. P. Ordinariis locorum reservatas (S. U. I., *l. c.*).

(2) Ex *B. C.,* § 20, v. *Ceterum.* Quae id caverat nominatim. Ceterum dubitandum non est, inferiores confessarios absolvere quandoque posse ab omnibus censuris R. P., eoque magis Ordinariis reservatis, prout in §§ 349, 349 bis.

TRACTATUS VII.

DE IRREGULARITATIBUS

SECTIO I.

Communia de irregularitatibus (1).

CAPUT I.

DE IRREGULARITATIS DEFINITIONE, NATURA, ET VI.

399. Irregularitas definitur: – impedimentum ad ordines suscipiendos, et per consequens ad eos exercendos, iure canonico introductum (2). Dicitur *impedimentum*, eo quod nec in poenam, nec propter spiritualem medicinam inventae sunt irregularitates, sed propter reverentiam, et dignitatam divini ministerii (3). Et ideo nec poenae sunt, nec censurae, sed quaedam *maculae-notae* sunt, ex quibus oritur quaedam quasi inhabilitas ad sacra obeunda (4). Et quia ad

(1) Vox parum latina (ab Innoc. III, in C. 10, *De Renunciat.* primum, uti videtur, usurpata) significat aliquid alienum a regula, prout *incivile* alienum a iure civili (L. 24, *De Legib.*). Porro *regula* (graece *canon*) in veteri disciplina erat catalogus clericorum qui aliquo *Titulo* (ecclesiae) erant adscripti; quique idcirco *canonici* dicebantur (V, Selvag., *Antiq. Christ.*, Lib. I, Cap. II, § 9); et quem nos irregularem, veteres *alienum a regula* – *alienum a canone* – appellant.

(2) Ex Suar., *De Censur.*, 46, 1, 2; Laym., *h. t.* (*De irregularit.*), Cap. I, n. 1; Filiucc., 19, 2; Salm., 10, 7, 1. Definitio irregularitatis apud veteres incerta, et varia; adeo ut Maiolus existimaverit difficile esse veram irregularitatis definitionem tradere (V. Sayr., VI, 1, 16). Qui paullo ante Suaresium scripserunt, eam definiebant — *inabilitas suscipiendi et exercendi ordines* (Covarr., in C. *Si furiosus*, pr.; Sayr., n. 19; Tolet., 1, 52, 1). Haec definitio est, ut minimum dixerim, controversiis obnoxia. Dolendum est, multos ex recentioribus in ea tradenda ad Suaresianam definitionem (quae omnium accuratior est, et a gravioribus TT. recepta fuit) parum respexisse. Mentionem beneficii libenter equidem detraxissem, sed veritus sum, ne forte omnium primus.

(3) Bonaci., *h. t.*, Quae. I, P. I, n. 2. *Communissima.*

(4) Armilla, v. *Irregularitas*, pr.; Laym., Cap. I, n. 4. Dixi *quasi inhabilitas*, quippe haec, quod ad ordines, non intelligitur (§ 87, n. 1); quod ad beneficia, nusquam in iure canonico expressa est: *Irregularitas non est impedimentum inhabilitans, aut irritans, sed prohibens* (Suar., 40, 2, 1; S. Alph., VII, 343).

haec obeunda deputamur per sacros ordines, irregularitas ab his *suscipiendis* nos prohibet; sive, ut veteres aiebant, *arcet a clero* (5); atque ideo, nedum ab omnibus ordinibus arcet, sed a tonsura (6), quippe per eam clero cooptamur. *Iure canonico:* scilicet multa ab his suscipiendis, vel exercendis prohibent etiam naturali iure, aut divino; haec, si in iure canonico comprehensa non sunt (idest, si ius canonicum non arceat ob ea nominatim ab altaris ministerio), neminem faciunt irregularem; sed vel indignum, vel inidoneum (quamquam plerumque irregularitates vocentur, significatione latâ, et minus propria): inde illud, de quo mox, velut axioma: - *nulla irregularitas incurritur, nisi in iure sit expressa* (7). Porro irregularitas, cum sit *macula-nota,* contrahitur ipso iure, licet verbis futuri temporis fuerit expressa: et nulla est irregularitas quae sententiam, vel tantum declaratoriam, desideret (8): licet forte occultissima (9). Et cum semel fuerit contracta, individua est, et (verius) perpetua (10): in-

(5) CC. 11, 13, Dist. 34. - *Arcet.;* idest, prohibet laicos, removet clericos; eo fere modo quo Ecclesia a se prohibet infideles, removet excommunicatos.

(6) Ex C. 14, Dist. 34; Bonaci., Qu. I, P. I, n. 4; Filiucc., 19, 49. *Communissima et certa.* Belle Scavini (*h. t.*, To. III, § 574): - *frustra ad ordines praeparatur qui ab ordinibus prohibetur.*

(7) C. 18, *De S. E.* in 6°. Non sunt igitur irregulares muti, caeci, mulieres, non baptizati. Porro quae lata, et minus propria significatione irregularitates dicuntur, illae sunt, quae profluunt vel ex aliquo seu animi, seu corporis defectu; vel ex delicto, quod *solius facti* infamiam parit, velut sodomia (Navar., 27, 249). Verum significatione *propria* (a qua nunquam regulariter) et *stricta* (a qua nunquam in odiosis recedendum est), ex illis magis INIDONEI dicendi sunt, ex his magis INDIGNI. Et gravis error est, simpliciter indignos permiscere cum irregularibus (ex delicto): nam irregularitas ad personae statum pertinet, indignatas non item: *illa* proinde contrahitur ex delicto, sive publico, sive occulto; reum sequitur ubique locorum; et sola Ecclesiae auctoritate deletur: haec, quia recidit in infamiam facti, non intelligitur, nisi ex delicto publico, (V. C. 6, *De Tempor. Ordinat.*); cessat quamdiu hoc latet; et, quod olim controversum fuisse testatur August. (in C. 23, Dist. 50), deletur poenitentia, et emendatione.

(8) Suar., 40, 4, a n. 8; Filiucc., 19, 37. Scilicet macula est, quae delicto, aut defectu cohaeret; qua qui sordet, prohibetur ad ordines admitti, eisve defungi. *Licet,* etc., (V. C. 7, *De Homic.*); v. c. *fiet irregularis* (Suar., *De Legib.,* V, 6, 21).

(9) Ex Trident XXIV, *R.,* 6. *Communissima.*

(10) Berardi, Cap. II, v. *Itaque.* - *Individua;* quia prohibet omnium ordinum susceptione, vel exercitio. Quae igitur, v. c., olim in minoribus tantum ministrare sinebat (C. 12, *De Homicid.*); quae hodie diaconis in solo diaconatus ordine, presbyteris in solo *sacerdotali officio* ministrare vetat (CC. 8, 12, *Eod.*), magis praecepta, et prohibitiones sunt quam irregularitates. - *Perpetua* (Suar., 40, 1, 7, etc.); quae scilicet sine dispensatione deleri nequit: *itaque impedimentum, quod absque dispensatione tolli; seu ipso facto cessare potest, non est proprie irregularitas* (Laym., Cap. IV, 10). Sane ir

dividua, quia irregularis non potest partim extra clerum esse, partim non esse; verius perpetua, quia ad clerum admitti aut reverti, praeterquam Ecclesiae auctoritate, nemo potest. Irregularitas, prout censurae, magis ad externum, quam ad internum forum pertinet.

400. Duo autem sunt genera irregularitatum, unum ex delicto, alterum ex defectu; et utriusque species multae. Utra vero sit, aestimari debet ex causa efficienti earum proxima (11). Ea igitur macula, quae contrahitur ex delicto proprio, irregularitas ex delicto est; quae non sic contrahitur, est irregularitas ex defectu (12). Nec una est utrarumque dissimilitudo. Nam, 1° illae instar poenarum habentur, hae non item; proinde illas delinquendo contrahimus, has inscii quoque, et inviti. Cumque fuerint contractae, 2° irregularitates ex delicto omni ordinum exercitio nos prohibent, irregularitates ex defectu non omni; nam quae profluunt ex defectu corporis vel animi (quae dicuntur irregularitates lata, et minus propria significatione) ab eo dumtaxat suscepti ordinis exercitio nos prohibent, quo rite ac recte defungi non possumus. Demum, 3° irre-

regularem vulgo nemo vocat eum, qui nondum aetatem canonicam habet, vel scientiam cuique ordini suscipiendo necessariam: et recte, eo quod alias nec *individua* esset. *Verius;* nam quidam aliud putant; quod probat, hoc non esse in iure expressum: satis id. Verum dolendum est, eos, quibuscum sentio, plerumque huius regulae oblitos, irregularitatibus accensere quae, v. c., tempore, emendatione, cessant; in his perpetuo Berardi, et nonnunquam vel ipse Suaresius. Sed, ut opinor, irregularitatem accipiunt significatione lata, et minus propria.

(11) Tolet., I, 52, 5; 53, 1; V. Sayr., VI, I, 26, 27. Nec audiendi sunt, qui irregularitates ex delicto dispescunt in eas quae profluunt ex delicto proprio, ut in homicida; et ex delicto alieno, ut in spurio; nam si spurius est irregularis ex delicto, eo magis irregularis esset pater (Tolet., cit. n. 2): *quia per quod unumquodque tale, et illud magis.* Quae igitur profluunt ex delicto alieno, aut ex defectu sunt (Tolet., I, 52, 6; S. Alph., VII, 430), aut non sunt irregularitates, sed impedimenta simpliciter.

Duplex hoc *genus* irregularitatum dumtaxat agnoverunt Panormit.; Hostien.; Toletus, I, 52, 5. Nec aliud admittendum est; et distinctiones, quae nonnulli confixerunt, irregularitatum in perpetuas et temporaneas, totales et partiales, irregularitatis naturae minus apte cohaerent. Sane prior illa divisio controversa est, et, in nostra sententia (n. 6), absona prorsus; posterior soli irregularitati quae profluit ex defectu corporis, vel animi, convenit; idest, solis irregularitatibus improprie dictis; et non ad ordines suscipiendos (quod irregularitatis solius proprium est), sed ad eos exercendos pertinet. At illa, forte unius Bonacinae, distinctio eorum, qui sunt irregulares, in vitandos et toleratos, absit verbo invidia, prorsus cerebrina est.

(12) Ex Trident., XXIV, *R.*, 6.

gularitates ex delicto, quamdiu sunt occultae, dispensari possunt ab Ordinario; irregularitates ex defectu non item (13).

401. Itaque irregularitas prohibet ordinum susceptione, nempe directe et *per se*. Deinde prohibet susceptorum exercitio; non omnium quidem, sed hodie eorum tantum, quibus laicis defungi non licet (14); sed solum indirecte et *per consequens*, nam directe et per se id praestat suspensio (15). Amplius quia *beneficium datur propter officium*, removet etiam, sed indirectius, et quasi *per accidens*, a beneficiis recipiendis, quibus adnexum est officium, quo irregulari defungi non licet (16): verum eis recipiendis, verius, non facit inhabilem, quia id nullo iure cautum est (17). Nec adimit ea

(13) Suar., 51, 1, 9, *Susceptorem;* nempe sive ante, sive post irregularitatem contractam: inde vulgo – *quod est impedimento ad suscipiendum ordinem, post susceptionem exercitium ordinis impedire* (S. Alph., VII). Quod de irregularitatibus tantum proprie dictis accipiendum est.

(14) Sayr., IV, 13, 11; Filiucc., 20, 212, *Communissima et certa.*

(15) Suar., 40, 1, 5; V. § 399, n. 10. Scilicet irregularis extra clerum (prout excomunicatus extra Ecclesiam) versatur; ideo caret mandato, quod per sacram ordinationem confertur, ad obeunda sacra ministeria (§ 89, n. 7): cui autem mandatum negatur, vel adimitur (v. c., emendi aut vendendi), is facto et reipsa prohibetur ea, quae mandatarii sunt, agere, gerere (v. c., emere-vendere). Quod sedulo animadvertendum est, propter nonnullorum veterum, et recentiorum sententiam, existimantium irregularitates et a susceptione ordinum, et ab eorum exercitio *pari modo* prohibere. Belle Sebast. Berardi (*I. E. U.,* Cap. II, v. *Itaque*, sub. fin.): *Dum indicitur irregularitas, non tam prohibetur irregularis, ne ad sacra ministeria accedat, quam Praelatus ne irregularem sacris officiis per ordinationem addicat.* Et rursus et plenius, *l. c.,* v. *Itaque.*

Ergo, dices, inepta est data § 399, irregularitatis definitio; nam si Episcopus irregularitatem contrahit, nihil praestat irregularitas neque enim eum removet a susceptione ordinum, quia eos suscepit; neque ab eis exercendis, quia irregularitas id non praestat directe et per se. Resp., definitiones, ut dialectici aiunt, *aptitudinem significare, non actum;* id est, quod res definita praestare potest vi et natura, non quod praestat in re praesenti: alias, v. c., essent extra definitionem hominis infans recens natus et idiota.

(16) Ex C. 7, *De Cler. excomm.;* S. Alph., VII, 343. *Per accidens;* ceu, v. c., per accidens a sacro faciendo prohibetur qui versatur in letali, si conteri nequeat. *Recipiendis;* nam quoad iam adepta, nullum ius intervertit *vi sua* (Ex C. 10, *De Excess. Praelat.;* Sayr., VI, 2, 24; S. Alph., VII, 342): nisi aliud in iure cautam sit nominatim, ut in C. 1, § 2, *De Homic.* in 6°. Itaque nemo cogitur ea dimittere, si officia beneficio adnexa per alium implere potest: et si non potest (forte quia personalia sunt), et ideo cogatur beneficium derelinquere, iustitia, non irregularitas, cogit (Suar., 40, 2, 18).

(17) V. Salm., 10, 7, 30, ubi late cum Silv., Laym., Palao, aliisque hanc sentent. tuentur contra Sayr, Suar., Less., Covarr., etc.; S. Alph. (VII, 343) fatetur, nos heic certo iure destitui; et nihilominus *hanc* posteriorem sententiam *communiorem* appellat, priorem *satis probabilem.* At, si nullo iure constat irritam

quae in tonsura fundantur, puta iurisdictionem (18); racitationem horarum in choro (19). Nec is qui violat irregularitatem ordinem exercendo, aliquam censuram, vel novam irregularitatem incurrit (20).

402. Porro *irregularitatis cognitio difficilis est, et perplexa* (21): et multi ex Nostris, et Canonistis, praesertim antiquioribus, irregularitates ex delicto interdum cum censuris, interdum cum depositione, saepius cum suspensionibus perpetuis (in quo et Recentiores quidam errant) incaute permiscent (22). Verum eas a censuris, et depositionibus secernere, facile est (23); a suspensionibus perpetuis interdum difficile; et praesertim ab his quae in ipsa ordinatione contrahuntur, quaeque proinde ab ipsa ordinatione irretitos tenent, quippe sunt eis simillimae (24). Alia ab aliis secernere maximi refert; primo quia suspensiones iurisdictionem intercipiunt, irregula-

esse, rata profecto est, etenim in iure cantum est, collationes beneficiurum, etsi iure prohibente, ratas esse; nisi expresse stantum sit, irritas fore (C. 6, *De Concess. Praeb.* in 6°) ut in cit. C. 1, *De Homic.* in 6°, et in C. 2, *De Haeret.* in 6°. Quid, quod sententiam hanc probabilem esse, ipsi contrariae sententiae patroni fatentur *fere omnes?* (Salm., n. 34). Quamobrem, cum irregularis possessionem eius coeperit, si per alium implet onera beneficii, fructus suos facit; quod nec Suaresius (40, 2, 41) diffitetur. Dices: in Trid. XXIV, *R.*, 2, cavetur, beneficia conferenda esse habilibus, alias provvisio *irrita sit.* Ita porro; sed irregularitates inhabilitates, propria significatione, dici nullatenus possunt (§ 399, n. 4), et Tridentinum inhabiles intelligit *incapaces,* et non solum indignos (Salm., n. 40; S. Alph., *l. c.*): alias si omnes collationes factae his, *qui aetatem, et ceteras habilitates integre,* ut ait Trident., *non habent,* irritae sunt, nulla prorsus collatio, quae aliquo vitio laboret, rata erit: *quod nimis probat, nihil probat.* Quid, quod verbum illud *irrita* SIT non demonstrat poenam latae sententiae? (§ 308, n. 18).

(18) Ex C. 18, § *Licet, De Excess. Praelat.;* CC. 17, 18, Dist. 34; Suar., 40, 2, nn. 12, 24. Proinde valide Episcopus confert beneficia, irrogat censuras, dispensat in votis; parochus interest matrimoniis; confessarius (sed is non licite) absolvit (Suar., n. 45; S. Alph., VII, 342).

(19) Salm., 10, 7, 18; 8, 69. Dummodo, aiunt, officiatorem non agat canendo *Dominus vobiscum,* quippe hoc solis diaconibus licet (S. Alph., VII, 358).

(20) Ex C. ult., *De Temp. Ordin.;* Navarr., 27, 194; Sayr., VI, 2, 26; Salm., 10, 7, 21. Puta, si diaconus, factus irregularis, ascendat ad sacerdotium, et celebret (Suar., 43, 3, 2), a peccatis absolvat (Suar., 40, 2, 26).

(21) Sayr., VI, 2, 1. *Perplexa* non *per se* quidem, sed quia permulti omnia susque deque verterunt, et vertunt.

(22) V. Suar., 31, 1, 13; Bonaci., *De Censur.,* Quae. I, P. 2, n. 12. Nempe ex CC. 1, 2, 3. *De his qui furt.;* et ex CC. 1, 2, *De Ordin. ab Epis. qui episc.;* V. Sayr., VII, 12, 1.

(23) Berardi, To, IV, *h. t.,* Cap. II, v. *Itaque.* Irregularitates, ut cetera praeteream, perpetuae sunt, censurae non item; irregularitates ipso iure contrahuntur, depositio iudicis officium desiderat.

(24) Suar., 31, 1, 8.

ritates non item; deinde quia hodie irregularitates constant ut ante, suspensiones non item; nam illae dumtaxat supersunt quae continentur in C. *Ap. Sedis*: non pigeat igitur hic immorari aliquamdiu.

403. Itaque, ante omnia, prudens theologus naturam ipsius irregularitatis, quae nihil aliud quam *macula* quaedam est, ob oculos habere debet: tum, si quid opinor, 1° *materiam* qua de agitur, probe dispicere, et, 2° *verba* legis, et, 3° *notas* irregularitatis animadvertere debet. Ex 1° igitur, non irregularitates, sed quidvis aliud esse tenendum est illas, quae arcent dumtaxat (V. § 401, n. 16) a beneficiis, vel dignitatibus ecclesiasticis (25); vel solo ordinum exercitio (cit. § 401, n. 15) nos prohibent (26); immo et illae quae prohibent quidem ordinum susceptione, verum non ob reverentiam divini ministerii (§ 399, n. 3), sed in poenam alicuius delicti (27), vel qua alia causa (28). Ex 2° si verba non arcent a clero (§ 399, n. 5) palam et manifeste, sed aequivoca sunt, vel ambigua, irregularitas exsulat; quia quod ambiguum, aequivocum est, non potest dici *expressum* in iure (29). Ex 3° demum, quia omnis irregularitas contrahitur ipso iure (§ 399, n. 8), et cum fuerit contracta perpetua est (cit. § 399, n. 10), irregularitas non est quae iudicis officium (30), immo vel solam notionem (31) desiderat:

(25) Tolet., I, 52, 1; Lugo *De Fide*, XXIII, 12. Ut ecce quae arcent a beneficiis filios haereticorum (CC. 1, 2, 3, *De Fil. presbyt.*). Non bene igitur quidam ex C..., *De R. I.* in 6° - *Infamibus portae non pateant dignitatum,* - eos prohibent quasi irregulares.

(26) Maxime si non ab omnium (V. § 399, n. 10), sed a solius ordinis male suscepti officio quem prohibent.

(27) Suar., 40, 8, 14. Ut puta in Tit. *De Ordinat. ab Episc. qui episc. ren.*

(28) Ut ecce, quae vetant coniugatum tonsuram, vel ordines recipere invita uxore (CC. 6, 8, *De Convers. Coniug.;* C. 4, *De Tempor. ordin.*); vel a non suo Episcopo (C. 11, *De Temp. Ordinat.;* C. ult., *Eod. tit.* in 6°; Ex Trident., VII, *R.*, 10; XXIII, *R.*, 10; Sayr., VII, X, 28, 36; Suar., 31, 1, 3); vel a suo in dioecesi aliena, inconsulto Ordinario (C. 7, Cau. 9, 2; C. 2, *De Temp. Ord.* in 6°; Ex Trident., VI, *R*, 5; Suar., 31, 1, 21).

(29) Porro irregularitates in iure HIS verbis significantur: - *Non fiat clericus* (Can. Apost. 78) - *non admittatur ad Clerum* (C. 13, Dist. 34) - *non ordinetur* (C. 1, *De Cler. non ord. min.*) - *ad sacros ordines non aspiret* (C. 9, Dist. 34), vel - *aspirare non audeat* (C. 3, Dist. 55). Suspensiones HIS: - *Executionem officii,* vel *ordinis non habebit* (C. 1, *De Ord. ab Episcop. qui episc.*) - *careat ordine* (C. 9, Dist. 50) - *cesset a Clero* (C. 1, Dist. 48) - *irrita habeatur,* vel, *irrita sit ordinatio* (C. 108, Cau, 1, 1; V. Berardi, *I. E. U.*, To. IV, *h. t.*, Cap. II, pr.).

(30) Suar., 40, 8, 14; Filiucc., 19, 46. E. g., cum dicitur - *deponatur* - vel - *eiiciatur a clero* - ut in CC. 1. 2, 3, Dist. 47 - *a clericalibus officiis abstinere cogatur* - ut in C. 2, Dist. 88.

(31) Suar., n. 5; et 47, 5, 4. - V. c., - *Convictus duobus, vel tribus, testibus, cesset a clero,* (C. 1, Dist. 48) - *Si quis inventus fuerit usuras*

quae autem poenitentia deletur, saltem quia dubia est, irregularitatibus non est accensenda (32).

CAPUT II.

QUINAM IRREGULARITATES CONSTITUERE, CONTRAHERE ET DISPENSARE POSSINT.

404. *Nulla irregularitas incurritur, nisi in iure sit expressa* (1) IN IURE, nempe canonico (2), a quo initium et statum coepit. Ergo nec est, nec potest esse a consuetudine (3), nec ab alio iure ecclesiastico, nec ab homine (4). EXPRESSA; idest manifesta, certissima: ex hoc capite, duo palam apparere debent; nempe, et in iure comprehensam esse, et irregularitatem esse, non quidvis aliud. Quamobrem quoties res dubia est, irregularitas non intelligitur: seu dubium sit, utrum irregularitas, de qua agitur, in iure comprehensa sit, quod nemo ambigit (5); sive utrum sit irregularitas, an suspensio, vel depositio, vel quid aliud; quod manifestam rationem

accipere, alienus existat a regula (C. 2, Dist. 47; adde C. 5, Cau. 23. 8).

(32) Ex C. 1, *De Corp. Vitiat.;* C. Ult., *De Tempor. Ordin.;* Ex Bonaci., Quae. I, P. 2, 11; Navarr., 27, 191.

Quidam hanc reg. tradunt: irregularitates esse, quae in iure canonico *dispensari,* suspensiones, quae *absolvi* dicuntur: sed non est perpetua (V. Trid., VXIV, *R.,* 6; Suar., 3, 1, 18; 40, 1, 10); nam in iure irregularitates, praesertim ex delicto, nonnunquam absolvi dicuntur (Sayr., VII, 14, 19); ideo Filiucc., 19, 58, hanc regulam dubiam putat: et iure prorsus.

(1) C. 18, *De S. E.* in 6°; Suar., 40, 4, 1; S. Alph., VII, 345.

(2) Suar., n. 11. *Et est omnium sententia* (Bened. XIV, *De Syn.,* XII, 3, 7). Scilicet, interest Ecclesiae universae, eamdem esse ubique hac in re disciplinam, nec in una Provincia ad sacrum ministerium admittere, qui in alia prohibetur; et contra. Et omnes in Decretalibus continentur; in Extrav., in Conc. Trid., in Constitutionibus Pontificiis, nulla (Suar., n. 14; 5, 7).

(3) Giballin, Cons. 4, Concl. 3; Bonaci., Quaest. 1, P. 2, n. 3; Filiucc., 19, 34; Salm., 10, 7, 8. Nisi forte consuetudo ius interpretata fuerit (S. Alph., VII, 345). Nihilominus Reiff. (V. 37, 67) putat, *aliquas irregularitates communi DD. consensu, et diuturna ecclesiastica consuetudine fuisse introductas.* Verum quod ait de *DD. consensu* mihi displicet, quia *nullius* Theologi vel Canonistae, licet summi, auctoritas sufficit ad probandam irregularitatem sine lege (ad Suar., 42, 3, 9; 45, 2, 2). Quod de consuetudine nempe universae Ecclesiae, licet non improbabile sit (Ex Clem., 3. *De Aeta., et qual., etc.*). alienum videtur a cit. C. 18, *De S. E.* in 6°; et est perdifficile: quis enim testari potest, consuetudinem receptam esse ubique locorum?

(4) Suar., 50, 4, nn. 10, 11; Salm., 10, 7, 5, 7; Schmalz., V. 37, 69.

(5) Tolet., I, 52, 7; S. Alph., VII, 346. Et contraria nonnullorum veterum sententia Suaresio *incredibilis* visa est (Suar., 40, 5, 18), V. c., utrum sit irregularitas, an suspensio (V. § 412).

continet: ut puta, si aliqua nota ei cohaereat, quam irregularitati convenire TT. alii affirmant, alii negant; ut ecce, si non est perpetua; si per poenitentiam et emendationem deletur (§ 403, n. 32); nam quod inter TT. controvertitur, non potest dici manifeste expressum in iure. Quae autem nullam, quod ad haec, dubitationem recipiunt, *non excedunt*, ut cetera odiosa, *proprium casum* (6); et in proprio casu strictissimam interpretationem desiderant (7). Et haec *in abstracto;* sed et *in casu concreto*, factum ex quo oritur irregularitas, certum esse oportet (8), ut alias (§ 300, n. 1): proinde si dubium est cessat irregularitas seu negativum sit dubium, quod planum est; seu positivum, quod est communius (9), et verius (10). Nihilominus, si dubium sit positivum, et grave, non licet ordinem suscipere, vel exercere, nisi re prius explorata, ut

(6) Suar., n. 13; S. Alph., VII, 347. Et ideo nunquam producendae sunt ad alios casus, v. c., a rebaptizantibus ad eos qui iterum confirmant, iterum ordinant; secus ac olim existimarunt S. Antonin. et Navarr. (27, 217), ab aliis merito reiecti (Suar., 43, 3, 6); licet graviores (v. c., a vetito exercitio ordinum ad sodomiam), prout Covarruv. aliique merito ab omnibus explosi (Diana, To. V. Tr. Res. 37).

(7) Ex C. 9, *De R. I.* in 6°; Suar., 40, 4. nn. 15, 16. Et nedum nulla irregularitas, sed nec ullus effectus irregularitatis est admittendus, qui in iure non sit expressus (Reiff., V. 37, 94): absurdum quippe est *certum* effectum causae *incertae* tribuere.

Et nihilominus nulla ex his regulis praesertim a veteribus, non pessumdata est. Nam hi passim, recentiores non infrequenter, vel depromunt irregularitates ex statutis conciliorum provincialium, congestis in Decreto Gratianeo (satis hercule confidenter); vel eas producunt de casu ad casum, de persona in personam. Qua in re antiquiores plerique adeo progressi sunt, ut de irregularitatibus producendis regulas constituerint: v. c., quo facto quis alium facit irregularem (v. c., si ei fregerit crura, si lumen oculorum ademerit), *eo* ipso irregularem evadere (V. Sayr., VI, 14, 7; Navarr., 27, 207). His eos adde, nec infimae notae, qui inter duas sententias constituti, quarum altera affirmat, in hoc vel illo casu irregularitem subesse, altera negat, plerumque nutant; nec raro in sententiam affirmantem discedunt.

(8) S. Alph., VII, 347; V. § 300, n. 1.

(9) Salm., 10, 7, 46.

(10) Ex C. 5, in fi., *De Cleric. pugnant. in duel.* Omissa sententia Navarri (27, 193) sine ullo prorsus iure *existimantis*, in dubio irregularitatem contrahi in foro interno dumtaxat. Nec obstant CC. 20, 24, *De Homic.*, quibus cautum est; homine occiso, ei qui dubitat an ipse illum occiderit, abstinendum esse ab altaris ministerio, *quia in dubiis tutior pars est eligenda.* Hac ratione freti, quidam censent, in aliis quoque casibus idem iuris esse, quippe eadem est ratio (Sayr., VI, 2, 16; Concina, Tournely, etc.): sed alii melius putant, his CC. 20, 24, exceptionem contineri, quae magis firmat regulam in contrarium (Suar., 40, 6, 8; Salm *l. c.;* Schmalz., V, 37, 86). Quamobrem eo redit quaestio, utrum quod in iure cautum est de homicidio, ad ceteros quoque casus pertineat; atque ideo recidit in dubium iuris (S. Alph., VII, 347, d. 2).

alias (§ 317, n. 69), et deposito dubio (11); nisi forte ex mora inquisitionis grave damnum metuendum sit (12). Verum quia in his casibus (V. § 231, n. 9) dispensare potest Episcopus (13), consultius est ab eo dispensationem petere, ne irregularitas obsit, si postea forte apparuerit revera contractam fuisse.

405. Irregularitatis capaces sunt hi solum, qui sunt capaces recipiendi ordines, ideoque viri baptizati dumtaxat (14). Et hi sunt obnoxii irregularitatibus omnes prorsus, sive laici, sive clerici; Episcopi quoque, et Cardinales S. R. E., licet in iure non exprimantur (15). Nec unam tantum irregularitatem contrahere quem posse, sed plures, exploratissimi iuris est. Multiplicantur autem ex actibus, vel obiectis specie diversis; velut ex homicidio, et iteratione baptismi; ex defectu natalium, et ex defectu libertatis. Quaesitum est, an multiplicentur ex actibus repetitis eiusdem speciei? Et ex repetitis in eodem subiecto non multiplicari (V. § 63, n. 16), communissima sententia est; ex qua licet intelligere, multiplicari ex repetitis in alio subiecto (16).

406. Irregularitates auferuntur, ut generaliter dixerim, sola dispensatione R. P.; et quae contractae sunt ex delicto, non dolentur poenitentia, vel emendatione patrati criminis (17), quia non sunt poenae. Episcopi vero in irregularitatibus publicis regulariter, nihil

(11) Suar., 40, 5, nn. 8, 10; Salm., 10, 7, 42; S. Alph., 346. Alias, si revera subest, incurritur (Suar., *l. c.*, n. 8; XI, 3, 8; Salm., 10, 8, 66); scilicet ubi non deest culpa letalis, irregularitas excusationem non habet.

(12) Suar., 40, 5, 13; Salm., 10, 7, 43; S. Alph.. VII, 346. Dixi, *nisi*, etc., v. g., si, dum expenditur dubium, occasio suscipiendi ordinem, nanciscendi beneficium ecclesiasticum, praeteriret (Schmalz., V, 37, 78; Salm., 42; S. Alph., *l. c.*; V. Suar., 40 5, 11).

(13) Fagnan., in C. *Veniens*, n. 7, *De Fil. Presbyt.*; S. Alphons., VII, 400. V. c., an contraxerit irregularitatem, qui sciens volens periculo se exposuit, in quo constitutus interemit invasorem, ne occideretur (V. § 305, n. 25); vel rebaptizavit infantem, de quo graviter dubitatur, an unquam, vel an valide baptizatus fuerit.

(14) Suar., 40, 7, 6; Laym., *h. t.* (*De irregular.*), Cap. 1, u. 1.

(15) Suar., cit. n. 6; Salm., 10, 7, 10.

(16) Sanch., *M.*, VIII, 24, 7; Salmant., n. 61; S. Alph., VII, 353. Puta, si pluries aliquem – aut plures – rebaptizaveris. Proinde, I. qui suspensus infantem rebaptizavit, et dein celebravit, petens dispensationem, utrumque exprimere debet. II. At si pluries dein celebravit, satis erit dicere, se pluries celebrasse, immo celebrasse (S. Alph. *l. c.*) irretitum censura. III. Si *duo commisit homicidia*, quia *duas irregularitates incurrit* (Suar., 44, 3, 28), utrumque exprimere necesse habet.

(17) Salm., 10, 7, 56; Suar., 41, 1, 5. Eoque minus quae contractae sunt ex defectu; quae nec instar poenarum sunt. Nec distinguitur, utrum eas contraxeris culpa tua, an minus (Ex CC. 1, 2, *De Fil. Presbyt.*; Trident., XXIV, *R.*, 6; Suar., 50, 5, 4; Salm., 10, 9, 54).

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

possunt. In occultis dispensare possunt in irregularitatibus ex delicto, excepta ea quae oritur ex homicidio voluntario, et ad forum contentiosum nondum deducto (18): in irregularitatibus ex defectu, vel occulto, non item, praeterquam ex causa graviori et urgenti (19): nempe ad ordines suscipiendos, sic et simpliciter; ad exercendos, ut reor, sub ea conditione, ut is qui irregularitate laborat, recurrat quamprimum ad Sedem Apostolicam. - Verum quia dispensare possunt in omnibus irregularitatibus dubiis, ut diximus, quoties probabiliter disputatur ultro citroque, utrum aliqua irregularitas sit ex defectu, an ex delicto (occulto inquam), dispensare eos posse, maxime si qua iusta causa id suadeat, indubium puto. At inferiores confessarii in irregularitatibus nihil possunt, ne in iubilaeo quidem; nisi potestas eas dispensandi, vel absolvendi, ipsis mandata fuerit *nominatim* (20).

407. Qui pluribus irregularitatibus praepeditur, prout is qui pluribus censuris irretitus est, dispensari potest vel ab una earum tantum, vel a pluribus, vel ab omnibus (§ 337). Qui vero dispensationem petit, necesse habet singulas earum species exponere; et uniuscuiusque speciei recensere actus numerum earum augentes (§ 405, n. 16). A quibus autem dispensatus fuerit, si non omnes exposuit, petendum est ex intentione dispensantis; et, si haec non appareat,

(18) Trident., XXIV, *R.*, 6. Nihilominus de eo qui recepit ordinem b. f., cognita postea irregularitate, utrum Episcopus dispensare eum possit, non satis convenit; Suar., Salm. (*ll. cc.*), et S. Alph. (VII, 431) negant, quia Trident. non distinguit: alii et gravissimi et sane multi, in his Navarr., Laym., Henriq., Salas. ap. Salm. (*l. c.*) affirmant, quia ordinatus ius acquisivit ad ordinem exercendum. Haec ratio futilis est, quia bona fides excusat a peccato, rei veritatem et (*per se*) ius non mutat. Nihilominus V. § 80.

(19) Sayr., VI, 2, 11; ibiq. Cordub., Castro, Philiarch.; Salm., 10, 8, 16. Et si eiusmodi irregularitas est, quae sine gravi periculo manifestari non potest, velut ex homicidio, dispensatione non eget (Navarr., 27, 239). Porro Episcopum heic accipio, si agitur de ordinibus suscipiendis, eum cuius est ordinare (Cf. C. 3, *De Tempor. Ord.* in 6°, et S. C. C., ap. Suar., 41, 2, 10); et non quasi domicilii, uti censuit Sanch. (*M.*, III, 23, 12). Quod ad Regulares, V. S. Alph., VII, 355.

(20) Suar., 41, 1, 1. Nec sufficit data eis potestas absolvendi a censuris, vel a casibus reservatis, quippe irregularitates nec censurae sunt (Salm., 10, 7, 65, 66), nec casus (Laym., Cap. IV, nn. 3, 10) reservati.

Addunt, irregularitates auferri quoque professione religiosa, et baptismo. Verum *illa* ea sola aufertur, quae oritur ex defectu natalium, et ex ordinatione (sed V. § 412, n. 40) furtiva (Suar., 41, 1, 3). *Hoc* solae irregularitates ex delicto tolli dicuntur, non item irregularitates ex defectu; nempe quia peccata, non defectus nec vitia naturalia baptismo delentur. Sed minus proprie heic loquimur, quia ante baptismum irregularitates non intelliguntur.

dispensatus non intelligitur ab his quas reticuit (21). Data autem dispensatio neque restrictivam, neque extensivam interpretationem recipit, sed declarativam tantum (§ 234, n. 34) Nihilominus ea semper tacite concessa intelliguntur, sine quibus dispensatus dispensatione uti nequiret (§ 76, n. 45): ac proinde dispensatus, v. c., ad subdiaconatum recipiendum, ad minores quoque ordines recipiendos dispensatus intelligitur (22). Ipsa vero dispensatio nulla indiget certa forma verborum (23): immo dari potest re quoque et facto (§ 233, n. 23); ut ecce, si Episcopus irregularem ex delicto, occulto ordinaverit sciens volens, vel ei dimissorias concesserit (24).

408. Est igitur duplex genus irregularitatum: ex delicto et ex defectu. Ab utrisque secrevi eas, quae ex utroque capite consistere possunt; et eas quae oriuntur ex delictis quibus cohaeret infamia, quia incertum est, utrum accensendae sint his quae ex delicto oriuntur, an his quae oriuntur ex (famae) defectu; de quibus proinde seorsum agendum erit. Porro non semper explorati iuris est, utrum aliqua irregularitas sit ex delicto, an ex defectu; quoties igitur utrumque est probabile, tenendum est eam esse ex delicto; quia et difficilius contrahitur, et facilius dispensari poterit. Nunc singulas ingrediamur. Sed ante omnia iuverit meminisse, antiquiores TT. (inter quos eminet Maiolus) in irregularitatibus recensendis fuisse quam effusissimos: et licet posteriores Canonistae ac TT. plurimas earum pedetentim abraserint, nihilominus adhuc nonnullae supersunt a iure canonico violenter detortae. Nobis certum est iuri inhaerere, et a receptis (superius recensitis) interpretandi regulis, ne latum quidem unguem discedere.

(21) Suar., 41, 3, 2. Verum, si dispensatio petatur ad ordines exercendos, haec sententia durior videtur; sed puto heic locum esse posse regulis, quae circa casus reservatos a Nostris traditae sunt (§ 353); atque ideo dispensatum fuisse ab omnibus quae oblitus reticuit; excepta ea quae oritur ex homicidio voluntario, quippe cum specialissima sit (Trid., XXIV, *R.*, 6), eodem iure, quo ceterae, aestimari non debet.

(22) Suar., 41, 3, 3; V. § 76, n. 45.

(23) Suar., 41, 3, 5; V. S. Alphons., VII, 353.

(24) Suar., 41, 3, 3; V. § 233, n. 23.

SECTIO II.

De singulis irregularitatibus.

CAPUT I.

DE IRREGULARITATIBUS EX DELICTO.

409. Irregularitates ex delicto sunt instar poenarum (1). Ideo ex uno capite non contrahuntur, nisi ex delicto vero (2), admisso ex animo (3), consummato (4), et gravi (5); gravi, inquam, actu tum interno, tum externo (V. § 311), quamvis prorsus occulto (6). Ex altero vero ab eis, prout a ceteris poenis, excusant metus (7), et ignorantia, seu facti, seu iuris canonici (8); immo et irregularita-

(1) Suar., 45, 3, 3. Et quasi poenae gravissimae sunt (Cornej., Avila, Bonac.; Salm., 10, 8, 44). *Instar;* primo quia, non in poenam, nec in odium alicuius statutae sunt; sed suapte natura sunt impedimenta: proinde si, v. c., R. P. abrogaret legem, quae rebaptizantes facit irregulares, irregularitas antea ex hoc delicto contracta (secus ac poenae, et censurae) evanesceret (Suar., 41, 1, 7). Deinde magis beneficium, favorem adimunt, quam poenis delinquentem afficiunt (V. § 305, n. 2); et ideo nonnunquam ob culpam quoque civilem contrahuntur. Non bene igitur quidam, in his Sebast. Berardi, eas vere poenas esse pronunciant.

(2) Salm., 10, 8, 66; V. § 296, n. 3. Itaque si, v. c., quis falso putans Seium baptizatum, vel se censura irretitum esse, baptizat, consecrat, non contrahit irregularitatem (Salm., *l. c.*).

(3) Silvest.; Navarr., 27, 193; Sayr., VI, 2, 17; Suar., 11, 3, 14. Ideoque proprio, non alieno (V. S. Alphons., VII, 348). Verum, quae ob solam culpam civilem irrogantur, sola culpa civili contrahuntur, ut in C. ult., *De Homic.* in 6°.

(4) Suar., 40, 3, nn. 5, 13; Salm., 10, 7, 13; S. Alph., VII, 348. Non fit igitur irregularis qui hominem mortaliter vulneravit, si ille ex miraculo convaluerit (Sayr., VI, 2, 30).

(5) Suar., 40, 3, 17; Salm., 10, 7, 12; S. Alph., VII, 348, 377. Ideoque non casu admisso, nec culpa civili (§ 297, n. 19), sed *culpa lata cum peccato mortali* (S. Alph., VII, 382). Ex quo recte inferunt Diana (To. V, Tract. V, Resolut. 35) et apud eum Avila, Praeposit., Villalob., Hurtado, non incurrere irregularitatem diaconum in choro hebdomadarium agentem, si canat *Dominus vobiscum*, contra Suar., Filiucc., etc., quia culpa levis est (Dia., Resol. 36), contra Navarr. et Maiolum existimantes irregularitatem contrahere, si id dicat etiam dum officium privatim recitat!!

(6) Ex Trid., XIV, *R.*, 7; XXIV, *Ref.*, 6; Sayr., VI, 2, 19; Suar., 31, 1, 68; Salm., 10, 7, 16; S. Alph., VII, 349, 415. Nec obstat C. ult., *De Tempor. Ordinat.*, quo hoc de solo homicidio caveri videtur, quia Rom. Pont. ad quaesita respondit (V. § 346, n. 12).

(7) Suar., 31, 1, 60; Bonac., D. 7, Q. 3, P. 5, n. 1.

(8) Ex C. 2, Dist. 82; C. 9, *De Cleric. excomm. min.*; Suar., 40, Sect. 5, 6; vel inadvertentia (V. § 318, n. 82; Duardo, Lib. I, Cap. 2, q. 5, n. 28; S. Alph., VII, 350). Ideo qui hominem, v. c., occidit, ignorans homicidium legibus Ecclesiae quoque prohiberi, non fit irregularis (V. S. Alph., 350, v. *Idem*).

tis (9), quia est quasi poena extraordinaria (§ 318, n. 84); quae, etsi forte non verior, at certe, et vel ipsis contrariae sententiae patronis, satis probabilis sententia est (10). Verum, quia non est poena medicinalis, et deformitas ex ea contracta infecta fieri nequit, non excusat poenitentia patrati delicti post illud admissum, et ante effectum sequutum (11); secus ac in censuris, quae sine *contumacia* non contrahuntur. At vero irregularitas, in nova disciplina, non contrahitur ex quovis delicto, quamvis enormi; sed ex sola iteratione baptismi, ex vetito exercitio ordinum, ex bigamia similitudinaria, et ex mutilatione vel homicidio (12).

410. Ex iteratione baptismi fit irregularis qui rebaptizatur adultus (13), qui ministrat rebaptizanti (14), ideoque et is qui rebaptizat (15). Sed opus est baptismo: 1° *vero* ac *perfecto;* hac re non contrahitur si quid valori eius desit (§ 298, n. 28); seu materia, seu forma, seu intentio suscipientis, vel conferentis (16); atque ideo, nec si alteruter conditionem serio apposuerit, *si non sum,* vel, *si non es baptizatus* (17). Et, 2° *publico* (18): at vero publicum alii *notorium* accipiunt (19), alii *solemne* (20): ergo irregularitas non intelligitur, nisi ex notorio utroque, idest dato, et iterato; atque *hoc* praeterea solemni (21). Haec irregularitas prohibet a sola ordinum

(9) S. Alphon., VII, 351. Quam tenent Silvest., Navarr., Ronca., Sanch., Sayr., Duard.

(10) Suar.; Salm., 10, 7, nn. 54, 56; S. Alph., VII, 351. Quae probabilitas saltem eo spectat, ut ab Ordinario, remoto scandalo, dispensari possit.

(11) Suar., 41, 1, 5; 44, 3, 5; S. Alph., VII, 368; V. § 318, n. 85.

(12) Reiff., V, 37, 68. Quidam addunt, et ex haeresi, aliisque delictis, quae infamiam pariunt: sed de his propediem.

(13) C. 65, Dist. 50; Sayr., VII, 8, 9; Filiucc., 20, 165.

(14) C. 2, *De Apostat.;* Sayr., n. 26.

(15) Navarr., 27, 246; Sayr., n. 3; S. Alph., VII, 356. Dixi - *ideoque,* quia sententia est recepta ex interpretatione *omnium DD., nemine dempto* (Salm., 10, 8, 59).

(16) Sayr., VII, 8, 17; Filiucc., n. 179; Navarr., 246.

(17) Giballin., Cap. IV, Cons. IV; Pirhin., V, 9, 13; Reiff., V, 18, 69; Bonac.; Croix, VII, 483; Salm., 10, 8, 61; S. Alph., VII, 356. Licet is qui utitur conditione, peccet graviter (Suar., 42, 2, 1). *Serio;* atque ideo, si aliqua subsit ratio dubitandi, etsi non gravis. Quid, si futilis aut prorsus nulla, an prosit, in eo casu, sive rebaptizanti, sive rebaptizato haec conditio? Affirmant multi, in his Navarr., Henriq., Suaresius, quia non vult: negant alii, in his Soto, Corduba, Sayr. (quem vide VII, 8, 23), quia revera vult; quod tenent et Cath. Rom., *De effect. bapt.,* n. 57. Et mihi videtur verius, quia conditio in fraudem legis adiecta videtur; nisi quis rebaptizaret coactus metu gravi.

(18) C. 12, *De Apostat.*

(19) Lavm. *h. t.,* Cap. II, n. 1.

(20) Salm., 10, 8, 60, 64.

(21) Croix, VII, 483 - *Utroque;* et planum est.

susceptione, atque ideo, verius, a susceptorum exercitio non prohibet (22).

411. Ex vetito ordinum (sacrorum) exercitio fit irregularis *clericus*, 1°, qui exercet *ordinem*, quem non habet (23); vel, 2°, eum quem habet exercet dum est irretitus censura (24), etsi non vitandus (25); et, 3°, is qui scienter celebrat in loco nominatim (§ 375, n. 45) interdicto (26). Verum ut is, qui exercet ordinem, incurrat

(22) Ex citat. C. 2; Glo. *ibid.*, v. *Non valebit.*, Bonac.; Pal.; Salm., 10, 8, 60; Giball., *l. c.*, P. 4, n. 7; ibique Suar., *De Poenit.*, Disp. 31, Sect. VI; contra Sayr., VII, 8, 5. Porro S. Anton., et Navarr. (27, 247) existimarunt, etiam ex reiteratione confirmationis et ordinis irregularitatem oriri: sententia merito reiecta (Suar., 42, 3, 6).

(23) CC. 1, 2, *De Cler. non ord.* Ut ecce, si ordinatus per saltum ministret in ordine praetermisso (Schmalz., V, 9, 5). Dixi, 1° *clericus*, non laicus, ex cit. *Titulo*, seu *Rubrica de Cler. non ordin.* (Sayr., VII, 10, 6; V. § 187, n. 41; S. Alphons., VII, 359). Dixi, 2°, *ordinem*, non iurisdictionem (V. § 401, n. 18); proinde simplex sacerdos non fit irregularis excipiendo confessiones (Suar., 42, 4, 14; S. Alph., *l. c.*). Ideoque nec Diaconus, qui sine delegatione presbyteri (V. § 89, n. 10), extra casum necessitatis, baptizat solemniter; utriusque enim par est ratio: nam potestas *baptizandi* inest diaconis ex sacra ordinatione, prout presbyteris *absolvendi*. Nihilominus senten. communis putat heic diaconum fieri irregularem, quippe qui ordinatur ad baptizandum, *sed ex commissione Episcopi*, *vel Sacerdotis*. Ita porro; verum *commissio* iurisdictionem dumtaxat confert, neque conferre aliud potest: numquid presbyteri non ordinantur ad absolvendum *ex approbatione et commissione* Ordinarii?

(24) C. 1, *De sent. et re iudic.* in 6°. Dixi *irretitus* (C. 20, *De S. E.* in 6°; Suar., 42, 5, 1); itaque si prohibitus sub censura ordinem tantum exercere, eum exerceat, non fit irregularis (Suar., 31, 1, 57; 42, 5, 3; Bonac., *h. t.*, Q. 3, P. 4, n. 2; Filiucc., 20, 217); non enim violat, sed contrahit censuram: oportet autem prius censuram contrahere, et subinde eam, ordinem exercendo, violare (V. Salm., 10, 8, 66. Contra Silv.; Reginald., 30, 182; V. C. 32, *De S. E.*). Censuram autem accipimus propria et stricta significatione, quia versamur in odiosis; atque ideo, non interdictum locale, vel personale generale; neque suspensionem quae magis privationis, aut poenae vim habet (§§ 357, 358). Nec quamlibet censuram accipimus, sed eam, quae vetat ordinem exercere: ideoque non fit irregularis Episcopus, qui, suspensus a pontificalibus, celebrat in apparatu pontificali (S. Alph., VII, 314; V. § 381, n. 16); vel suspensus ab ordinibus conferendis, celebrat (Fagn., *l. c.*, n. 45).

(25) C. ult., *De Cler. excomm. min.*

(26) C. 18, § 1, *De S. E.* in 6°. Non item qui audit celebrantem. Quid, si alius coegerit eum celebrare? Communis veterum senten. fuit, ex C. 5, *De Cler. non ordin. min.*, hunc irregularitatem contrahere (Glos. in cit. C. 5; Cf. Suar., 12, 1, 6), quasi ipse per alium celebret: quos Recentiores communius sequuntur (Salm., 10, 3, 70; 8, 71; S. Alph., VII, 358, n. 2). Sed ex illo C. 5 nihil eruitur, et regula illa veterum TT. incivilis est (V. § 310, n. 16). Quamobrem contrariam sententiam tenent Gonz., in eo C. 5, et Diana (P. IV, Tr. 2, n. 57). Et Suar., qui (*l. c.*) de hoc subdubitaverat, postea in hanc sententiam discessit (Suar., 34, 4, 17).

irregularitatem, necesse est, ut illum exerceat, non in ipsa ordinis susceptione, quippe hoc magis pars ordinationis esse intelligitur (27), sed alias: utque illum exerceat temere (28), serio (29), et solemniter; idest, quasi in officio suo agens (30). Dixi, qui *exercet ordinem,* ideoque et is qui *confert;* nam conferendo, eum exercet quem confert (31): non item qui suscipit (32).

412. Ad haec, veteres plerique, irregularitates cum suspensionibus permiscentes, faciunt irregulares pene omnes male promotos ad ordines (33). Necesse est, haec prosequi diligentius, quia si su-

(27) Suar.; S. Alph., VI, 799, d. 3.

(28) C. 7, Cau. XI, 3; C. 1. *De Cler. non ordin.* Immo *scienter* (ex S. Alph., VII, 358, Not. 2).

(29) Suar., 42, 4, 16; Laym., III, 2, v. *Tertio.* Secus si, v. c., docendi, vel irridendi gratia. Quid, si exerceat simulate? Et in his, quae ex intentione agentis statum capiunt (§ 145, n. 14), effugit irregularitatem, v. c. si a peccatis absolvat (S. Alphons., VII, 356); in aliis non item; ut ecce, si baptizet solemniter; non propter baptismum (hic enim non valet) sed propter caeremonias baptismi (Suar., n. 19).

(30) C. 7, Cau. 11, 3; C. 1, § ult., *De S. E.* in 6°; Navarr., 21, 153; Sayr., IV, 16, 9; VII, 9, 3. Scilicet, si actus est eiusmodi, qui exerceri non potest, nisi ab his qui talem ordinem habent, hic semper solemniter exerceri intelligitur (Bonac., Q. 3, P. 6, n. 9); prout a peccatis absolvere (Salm., 10, 8, 68). Si autem et ab aliis exerceri potest, et exerceat ut alii, irregularitas cessat (Suar., 42, 5, 1); ut ecce, si presbyter hypodiaconum agat sine manipulo; aut, in fer. 5, in Coena Domini, in lotione pedum, canat evang. sine stola (S. Alph., VII, 359; Salm., 10, 8, 68). At vero qui solemniter exercet actum ordinis, non excusatur, quod forte ob defectum iurisdictionis irritus sit. *Communissima:* ut puta, si *vitandus* a peccatis absolvat (S. Alphons., VII, 171), quia ordinem revera exercet.

(31) Fagn., in C. *Vel non,* n. 21, *De Temp. Ordin.* Porro qui exercet ordinem pluribus censuris irretitus, unam dumtaxat irregularitatem contrahit (S. Alph., VII, 359), quippe omnes censurae vetant eos exercere unius virtutis intuitu; nempe propter reverentiam sacri ministerii (V. § 280, n. 7). Nihilominus S. Alph. (cit. n. 359), ex Tournelio, putat, hanc circumstantiam confitendam esse, quia contrahit unam irregularitatem pluribus *aequivalentem:* sed manifeste heic recidimus in circumstantias simpliciter aggravantes: V. ergo S. Alph., VI, 468. Dixi, eum qui est irretitus censura (v. c. excomm., interdicto personali) fieri irregularem ordinem *exercendo;* non item si, cum nulla censura teneretur, illum exercet favore eius, qui est irretitus censura; puta, si ministravit sacramenta excommunicato, vel interdicto, quia hoc nullo iure cautum est (Suar., 33, 3, 7).

(32) Bened. XIV, *De Syn.,* XII, 3, 7; Sayr., XII, 10, 12. Contra veteres plerosque, qui nullum non moverunt lapidem, ut et hunc irregularitati obnoxium facerent: alii ex C. 1, *De eo qui furtive;* et C. 32, *De S. E.;* alii eo quod, ordinem superiorem recipiendo, inferiorem exercere intelligitur: sed illi suspensionem cum irregularitate permiscent (Suar., 31, 1, 57; 42, 3, 2; Sayr., IV, 16, 22); hi gratis asserunt (V. Bened. XIV, *l. c.*).

(33) Cf. Suar., Disp. 31, Sect. 1; et Disp. 42, Sect. 3, qui omnium

spensiones sunt, hodie exsulant; si irregularitates, manent. Itaque docent, irregularitatem contrahere, I. (ex ordinante) qui *quemlibet ordinem* recipit ab Episcopo nominatim excommunicato, suspenso, interdicto (34), non suo (35); vel *hierarchicos* ab Episcopo qui et episcopatui, et dignitati renunciavit (36). II. (ex ordinato) qui quemcumque ordinem recipit irretitus censura (37); quique uxorem habens, ea invita, ordinatur in sacris (38). Demum, III. (ex ipsa ordinatione) qui ordinantur ab Episcopo suo in dioecesi aliena (39), vel furtive (40), aut per sal-

primus haec distinxit; et Filiucc. (XX, 190), qui e libris TT. et Canonistarum duo de viginti irregularitates extrusit. Dixi male *promotos*, et non promoventes; hi enim, non irregularitatem contrahere, sed suspensionem a collatione ordinum (nempe, ut in eo puniantur in quo deliquerunt), nec veteres dubitarunt.

(34) Navarr., 27, 241. Nullo iure. - Cui proinde contradixerunt Sayr. (VI, 10, 17), Suar. (42, 3, 4). Et suspensionem incurrere, non irregularitatem, hodie (§ 394, VI) definiti iuris est.

(35) Quidam hanc irregularitatem deducunt ex C. 7, Cau. 9, 2; sed non bene; eo enim cavetur, huiusmodi ordinationem *irritam* esse (V. § 403, n. 29); amplius, hic canon depromptus est ex Conc. Antiocheno (V. § 404, n. 4). Alii ex C. 11, *De Tempor. Ordin.*, et ex C. 2, *Eod. tit.* in 6°: sed male, nam utrobique suspensio irrogatur; quod et Suar. (31, 1, 13) et Sayr. (VII, X, 28, 36) observarunt: et hoc quoque non dubii iuris est (V. Trident., XXIII, *R.*, 8).

(36) Navarr., *l. c.;* Sayr., VII, 10, 27. Aliique plures, ex C. 1, *De Ordin. ab Episc. qui episc.;* quo cavetur, *ordinatum executionem officii* non habere: sed his verbis suspensio, non irregularitas, demonstratur (Suar., 31, 1, 7; ibiq. Panormit. et Glossa).

(37) S. Antonin.; Navarr., *l. c.;* Sayr., VI, 10, 12. Ex C. 32, *De S. E.*, quo ordinatus deponi iubetur; et ex C. 1, *De eo qui furti.*, quod, non ad eos pertinet, qui violant censuram, sed ad eos qui praeceptum sub censura impositum violant. Merito igitur hanc irregularitatem reiiciunt Covarr., Suar. (31, 1, 57); Laym. (Cap. III, n. 5).

(38) Salm., 10, 8, 72; S. Alph., VI, 812; VII, 361; ex Extrav. Un., *De Voto.* Qua is, *matrimonio soluto, vetatur in suscepto ordine ministrare, et ad superiores provehi;* et ad quodvis *beneficium vel officium ecclesiasticum promoveri.* Haec utra sit, irregularitas, an suspensio, Nostris satis incertum est. Bonac., *De Suspens.*, Disp. 3, P. 5, suspensionem; *De Irregular.*, Quae. 3, P. 4, n. 9, irregularitatem appellat. Suar. (31, 1, 54) verbis cit. Extrav. significari putat illum manere *irregularem;* et nihilominus suspensionem eam vocat iterum et saepius. Mihi, quia piget *sacramentum magnum,* MACULIS accensere; et quia in cit. Extrav. Un. suspensione gravius aliquid continetur, eam neque irregularitatem neque suspensionem esse puto, sed poenam. Utcumque cum dubia sit, non est inter irregularitates recensenda.

(39) Ex cit. C. 7, 9, 2. Sed perperam; nec est dubii iuris. (Cf. Trid., VI, *Ref.*, 5). Et ideo Suar. (31, 1, 21) eam obiter attingens, *suspensionem* appellat.

(40) Laym., Cap. III, n. 1; Salm., *l. c.;* Reiff., V, 18, 71; ex C. 1, *De eo qui furtive* - satis obscuro: ideo utra et haec sit, irregularitas an suspensio, est anceps satis (Bonac., cit. Quae. 3, P. 4, n. 6). Sayr. (VII,

tum (41); qui recipit ordines maiores sine titulo (42); aut uno eodemque die, vel duobus continuis, *quatuor minores ordines et subdiaconatum*, vel duos maiores ordines recipit (43). Hos igitur non irregularitatem contrahere, sed suspensionibus obnoxios olim fuisse tenendum est (44). Quod in quibusdam speciebus mox recensitis non dubii iuris est, et in aliis est probabilius: et licet in nonnullis id tantum probabile videatur, hoc sat est, ut tuto doceri possit, eos irregularitatem non contrahere: tum quia verba in odiosis recipiunt interpretationem reo favorabiliorem, tum quia haec irregularitas satis dubia est, tum quia poena suspensionis magis congruit delictis huiusmodi, quisque enim puniri debet in eo in quo peccavit: denique cum ordinator suspensione, et non irregularitate, coerceatur, aequum erat, ut suspensione, et non irregularitate, coer-

10, 37) in suspensionem inclinat; Suar. 31, 1, 57, irregularitatem esse negat; 42, 3, 5, affirmat. Alii distinctionibus utuntur (Reiff., V, 30, 10; *ibiq.* Barbo., Abbas; Schmalz., V, 30, 9; V. Pirhin., V, 30, 2). Porro *furtive* ordinatus is dicitur, qui sine examine, vel reiectus ab Ordinario, vel ab eo non vocatus, obrepsit ad ordines (Suar., 43, 3, 5; Reiff., n. 2).

(41) Filiucc., XX, 209; ex C. 1, *De Cler. non ordin. min.*, quod ad rem non pertinet. At Sayr. (VII, 10, 39), Navarr. (27, 142), Suar. (31, 1, 44) suspensionem esse docent, ex C. 1, Dist. 52; quae a Conc. Trident., XXIII, *R.*, 14, restituta, nunc cessat (V. § 394).

(42) Ex C. 1, Dist. 70. Vulgo a plerisque etiamnum creditur, hunc, et eum, a quo post ordinationem titulus decedit, ipso iure, ipsoque facto suspensos esse ab ordinum exercitio; atque ideo si ordinem exercent, v. c., si presbyter celebret, ipso iure fieri irregularem: quae olim Maioli sententia fuit Insignis hic error est (V. Sayr., IV, 14, 16): nam suspensionem antiquioribus canonibus latam sustulerunt Innoc. III (C. 16, *De Praehend.*), et Bonif. VIII (C. 37, *Eod. tit.* in 6°): quibus consultius visum fuit in Ordinatorem animadvertere; quem idcirco damnarunt alere ordinatum donec provideretur. Quod et Tridentinum probavit, XXI, *R.*, 2 (S. C. C., 27 novem. 1610; Bened. XIV, Notific., 26, 16); et restitutam a Sisto V, suspensionem iterum sustulit Clem. VIII. Nisi forte ordinatus *adhibito dolo, confictoque titulo ordinatorem deceperit:* hunc enim S. C. C. (*l. c.*) censuit, *esse ipso iure suspensum carereque ordinis exercitio;* neque enim fas erat damnare Ordinatorem, ut eum aleret: quod postea ab Urbano VIII, C. *A secretis,* comprobatum fuit. Sed post C. *Ap. Sedis,* neque is eam incurrit - De Ordinante sine titulo,

(43) Navarr., 27, 241; Sayr., VII, 10, 22; Tolet., I, 30; Salm., 10, 8, 73, ex C. 2, *De eo qui furt.* Sed non bene, nam is suspenditur ab *executione* ordinis male suscepti (C. 13, *De Temp. Ordin.*); et *in minoribus ordinibus celebrare permittitur* (Cit. C. 2). Quocirca Suar. (31, 1, 40) eam inter suspensiones recenset; et dubitat (n. 41), utrum sit latae, an (ceu tenent Abb., Pirhin., ap. Reiff., 1, XI, 206) fer. sent. Praeterii ordinatos extra tempora; hos enim suspensionem, non irregularitatem, incurrere, ipsis quoque veteribus TT. certum fuit (Navarr., 27, 242; Sayr., VII, 10, 28).

(44) Cf. Berardi, Cap. V, v. *De illicita,* ubi haec omnia complexus est; et in plurimis nobiscum sentit.

cerentur ordinati; ut quorum idem delictum fuerat, eadem esset et poena.

De bigamia, homicidio, et mutilatione dicam postea.

CAPUT II.

DE IRREGULARITATIBUS EX DEFECTU.

ART. I. *De irregularitatibus ex defectu propriis.*

412bis. Sequitur, ut videamus de irregularitatibus ex defectu. Quarum duplex genus constituendum est: unum earum, quae irregularitates sunt stricta ac propria significatione; alterum earum, quae lata et impropria: quippe inter se longissime distant, et Nostri (mirum prorsus) de omnibus indiscrete. Ad primum genus pertinent quae oriuntur ex vitio, seu defectu status, vel lenitatis, vel sacramenti: alterum earum est, qnae profluunt ex defectu aliquo, seu vitio corporis, vel animi: illae irregularitatis omnes et vim et nomen habent; hae nomen semper penes Nostros et Canonistas, vim non item: ab his, quippe facilioribus, ordiendum. Sed ante omnia admonendi sumus, has nec poenarum instar haberi, quamvis *oriantur ex facto aliquo illicito:* ideoque, 1° nihil refert, utrum quis eas contraxerit culpa sua, an minus (1), ante baptismum an postea (2); 2° ab eis non excusant error, metus, ignorantia (3); nec, 3° dispensari possunt ab Episcopo, quamvis occultae (4). Ab his quae oriuntur ex defectu status ordiamur. Hae contrahuntur ex defectu vel natalium, vel libertatis, vel famae, vel sacramenti.

412ter. *Ex defectu* natalium sunt irregulares filii illegitimi; si tamen *constet* esse illegitimos (5). Haec irregularitas tollitur legitimatione per subsequens matrimonium (§ 50, n. 30), per rescriptum Romani Pontificis, et per ingressum in Religionem (6). Dispensari quoque potest ab Episcopo quoad ordines minores suscipiendos, vel exercendos; et ad unum beneficium quod non exigit ordinem sa-

(1) Suar., 51, 2, 18.
(2) C, 3, Dist. 26; C. 13, Dist. 34.
(3) Sanch., *M.*,7, 84, 15; Suar., 49, 3, 15; Laym., VI, 3. Et proinde nec bona fides (S. Alph., VII, 439, 443, 446).
(4) S. Alph., I, App. II, 49.
(5) CC. 1, 2, *De Fil. Presb.;* Salm., 10, 8, 44; ac proinde non *expositi* (S. Alph., VII, 432; V. § 57, n. 69); nec is quem mater, constante matrimonio, ab alio suscepit (§ 49, n. 20); licet publice, et ab ipsis quoque parentibus, adulterinus habeatur; nisi talem revera esse in *iure* constituerit (S. C. C., 27 iunii 1857; *Acta* I, 352; V. § 57).
(6). Ex C. Greg. XIII, an. 1588. Sed hi *praelationes nullatenus* habere possunt. Haec *prohibitio* etiam in monialibus locum habet (Salm., 10, 9, 55; ibiq. Suar., Sanch., etc.).

crum (7). Et si quis non possit spurium se prodere sine infamia, nulla ei dispensatione opus est (8). Ex defectu libertatis sunt irregulares servi (ubi servitus adhuc viget), nisi domini ordinationi eorum consenserint (9). Huc pertinent quodammodo obligati ad ratiocinia (rationes) reddenda (10) ex munere aliquo, vel officio, vel negocio saeculari clericis interdicto (11); donec se officio, negocio abdicaverint, et rationes reddiderint (12); vel de satisfaciendis creditoribus caverint (13). Verum, si fuerint ordinati, exercitio ordinis nullo iure prohibentur (14).

ART. II. *De irregularitatibus ex defectu impropriis.*

413. Huiusmodi sunt quae profluunt ex aliquo seu corporis, seu animi vitio; quo fit, ut quis nullatenus, vel non ea, qua par est, dignitate obire valeat quae pertinent ad altaris ministerium (1). Has irregularitates esse, negarunt veteres quidam (2); contra, alii pares eas fecerunt irregularitatibus quae ex defectu status, lenitatis, sacramenti oriuntur. Utrumque extremum, si quid opinor: etenim neque omnes irregularitates sunt veri nominis; et quae sunt non

(7) CC. 1, 2, 18, *De Filiis Presb.* - *Unum* (C. Un., *Eod. tit.* in 6°; Reiff., 1, 17, 14). V. c., ad canonicatum in ecclesia collegiata (Navarr., 27, 201); non item, verius, in cathedrali, quippe ordinem sacrum desiderat (V. Trid., XXIV, *R.*, 12), obtinendum (S. Alph., VII, 429, et *H. A.*, XX, 49). Quidam putant, hanc irregularitatem dispensari posse ab Episcopo, si est occulta, quasi ex delicto alieno (quia Trident., XXIV, *R.*, 6, non distinguit), ad ordines tum exercendos, tum suscipiendos; et est *probabile* Laym. (Cap. V, 2); *valde probabile* Salm. (10, 9, 53). Alii solum ad ordines exercendos, ex C. 9, § *Personae, De Renunciat.*; quod negant alii (Suar.; S. Alph., VII, 431, etc.), et rectius, quia C. 9, *De Renunc.*, huc non pertinet. Nihilominus aequum puto cum Laym. (*l. c.*), Episcopum dispensare posse ad ordines exercendos eum, qui bona fide eos suscepit; et si ad eos suscipiendos dispensaverit, propter probabilitatem prioris sententiae, non sunt inquietandi (§ 241, n. 43). Nec obstat C. 1, *De Fil. presbyt.*, quippe antiquius Tridentino.

(8) Laym., V, 1; V. § 178, n. 5.

(9) C. 5, *De Serv. non ordin.*; V. Sayr., VII, 142; Reiff., 1, 18, 17.

(10) C. un., *De Oblig. ad ratioc. redd.*

(11) Reiff., I, 19, 7; Schlmaz., I, 19, 3. Ut syndici, tutores, redemptores vectigalium, etc. (Suar., 51, 3, 19); non item tutores vel curatores miserabilium personarum, viduarum, orphanorum; admnistratores bonorum ecclesiae, vel cuiuslibet loci Pii, etc. (S. Alph., III, 838, v. *Valde*).

(12) C. un., *De Oblig. ad ratioc.*

(13) Suar., 51, 3, 23; Pirhin., I. 19, 23; Salm., 10, 9, 63.

(14) Glos. in cit. C. un., v. *Infamatur;* Reiff., I, 19, 11; S. Alphons., III, 838.

(1) C. 2, *De Cler. aegrot.*

(2) Innoc. Palerm., ap. Tolet., I, 58, 4.

eodem prorsus, atque *aliae,* iure censentur. Scilicet, quoties ius canonicum (sine quo nulla irregularitas intelligitur) propter huiusmodi vitia aliquem prohibet ordinum susceptione vel exercitio, animadvertendum est, utrum, secluso hoc iure, is potuisset licite ordinem inire vel exercere; nam si non potuisset, magis naturalis, aut divini iuris impedimentum, quam veram irregularitatem subesse dicendum est (3): si potuisset, veri utique nominis irregularitas suberit; sed non eodem prorsus, ac ceterae irregularitates ex defectu, modo censeri debet (4), quia, cum magis in facto quam in iure consistant, plus impedimenti quam irregularitatis habere videntur. Et ideo plerumque in aestimatione Ordinantis positae sunt. Et nec totales sunt, nec perpetuae; nam si quis eas contraxerit post susceptos ordines, eo tantum actu, seu exercitio ordinis prohibent, quo ordinatus aut omnino, aut ea, qua decet, gravitate ac dignitate defungi non valet (5); et sive post, sive ante susceptos ordines contractae fuerint, cessant ipso iure, si forte impedimentum cessaverit. Sed iam singulas prosequamur.

414. Itaque ex defectu corporis sunt irregulares *corpore vitiati* (6); idest, qui propter quodvis corporis vitium, vel, 1° non ea qua convenit dignitate, vel, 2° minus apte defungi possunt altaris ministerio (7): quocirca omnis irregularitas huiusmodi oritur, 1° vel ex aliqua deformitate, quae aut stomachum, aut risum movet, ideoque patenti; vel 2° ex aliqua impotentia (8). Ex primo igitur sunt irregulares hi, quibus abscissae sunt nares, vel labia, vel aures (9); item gibbosi, nani, aethiopes; et, si risum moveant, blae-

(3) V. Suar., 51, 2, 12. *Licite,* velut is cui pollex abscissus fuit (V. C. 7, *De Corp. vitiat.*). Contra, v. c., aethiopes (penes nos), nani, gibbosi, qui ipso naturali iure arcentur ab altaris ministerio.

(4) Tolet., I, 58, 4.

(5) Suar., 52, 2, 11; Filiucc., 19, 30; Bonaci., Q. 2, P. 2, n. 28, Salm., 10, 9, 72; S. Alph., VII, 413. Quin fas esse eis, ordines minores conferre, tenent (contra Tolet.) Maiol., Panormit., Navarr. (27, 204) et Sayr. (VI, 7, 8). Et quidni subdiaconatum, et diaconatum (v. c., abstemio?) praesertim, si eis forte egentibus conferendum sit beneficium, quos a sacerdotio non lex sed calamitas removet. Nec obstant adnotata in § 399, n. 10; nam pertinent ad irregularitates proprie dictas.

(6) V. *Levit.,* XXI; C. 50, Dist. 50. *In qualibet parte corporis* (C. 10, Dist. 34; C. 1, Tot. Tit. *De Corp. vitiat.*).

(7) C. 2, *De Cler. aegrot.* Ibi: *Qui nec secure propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem,* ordinem exercere posset,

(8) D. Th., *Suppl.,* 39, 6, Suar., 51, 2, 9; Salm., 10, 9, 73; S. Alphons., VII, 404.

(9) S. Alph., VII, 410, 411; Salm., 10, 9, 68. Nisi capillis tegi possit aurium defectus (S. Alpons., *ib.;* Schmalz., I, 20, 13). Item qui faciem ustulatam habet (Laym, VII, 1); aut valde maculatam (S. Alph., 411).

si (10). Ex altero hi, quibus dexterum (11), vel sinistrum (12) brachium obriguit; mutilatus altera manu (13), vel medietate palmae (14), vel pollice, aut indice, vel alterutrius parte, (15); item paralytici (16), et epileptici; sed de his postea. Ex utroque demum, vel ex alterutro, surdi utraque aure (17), caeci utroque oculo (18); vel cui alteruter erutus est (19), aut levi maculatus albugine (29); claudus qui non valet in altari consistere sine baculo (21), vel crura adeo distorta gerit, ut vitium ne veste quidem talari tegi possit (22). Porro haec irregularitas magis in facto, quam in iure consistit; factum vero (non dispensatio) in aestimatione Episcopi, tum sui (23), tum ordines conferentis (24), positum est. Age nunc, videamus quid utraque haec irregularitas praestet. Et ea quae oritur ex aliqua impotentia, ab his tantum ordinibus suscipiendis prohibet, quibus quis congrue defungi non posset (25); quae ex deformitate, arcet ab omnibus: verum, si supervenerint post eos susceptos, mitius agendum erit, *ne afflictio addatur afflicto* (26).

(10) C. 3, Dist. 55; S. Alph., VII, 406, 412.

(11) S. C. C., 18 sept. 1824; 27 ian. 1872. *Acta,* VII, 81, 82.

(12) Argum. ex cit. Docretis.

(13) C. 6, *De Corp. vitiat.*

(14) C. 2, *De Cler. Aegrot.*

(15) Ex C. 7, *De Corp. vitiat.* Reiff., I, 20, 5; Schmalz., I, 20, 10; S. Alph., VII, 408, Non si quo alio (C. 11, Dist. 55; Reiff., n. 14). Immo si, post sacerdotium susceptum, indicem amiserit, non videtur irregularis (V. S. Alph., VI, 244; VII, 408).

(16) Ex C. 6, *De Cler. Aegrot.* Nempe si paralysis periculosa sit (S. Alph., VII, 409).

(17) Ex Can. 7, *Apost.;* et S. C. C., 27 Ian. 1855 (*Acta,* II, 46). Non item surdaster (S. Alph., VII, 405). Et si surditas ei post presbyteratum susceptum supervenerit, celebrare potest (Ex S. C. C., 24 mart. 1871. *Acta l. c.;* Pirhin., I, 20, 50).

(18) S. Alph., VI, 390; VII, 404; 410.

(19) C. 13, Dist. 55, nisi vitreo sit instructus (S. Alph., VII, 410).

(20) C. 2, *De Corp. vitiat.;* Reiff., 1, 20, 16. Non item caecus uno solum oculo, seu dextero, seu laevo (quem vocant *canonis*); dummodo possit sine indecenti conversione canonem legere (Pirhin., I, 20, 6; Laym., VII, 2; Reiff., V, 37, 83; S. Alph., VII, 404). Alii aliud putant.

(21) Ex C. 10, Dist. 55, iunct. C. 57, Dist. 1; S. Alph., VII, 407.

(22) S. Alph., VII, 407.

(23) Ex CC. 2, 3, *De Corp. vitiat.;* Navarr., 27, 200; Reiff., n. 38; Schmalz., I, 20, 15; S. Alph., VII, 400, 414.

(24) Suaresius, 51, 2, 16; Laym., VII,*r*6.

(25) Ex D. Th., *Suppl.*, 39, 6. Et expresse Sayr. (VI, VII, 8, 9). Nec obscure Suar. (51, 2, 14, etc.).

(26) Ex C. 6, *De Cler. aegrot.;* V. Laym., IX, 3; S. Alph., VI, 390. Hinc v. c., caecutiens, qui nequit legere in missali, arcetur ab ordine presbyterali: at si post illum susceptum caecutire coeperit, non prohibetur celebrare: et si caecus evaserit, non prohibetur audire confessiones sacramentales (V. S. Alph., VI, 390; VII, 408, 413). *Turpius eiicitur quam non admittitur hospes.*

Haec suo modo beneficiis aptanda sunt; et ab iis dumtaxat arcendi sumus, quorum officiis rite ac recte defungi non possumus. Hinc ea, cui

415. Defectus animi est: 1° defectus usus rationis; 2° scientiae; et, ut nonnullis placet, 3° fidei defectus (27). Verum has irregularitates accipimus significatione adhuc latiore, quia cessare possunt per se. Ex 1° igitur, sunt irregulares amentes, lunatici et arreptitii, seu daemoniaci, et epileptici: non quidem dum amentia, etc., laborant, sed postquam convaluerint, quia vix perfecte convalescunt. Quamdiu igitur certum non est plene convaluisse, non potest Episcopus eos ordinare: verum si amentia, etc., laborare coeperint post susceptos ordines, quia mitius cum eis agendum est, poterunt, arbitrio Episcopi, in susceptis ordinibus ministrare (28): Et ut de epilepticis specialiter dixerim, si morbus ante pubertatem omnino cessaverit, poterunt ordinari; si postea aut cessaverit, aut coeperit, non licet eos ordinare; sed si iam fuerant ordinati, permittitur eis celebrare, quamvis interdum (utputa, semel in mense) morbo corripiantur; dummodo non cadant, aut spumas agant; et praesente alio sacerdote ieiuno (29). Ex 2° sunt irregulares illiterati, idest qui linguam (penes occidentales) latinam ignorant iure Canonico (30); iure autem naturali, qui *ea scientia* carent, sine qua ordine suscipiendo, aut suscepto, rite ac recte defungi non possent; quod Episcopi iudicium est: nec proderit ordinatis, si forte susceperint ordines bona fide (31). Demum, ex 3° sunt irregulares hi, de quibus non immerito suspicatur, num vere et ex animo fidei catholicae nomen dederint. Silicet neophiti (32), et qui baptismum in mortem distulerant (33).

CAPUT III.

De irregularitatibus quae sive ex delicto contrahuntur, sive ex defectu.

Duo sunt ex quibus irregularitas quandoque ex delicto, quandoque ex defectu contrahitur; bigamia, et hominis occisio, vel mutilatio.

sola divini officii privata recitatio adnexa est, cuivis clerico conferri possunt (S. Alph., VII, 343): diacono, cui manus abscissa fuit, parochia conferri non potest, canonicatus in ecclesia collegiata conferri potest (Croix, VII, 438).

(27) Suar., 51, 14; Silv.; Navarr.; Laym., n. 3.

(28) CC. 3, 4, 5, Dist. 33; V. Suar., 51, 1, 4; Salm., 10, 9, 76; S. Alph., VII, 398. Quamvis convaluisse videantur (Laym., VII, 2; Salm., 79).

(29) C. 1, Dist. 36; C. 4, *De Temp. Ordinat.* in 6°.

(30) Ex Trid., XXIII, *R.*, 4; Navarr., 27, 205.

(31) Suar., 51, 1, 9; Salm., 10, 9, 77; S. Alph., VI, 791, q. 2.

(32) Ex I. *Timoth.*, III, 6. Quamdiu autem neophytus aliquis dicendus sit, in aestimatione Ordinarii esse debet (Suar., 43, 3, 7).

(33) C. *Si quis,* Dist. 57; Suar., 42, 1, 5. Quoad alias Episcopus iudicaverit (Suar., 43, 3, 6).

ART. I. *De Bigamia.*

416. Materiam implexam ingredimur. Bigamus dicitur qui duas successive habuit uxores legitimas (1). Age nunc: *matrimonium est sacramentum* (mysterium) *magnum in Christo et in Ecclesia* (2); scilicet repraesentat desponsationem Christi cum Ecclesia. Haec desponsatio fuit: 1° unius cum una; et, 2° prorsus indissolubilis fuit. Huius coniunctionis *perfecta* significatio eo solum matrimonio inest, quod quis cum virgine primum contrahit (unius cum una); nempe postquam fuerit consummatum (3), quippe quod solum est indissolubile. Si quis igitur, prima uxore defuncta, quacum factus fuerat una caro, aliam (licet virginem) ducit, eique commiscet, deficit in hoc secundo matrimonio perfecta magni illius sacramenti significatio et ipse fit irregularis ex defectu sacramenti (4). Defectus huiusmodi, ceu patet, positus est in divisione carnis in matrimonio: atque ideo sine duobus matrimoniis, utroque nempe valido ed consummato, ne intelligi quidem potest (5). Et haec de bigamia proprie dicta.

417. Verum in iure canonico bigamia latissime accepta est, et vulgo in veram, similitudinariam, et interpretativam diducitur (6). Vera est de qua hactenus, quae est omnium antiquissima et ab Apostoli praecepto derivata. Similitudinaria, et interpretativa ad instar verae serius fuerunt introductae: nec ob sacramenti defectum, sed propter suspicionem incontinentiae; quae arcet ab eo ministerio, *quod sola continentia oportet impleri* (7); hae ex delicto

(1) D. Th., *Suppl.*, 66, 1. A *bis*, et γάμος (nuptiae). *Successive*, nam qui duas habet uxores *polygamus* appellatur.

(2) *Ad Ephes.*, V, 32, V. Laym., *h. t.*, Cap. VI.

(3) C. 5, *De Bigamia.*

(4) I, *Ad Timoth.*; CC. 2, 3, *Eodem.*

(5) CC. 1, 2, 3, 4. 5, *Eod.* - *Matrimoniis*: scilicet, ex comparatione matrimonii hominis cum desponsatione Christi et Ecclesiae, aestimari haec oportet; ideo non obest divisio carnis, si qua extra illud contigerit. *Valido*: Suar, (49, 1, 5), eoque teste omnes; nam quod irritum est, pro infecto est. *Consummato*: ex cit. C. 5 (S. Alph., VII, 436) omnes. Proinde qui secundam uxorem duxit, si hanc vel primam non cognovit, bigamus dici non potest.

(6) Sayr, VI, 3, 18; Sanch., *M.*, VII, 83, 2. Distinctio D. Thomae (V. *Suppl.*, 66, 1) et veteribus multis ignota.

(7) CC. 4, 7, *De Bigam.* Et ideo *in veritate* exinde *bigamia non existit* (Cit. CC.). *Sed ob*, etc. (Innoc. I, ap. Suar., 39, 1, 4; V. Berardi, Cap. IV, sub. fin.). Scilicet secundae nuptiae, ab ipsis ethnicis exsibilatae, a PP. Ecclesiae, et in primis Hieronymo, et Athenagora, nunquam in honore habitae sunt: quin, in veteri disciplina, *bigamis semper aliqua poenitentia imposita fuit* (Baron., ad ann. 213, n. 91).

quoque esse possunt. Utraque iuris fictione nititur (8); et quia fictio veritatem imitatur (§ 208, n. 65), neutra sine aliquo matrimonio, aut matrimonii specie, eoque consummato, intelligitur (9).

418. Similitudinaria oritur ex duplici matrimonio, uno valido, altero invalido; et ex iure canonico habetur cum quis, defuncta uxore, suscipit ordinem sacrum, et subinde aliam uxorem ducit, eique commiscet (10). Dices: atqui hoc secundum matrimonium est nullum, atque ideo, pro infecto est. Ita porro; sed in matrimoniis, quae contra ius contrahuntur, lex '*factum* (ausum) coercet (§ 298, n. 29); atque ideo, non iuris effectus, sed *animi cogitatio* et *affectus intentionis attenditur* (11). Hac ratione moti, Nostri et Canonistae pene omnes irregularitatem hanc ad eum producunt, qui duo successive matrimonia irrita, ex *quocumque* impedimento (atque ideo etsi clerici sint in minoribus constituti, vel laici) contraxit; nempe, aiunt, *non ex iure, sed ex ratione expressa in iure* (12): ab hac sententia, etsi recepta contra omnes regulas iuris (13), recedere omnino non ausim; sed liceat dubiam dicere irregularitatem huiusmodi, ut saltem ab Ordinario dispensari possit.

(8) Ex C. 4, in fi.; C. 7, *De Bigam.*; Sayr., VI, 3, 18; S. Alph., VII, 437. Et ideo iure merito Recentiores eas a *vera* irregularitate secernunt, quippe strictioris interpretationis sunt.

(9) CC. 4, 5, *Eodem.*

(10) C. *Nuper*, 4, *De Bigam.* - *Similitudinaria*, quia licet in sacramento invalido nullum sit sacramentum, est tamen aliqua similitudo sacramenti (D. Th., *Suppl.*, 66, 2, ad 1).

(11) Cit. C. 4; Ex L. 18, C. *Ad L. Iul. De Adulter.* Haec irregularitas, ex delicto est (Sanch., *M.*, VII, 85, 10).

(12) V. Sanch., VII, 84, 3; Suar., 49, 2, 11; S. Alph., VII, 445. Sed non bene haec sententia adscribitur D. Th. (*Suppl.*, 66, 2): et forte exinde evasit pene communissima. Sed merito ei contradicunt Avila, Henriquez, Diana, ap. Salm., 10, 9, 28 (qui id probabile putant), quia in odiosis non fit extensio de casu ad casum.

(13) Quae, nempe, vetant odiosa, et in primis ea quae nituntur fictione iuris (§ 208, n.65), producere (etiam ob *identitatem* rationis, quae hic revera non deest) de casu ad casum, et de persona ad personam. Porro heic et versamur in fictione iuris; et odiosa producimus de casu ad casum: nam in C. *Nuper*, 4, *De Bigam.*, res est de eo, qui duo matrimonia contraxit, alterum validum, alterum irritum; et a clericis in sacris eam producimus ad minores, et laicos: et utrobique de maiori ad minus. Et nihilominus quidam (in his S. Alph., VII, 446, 447), sibi ceteroquin cohaerentes, ulterius progressi sunt: nam statuentes hanc irregularitatem, non ex delicto esse, sed ex defectu sacramenti (quia in C. 4, *De Bigam.*, non consideratur crimen, sed *solus affectus intentionis* ad secundum matrimonium), irregularem eum quoque esse pronunciant, qui vel simulate haec matrimonia contraxit, vel bona fide: quorum alterum negat Laym. (*De Irregul.*, Cap. IV; 5 in fine), aliique penes Suar. (49, 2, 2, etc.); alterum Sanch. (*M.*, VII, 84, 6); et, *in sententia nostra*, iure prorsus.

419. Bigamia interpretativa oritur ex unico matrimonio. Scilicet mulier, quae duobus commiscuit, habetur quasi duplex mulier, duplex uxor: hoc nomine igitur quasi bigamus, irregularis *est* qui duxit corruptam ab alio, seu viduam, seu fornicariam (14); *fit* qui cognoscit uxorem postquam lapsa fuit in adulterio (15). Quid si matrim. irritum fuit? Et ordinatum in sacris, qui duxit corruptam, irregularem esse, *propter affectum intentionis, quasi viduae maritum,* definiti iuris est (16): num igitur sit irregularis acolytus, vel laicus, si matrimonium irritum sit ex alio capite? sententia communior affirmat, quippe eadem est ratio; minus communis negat, quia in odiosis non fit extensio de casu ad casum (17): quam sequor.

His *aliam* adiunxit communis sententia; cum quis, nempe, post inita solemnia vota, vel susceptum ordinem sacrum, ducit virginem eique commiscet; oritur enim, aiunt, quasi ex duplici matrimonio, uno spirituali, carnali altero, licet invalido! (18).

(14) CC. 9, 10, 11, 12, 13, Dist. 34, C. 10, § 6, v. *Personae, De Renunciat.;* D. Th., 66, 3. Secus si ducat non corruptam, etsi viduam (C. 5, *De Bigam.*); aut, verius, corruptam a se (Sanch., *M.,* VII, 84, 14; S. Alph., VII, 438), *quia carnem suam non divisit in plures* (D. Th., *l. c.,* ad 3). Cur autem viro non obstet, si cum aliis fornicatus fuerit, ratio perdifficilis est (V. D. Th., cit. Art. 3; Bellarm., Lib. I, *De Cler.,* Cap. IV; Sanch., *M.,* VII, 84, 9).

(15) CC. 11, 12, Dist. 34; D. Th., *l. c.,* ad 4. Utramque hanc irregularitatem ex defectu esse, communiss. sententia est; ideo contrahitur, etsi ille putaverit se virginem ducere (D. Th., *l. c.,* ad 3; S. Alph., VII, 439), aut is uxorem cognoverit inscius adulterii; aut uxor materialiter tantum fuerit adultera (Sanch., VII, 84, 15). Nec ei proderit, si adulterium lateat (Sanch., n. 19). Nec obstant, secus ac olim censui, cit. CC. 11, 12, probationem requirentia, quippe ad forum externum pertinent (Navarr.; Sanch., *l. c.*). Cur *interpretativae* vulgo dicantur, me latet.

(16) C. ult., *De Bigam.*

(17) Sanch., 84, nn. 10, 11; ibiq. Valent., Philiarch., Henriq.; Navarr 27, 191; *et ita* (is ait) *in S. Poenitentiaria nuper conclusum fuit.*

(18) V. Suar., 49, 4; Sanch., *M.,* VII, 85; S. Alph., VII, 448, qui eas *similitudinarias* appellat. *Virginem;* nam si *viduam* duxit quasi bigamus reputatur C. 7, *De Bigam.* Utramque praetermisit D. Th., et recte. Nam illa detorta est ex CC. 1, 2, *Qui cler. vel. vovent.;* haec ex C. *Quotquot,* 18, Dist. 27. Sed alii negant illis CC. 1, 2 irregularitatem contineri, quia dispensari potest ab Ordinario *post peractam poenitentiam* (Cit. C. 1; et C. 4, *De Cleric. Coniug.*). Sane hi olim depositione coercebantur (C. 9, Dist. 28; et Suar, qui contrariam sententiam sequitur, fatetur (n. 4): *Nullum est ius, quod illos expresse faciat irregulares.* Quod ad C. *Quotquot,* en verba: *Quotquot virginitatem pollicitam praevaricatae* (Suar. legit *praevaricati*) *sunt, professione contempta, inter bigamos haberi debent.* PRAEVARICATI, ait Suar., n. 2, lex aperta est: PRAEVARICATAE, ait Sanch. n. 8, *ergo a fortiori in viris procedit.* Sed, absit verbo invidia, neuter recte: ille enim dubia, et minus communi canonis lectione;

420. Ex his autem, bigamia vera neque baptismo aboletur (19), quippe ex defectu est; neque professione religiosa: quae autem ex ea oritur irregularitas, sola R. P. dispensatione deleri potest (20). Similitudinaria dispensari potest ab Ordinario, si occulta fuerit (quod difficile est), quippe est ex delicto (§ 418, n. 11). Demum interpretativa, cum ex defectu est, a solo R. P.; cum ex delicto (occulto) ab Episcopo quoque dispensari potest (21): item et cum utra illa sit dubitatur (§ 404, n. 13). At seu ex defectu sit, seu ex delicto, Praelati Regularium in ea dispensare posse, ex privil. Pauli III, traditum est (22). Demum ea quae oritur quasi ex duplici matrimonio, uno spirituali, carnali altero, post peractam poenitentiam, dispensari potest ab Ordinario, *etiam quoad* ordines sacros (23), quippe vix bigamia dici potest.

ART. II. *De homicidio et mutilatione.*

421. Haec duo heic aequiparantur (1). Homicidium est *hominis occisio. Hominis,* nempe, cuiuscumque, infidelis quoque: atque ideo etiam abortus fetus animati homicidium est (2). *Occisio:* occidere est vitam adimere; nec interest quo modo quis fuerit occisus, puta ferro, veneno, fame; nec quantum vitae spatium ei fuerit ademptum (3). *Mutilare* est membrum abscindere (4). Membrum dicitur ea

is extensiva interpretatione utitur. Quid quod C. *Quotquot* depromptum est ex Concilio Ancyrano? (V. S. Alphons., VII, 451).

(19) C. 3, Dist. 26; C. 13, Dist. 34. Quae celebris olim, S. Hieronymum inter et S. Augustinum, quaestio fuit. Dixi *bigamia*, et non irregularitas, quippe ante baptismum irregularitas ne intelligi quidem potest.

(20) V. Sanch., *M.*, VII, 86, 4. Etiam quoad ordines minores et beneficia simplicia, (Ex Decl. Xysti V, ap. S. Alph., VII, 452).

(21) Ex Sanch., n. 23. Contra putant Salm., 10, 9, 39; S. Alph., VII, 451. Nempe tenent, omnem irregularitatem quae oritur ex bigamia interpretativa, ex *defectu* esse.

(22) Salm.; Pelliz.; S. Alph., VII, 455.

(23) C. 1, *Qui Cleric.;* C. 4, *De Cler. Coniug.;* S. Alph., VII. 448. Et quoad primam tonsuram, quod a S. C., 28 ian. 1587, probante eodem Xysto V, declaratum fuisse tradit De Angel. (*Praelect. I. C.*, I, 21, 1).

(1) Clem., un., *De Homic.;* Sayr., VI, 14, 3. Nempe quoad vim irregularitatis; nam quod ad ea quae necessaria sunt ad irregularitatem contrahendam, cum eo qui mutilavit mitius agitur, et ideo in pluribus distant.

(2) C. 20, *De Homicid.;* Sayr., III, 35, 26; Suar., 44, 3, 14. Scilicet, nisi eiectus supervixerit (Regin., 21, 59; V. Par. II, § 284).

(3) Salm., 10, 1, 141; Lugo, *De Iust.*, X, 32; V. S. Alph., VII, 382. Ex hoc capite irregularitatem non effugiunt qui auctores sunt, ut mors citius inferatur (Ex S. Alph., *l. c.*

(4) Navarr., 27, 206; Duard., Lib. II. Can. IX, Quae. XI, n. 1; Salm., 10, 8, 27; S. Alph., VII, 379, etc.

corporis pars, quae proprium, et a ceteris distinctum officium habet (5). Abscindere est separare a corpore (6). Quamobrem abscissio non intelligitur, si membrum laesum tantum, vel tantum deformatum fuerit (7); immo, verius, nec si factum fuerit prorsus inutile (8). Et quia in odiosis versamur, mutilatio, ac proinde irregularitas, non intelligitur, si pars membri dumtaxat fuerit abscissa (9). Homicidium et mutilatio admitti possunt vel facto proprio, vel auctoritate magistratus in iudicio sanguinis, vel in bello. Ex *illo* oritur irregularitas ex delicto, ex *isto* ex defectu, ex *hoc* modo ex delicto, modo ex defectu.

De homicidio vel mutilatione facto proprio perpetratis.

422. Uti aliquis ex hoc capite irregularitatem contrahere possit, necesse est, ut homicidium, vel mutilatio, non casu (10), non culpa civili (11) quae, verius, in casum recidit, sed voluntate fuerint admissa; quippe irregularitas ex delicto est (12). Sed non excusatur qui unum pro alio occidit, aut mutilavit (13); quia non delictum coercetur, nec iniuria alteri illata, sed macula inspicitur. Sed et is, qui seipsum mutilat, fit *ob saevitiam* irregularis (14); licet

(5) Zachias, *QQ. Med. Legal.*, Lib. V, Tit. 3, Qu. I, n. 8; Gibalin., Cap. IV; Salm., n. 22. Velut manus, pes, oculus, lingua, mamilla mulieris, uterque testiculus viri. Non item quae subsidiariam tantum operam praestant, ut aures, digitus, nares (S. Alph., VII, 379, 380).

(6) Zachias, *Ibid.*, Quae. II, nn. 2, 8, 9; V. Suar., 44, 2, 5.

(7) Suar., 44, 3, nn. 10, 11, 12; Salm., 10, 8, 19; Croix, VII, 388.

(8) Navarr., Pala., Covarr., ap. S. Alph., VII, 380; Duardo, q. 17, n. 2; Sayr., VI, 4, 5. Alii aliter, in his Suar., et S. Alph. (*l. c.*), quia membrum prorsus inutile, aridum est et emortuum: quod falsum est, nam alias brevi tabesceret. An igitur fiat irregularis qui abscindit membrum huiusmodi? Negat Suar. (44, 2, 11); affirmat Duardo (q. 18, n. 1); et uterque sibi consequens est: ego, ex regulis alias traditis (§ 263, n. 12), si personae sunt diversae, idest, si Titius membrum fecit inutile, Caius abscidit, neutrum irregularem fieri puto: secus si eadem persona inutilem fecit, et postea abscidit.

(9) Silvest., v. *Homicidium,* III, 9, 5; Tolet., 1, 27, 3.

(10) CC. 9, 13, 16, *De Homicid.* Nec obstat Trident. (XIV, *R.*, 7), quia non mutavit ius antiquum (S. C. C.. ap. Suar., 45, 5, 9; Sayr., VII, 17, 10).

(11) Ex C. 7, *De Poenit.;* C. 9, *De Homicid.;* Suar., 45, 5, 7; Salm., 10, 8, 30; S. Alph., VII, 387.

(12) Trident., XIV, *R.*, 7; Suar., 44, 1, 5. Ceterum, voluntarium accipere debemus, quod ex actione tua suapte natura necessario sequitur, velut ex percussione letali mors; licet occidendi animum non habueris (§ 145, n. 14).

(13) Ex L. 18, § *Si iniuria, De Iniur.;* Suar., 45, 6, 18.

(14) Ex Clem., un., *De Homic.;* C. 4, *De Raptor.* Item si virilia sibi absciderit, quamvis fecerit studio castitatis, vel putans se obsequium praestare Deo (CC. 3, 4, 5, *De Corp. Vitiat.*). Verum, si is id fecerit bona

membri partem dumtaxat, v. c., digitum, immo digiti partem, sibi absciderit (15).

423. Verum is qui occidit vel mutilavit, ut tueretur se (vel ea quae nece invasoris tueri fas est), nullam contrahit irregularitatem neque ex delicto, quia caret culpa; neque ex defectu lenitatis, quia non facit auctoritate publica (16): dummodo id fecerit, *mortem*, etc., *aliter vitare non valens* (17); nec *excesserit* cum gravi sua culpa moderamen inculpatae tutelae (18). Quamobrem si potuisset sibi consulere fuga, vel quo alio modo, sine periculo, vel (si agatur de his quibus fuga probrosa est) sine dedecore, non excusatur (19). Quid, si tu ipse provocaveris aggressorem, seu verbis, seu factis? non enim ideo vel ille occidendi te ius acquirit, vel tu defendendi te ius amittis. Et si non praevideras hoc periculum, convenit irregularitatem cessare (20): secus, quidam putant, te irregularitatem contrahere, quia homicidium est voluntarium in causa; alii contra putant, quia defensio licita est: sententia Suaresio utraque gravis (21); haec mihi verior. Utcumque, res dubia est.

424. Ad haec, sunt in homicidio quaedam specialia; non enim solus auctor principalis homicidii contrahit irregularitatem, sed et is qui mandavit occidi (22), et is qui vi aut dolo fecit, ne alius se

fide, quia delictum abest, irregularitas in foro interno ne intelligi quidem poterit. Ad haec, V. S. Alph. (VII, 415, 418). Dixi *virilia abscidit:* ergo si testiculos tantum ipse sibi; vel in causa fuit, ut alius (e. g. vir ei cum uxore turpiter agenti) virilia absciderit, cessat irregularitas (S. Alph., VII, 417, 418).

(15) CC. 6, 7, Dist. 55; Sayr., VI, 17, 22).

(16) S. Alph., VII, 389. Quamvis fecerit ex odio, et lubenti animo (§ 154, n. 19). Item, verius, iuris est, si id fecit ut alterum tueretur (Ex C. 12, *De Restit. Spoliat.;* Silvest.; Navarr., 27, 212; Suar., 46, 3); scilicet, *unicuique mandavit Deus de proximo suo.*

(17) Cit. Clem., un., *De Homic.* Quod in foro conscientiae proprium cuiusque, aut viri prudentis, iudicium est (Suar., 46, 1, 7).

(18) C. 8, § ult., *De Homicid.;* Sayr., VI, 17, 17; Salm., 10, 8, 52; S. Alph., VII, 388.

(19) Salm., 10, 8, 52; *ibiq.* Soto, Suar., Covarr., etc.; Spor., *In V.° Dec. Praec.*, Cap. 2, n. 181.

(20) S. Alph., III, 398; VII, 388.

(21) Suar., 46. 1, 11. Qui in posteriorem inclinat; quae Sayr. (VI, 17, 18) est communior, et verior. Sane *magna haec controversia est* (S. Alphons., cit. n. 398). Quis igitur non putet respondendum pro reo? Casus est, si quis invasorem antea provocaverit, puta si iniuriis lacesserit, si ei alapam duxerit, si in adulterio fuerit deprehensus. Item si amico persuasit, ut Seium occideret, et ille a Seio fuerit occisus; si maritus occidat adulteram, etc.

(22) C. 3, *De Homic.* in 6°; Filiucc., 20, 27. Etsi vulnerari tantum, non occidi, mandaverit (cit. C. 3). Nec excusatur quod mandaverit alias volenti (V. § 301, n. 12); nempe si mandato suo id effecit, ut alter citius occideretur (Covarr.; Henriq.; Sayr., VII, 2, 11). Et dummodo certo sibi constet, vere hominem nedum occisum, sed mandato suo occisum fuisse (S. Alph., VII, 371).

defendere posset, vel ut ne ei alius opitularetur (23). Et in foro externo ex culpa quoque lata, civili inquam, contrahitur (24). At neutro in foro fit irregularis is qui non prohibuit, quamvis ex iustitia prohibere debuisset (25); eoque minus qui ratum habuit (§ 324). Dubitari potest de eo qui opem proximam, vel consilium praebuit; et illum irregularem fieri, communissima (26); hunc, longe communior (27); sed utraque sine certo iure (28) sententia est. Ab illa non ausim recedere; huic non adhaereo, cuius contraria Lugoni probabilis visa est (29). Ad ultimum, si plures communi consilio concurrerint ad homicidium perpetrandum, sed unus occidit, omnes fiunt irregulares (30).

(23) Ex Trid., *l. c.* Nempe causam necis praebuit. ***Et est omnium sententia*** (Suar,, 45, 2, 2). Secus igitur si alteri *persuaseris*, ne ei opitularetur (Salm., 10, 8, 39).

(24) CC. 7, 8, 11, *De Homicid.* Etiam ex ludo periculoso (C. 20, *Eod.*). Nempe si rem faciebat, non illicitam dumtaxat, ut visum quibusdam; nec utcumque periculosam, ut visum aliis; sed periculosam hoc nomine, idest homicidii periculum continentem (Suar., Disp. 45, Sect. 6; S. Alph., VII, 377, 387; ex C. 14, *De Homicid.*): puta si praegnantem graviter percusseris, et illa eiecerit. Nec excusaris quod *non praevideris* periculum mortis inferendae, si hoc a diligente facile provideri potuisset (§ 297, n. 10): ut ecce si alicui mandaveris Caium verberare, et ille in colluctatione occiderit Caium; immo etsi *expresse* vetueris occidere (C. 3, *De Homic.* in 6°). Amplius, hi quoque, qui hominem occiderunt casu, vel defendendi sui gratia, non sunt, incognita causa, et sine dispensatione, ad ordines suscipiendos vel exercendos; nec ad beneficia, et dignitates ecclesiasticas admittendi (Trid., XIV, *R.*, 7). Haec de homicida; nam eum, qui simulationi causam praebuit, fieri irregularem, nullo iure expressum est (S. Alph., VII, 417). Dixi – *in foro externo* – nam in interno, si desit actio per se mortifera, et propositum occidendi (homicidium *voluntarium*, – Suar., 44, 1, 4); et si causam mortis non previdit, *irregularitas* (Suar., 45, 5, 3) non intelligitur.

(25) Sayr., VII, 4, 17. Licet ex odio non impedierit (S. Alph., VII, 376).

(26) Suar., 44, 3, 31; S. Alph., VII, 374.

(27) Sayr., VII, 3; Suar., n. 18.

(28) Nituntur C. 23, Cau. 32, 5; C. 8, Dist. 50; CC. 18, 3, § *Illi, De Homicid.* At vero illud C. 23, ex Augustino; C. 8, Dist, 50, ex Conc. Bracharen. (non ex Martino PP., ceu existimarunt veteres TT.) depromptus est; et praeterea *ille* huc non pertinet, *hic* continet poenam depositionis. C. 18, *De Homic.* ad presbyteros pertinet, qui a sacerdotali officio abstinere iubentur; et alios, praesertim laicos, tum ex generalibus regulis iuris, tum heic ex iure speciali (§ 404, n. 1) trahendum non est. Denique C. 3, *Eodem*, huc non pertinet; ait enim: *Ab homicidii* REATU *immunes non esse qui occisoribus opem praestant* (nam nec is immunis est qui non prohibuit, immo et qui ratum habuit); et animadverti in eos iubet paullo mitiori poena (cit. § *Illi*) atque ideo extraordinaria, et fer. sent.

(29) Lugo, *De Iust.*, XIX, 40, quia *haec irregularitas non est in iure inflicta.* Et pro hac sententia laudat Praepositum, Turrianum, Hurtado.

(30) S. Alph., VII, 374. Et iure prorsus, quippe instar mandantium

De iudicio sanguinis.

425. Iudicium sanguinis Nostris et Canonistis dicitur illud, in quo quis apud iudices laicos eius criminis postulatur, quod capitis, vel mutilationis poenam secum trahit (1). A iudiciis huiusmodi, *licet iustis*, abhorret Ecclesia (2): ideo christifideles qui ad illa concurrunt, fiunt irregulares ex defectu lenitatis; sive Clerici, quod in iure expresse cautum est (3); sive laici, quae certa penes Nostros et Canonistas sententia est (4): dummodo et publica auctoritate, et sua sponte concurrerint. *Publica auctoritate* (5): ex hoc capite eam contrahunt dumtaxat iudices qui sententiam dixerunt (6); et praeterea, quasi iudicum cooperatores, quotquot eius iudicii, idest, vel processus, vel sententiae, vel executionis, fuerint participes. Idest, ex 1° accusatores (7), testes (8), et advocati seu pro-

habendi sunt. Si non communi consilio, is tantum, qui suis manibus occidit, contrahit irregularitatem (S. Alph., 369). Et si non appareat quis occiderit, verius nemo (§ 300, n. 2). Contra Suar., 45, 3, 9.

(1) C. 5, *Ne Cler. vel Mon.;* Suar., 47, 1, 2. Salm., 10, 9, 1; Sayr., VI, 18, 2. Apud iudices laicos, nam iudices ecclesiastici poenam capitis, vel mutilationis irrogare non possunt; sed reum relinquunt potestati saeculari *animadversione debita puniendum* (L. 9, § 1, *De Haeret.*).

(2) CC. 6, 9, *De Cleric. pugn. in duel.;* C. 9, *Ne Cler. vel Mon.;* V. I *Paralip.*, XXVI, 28.

(3) CC. 5, 9, *Ne Cler. vel Mon.* Et Clerici in sacris, vel beneficiati, et Monachi gravi praeterea non vacant; quippe quibus vetitum est haec iudicia exercere (Cit. CC. 5, 9; S. Alphons., VII, 467). Dixi, *licet iustis*, quia si iudicium fuerit iniustum, vel non rite iudicatum sit (§ 313, n. 40), irregularitas contrahitur ex delicto, quasi ex homicidio voluntario (Salm., 10, 9, 1).

(4) D. Th., Suppl. 39, 4. Immo *certissima* (Suar., 47, 1, 1). Et nihilominus nullo certo iure statuta est; et quae a Canonistis, et TT.; et in primis a Suar. (*l. c.*), et a Sayr. (VI, 15, 1) laudantur, ad rem non faciunt; et vix detorqueri potest ex C. 1, Dist. 51.

(5) Vasq., 2, 2, Tom. I, Disp. 33, dub. 2; Bonac., Disp. 7, Q. 4, p. I, n. 35; Salm., 10, 9, 8; S. Alph., VII, 464. Contra veteres TT., hac in re vix non truculentos. Scilicet hi irregularitatem contrahere docent qui, quoquo modo, ad necem, vel mutilationem concurrunt (V. Croix, VII, 521). Quis enim ferat, v. c., Bonac. et Sayr. (VI, 16, 2) existimantes, irregularitatem contrahere eum qui iustitiae administro gladium porrigit, vendit; qui breviori itinere reum perducunt ad supplicii locum; vel urgent, ut is citius, ad eum perveniat, vel ut celerius scalam ascendat, etc.? (V. Salm., 10, 9, 10). Aut Henriquez et Silvestrum docentes, irregularem fieri eum, qui iudici interroganti, an reus mereatur poenam capitis, respondet mereri, quamvis ex iure respondeat? (V. Sayr., VI, 18, 24).

(6) Ex C. 10, *De Excess. Praelat.*

(7) Ex C. 2, *De Homic.* in 6°; Suar., 47, 2.

(8) Laym., *De Homic.*, C. VII, 1; Suar., 47, 3. Sed non improbabiliter Salm. (10, 9, 3) docent, te-

curatores contra reum (9); dummodo et revera agatur iudicium sanguinis (10), et ipsi non ignorent agi iudicium huiusmodi (11). Ex 2° iudicum assessores (12), scribae, seu tabelliones, et qui sententiam dictant, vel publicant (13). Ex 3° demum lictores, apparitores, etc.; qui eum comitantur ad supplicii locum; quique demum eum mutilatione vel capite plectunt (14).

426. *Sponte sua:* nam in hoc maxime consistit defectus lenitatis, quod quis his sese ingerat, immisceat (15). Ex hoc capite, 1° irregularitati eximuntur accusatores, seu delatores, si iniuria vel damnum ipsis forte, vel *suis* fuerit illatum; quippe quodam iure defensionis utuntur; ideo necesse est, ut vel ob damnum illatum agant, vel ut eis in posterum caveatur (16): et dummodo *protestentur expresse, quod ad vindictam, seu poenam sanguinis non intendunt* (17). Haec protestatio quandocumque fieri potest, modo fiat ante sententiam (18). Qui hanc protestationem omittunt, fiunt irregulares: nempe

stes non necessarios, eos nempe qui, si testimonio abstinuissent, reus nihilominus condemnatus fuisset, irregularitatem effugere.

(9) Ex C. 1, Dist. 51.

(10) Sayr., VI, 16, 18. Nempe si, cum non ageretur iudicium sanguinis, reus per iniquam sentent. capitis damnatus sit.

(11) Ex C. 21, *De Homic.;* Suar., 47, 2, 8; Salm., 10, 9, 3.

(12) Ex C. 10, *De Excess. Praelat.;* Suar., 47, 1, 1. Sed non hi qui, pro sua temporali iurisdictione, iudices dant (C. 3, *Ne Cler. vel Mon.* in 6°).

(13) *Communissima* (Sayr. VI, 1, 16). Non item exceptores (qui dictata excipiunt), nec qui eam scribunt, vel transcribunt (V. S. Alph., VII, 461): eoque minus, ut puto, qui illam obsignant.

(14) Suar., 47, 4, 10.

(15) Suar., 46, 2, 4.

(16) Ex C. 21, *De Homic.;* Suar., 47, 2, 2.

(17) C. 2, *De Homic.* in 6°; Ex C. 21, *Eod. tit.;* Suar., Disp. 47, Sect. 2. - *Ad vindictam:* ergo non fiunt irregulares, etsi id agant, aut petant, ut Iudex in reum animadvertat (Suar., *l. c.*, n. 10). Quid si revera in corde suo vindictam inhient? Sane haec protestatio eo spectat, *ut retrahat Iudicem a sententia sanguinis* (Salm., 10, 9, 15): non immerito igitur plures docent, occultam huiusmodi intentionem non obesse (Salm., *l. c.;* ibique Filiucc., Pal., Bonac.); quod et S. Alph. (VII, 468) probat. *Suos* autem accipimus necessarios usque ad 4^{m} gradum; famulos, et subditos (Suar., *l. c.;* Salm., n. 17). Quin cessat irregularitas, si quis aliquem accuset ad vitandum grave damnum proximi, quoties aliter vitari non potest, et talis accusatio *cadit sub praecepto caritatis* (Suar., n. 15): quo in casu non est protestatio necessaria (Salm., n. 17); et planum est.

(18) Suar.; Sayr., VI, 18, 3; S. Alphons., VII, 468. Hanc protestationem esse beneficium clericis concessum, et ad laicos productum, docet Suar. (47, 2, 5). Verum quo in iure continetur, accusatores et testes fieri irregulares? Suar. laudat Canon. 8, Dist. 46; Sayr. (VI, 16, 9) docet, eos teneri quasi cooperatores: sed Canon ille depromptus fuit ex Conc. IV. Carthag.; cooperatores vero pares facere delinquenti principali, et a regulis iuris (§ 310), et a iure

clerici in sacris constituti, vel ecclesiasticum beneficium habentes, si eam scienter omiserint, *ex delicto;* si ignoranter, *ex defectu* (19); ceteri semper ex defectu (20). Nec, 2° irregularitatem contrahunt testes, si accesserint compulsi metu, vel iusto praecepto (21); quamvis nullam protestationem emiserint, quippe nullo iure exigitur. At iudices, lictores, etc., eam numquam effugiunt, etsi protestationem emittant, quippe sponte funguntur officiis huiusmodi (22). Nempe post effectum sequutum (23).

De homicidio et mutilatione in bello perpetratis.

427. Postremo videamus, quid iuris sit, si quis mutilatus, vel interemptus fuerit in bello. Et in bello iniusto, si vel unus occisus, aut mutilatus fuerit, fiunt irregulares *ex delicto,* perinde quasi participes, atque ideo (V. § 300, n. 5) si se mutuo excitaverint, quotquot ex adverso, eo cornu dimicant (1). In bello iusto, siquidem est defensivum, nemo contrahit irregularitatem (2), exceptis clericis; et ne his quidem exceptis, si pugnaverint iussi (3), vel in magno discrimine rerum (4). Si bellum est offensivum, is tantum qui hostem sua manu occidit, vel mutilat fit irregularis ex *defectu leni-*

(C. 3, § *Illi, De Homic.*) alienum est. Haec protestatio non est necessaria penes iudices ecclesiasticos (Suar., 47, 1, 18; Sayr., VI, 18, 14); et planum est (§ 426, n. 1).

(19) Ex C. 2, *De Homic.* in 6°. Ex *delicto,* quia eis vetatur se immiscere iudiciis huiusmodi (Ex C. 9, *Ne Cler. vel Mon.*): et sub gravi vetatur (S. Alph., VII, 468). Iudex autem ecclesiasticus, qui tradit reum brachio saeculari puniendum, necesse habet pro reo intercedere, *ut citra mortis periculum circa eum sententia moderetur* (C. 27, *De V. S.*). Verum, si id omiserit, utrum incurrat irregularitatem satis incertum est (Cf. Suar., 47, 1, 12).

(20) Sot., II, I, 9; Suar., 47, 2, 6; Salm., 10, 9, 18.

(21) Ex C. 19, § ult., *De Homic.;* Suar., 47, 2, 4; Salm., 10, 9, 12. Et vel ipse Maiolus, Lib. II, Cap. 8.

(22) Suar., 47, 3, 6. Ideoque nec testes voluntarii (Salm., *l. c.*); quamvis protestationem ediderint (S. Alphons., *l. c.*).

(23) S. C. C., 2 iun. 1703; Bened. XIV, Notific. 101, 4.

(1) Giball., *De Irregular.,* C. IV, Consect. 7, Diff. 2. – *Si se mutuo* (Ben. XIV, Not. 101, 8). Nec bene Suar. (47, 5, 1) omnes commilitones facit irregulares. Quin puto, irregularem non fieri militem qui eo cornu dimicat, si invitus militat et nec glandem explosit (vel in aerem explosit), nec gladium eduxit.

(2) Ex Clem., un., *De Homic.;* S. Alph., VII, 459.

(3) Ex C. 2, *De Imm.,* iuncto C. 24, *De Homic.;* Giball., *l. c.,* Diff. ult., n. 40.

(4) Salm., 10, 9, 21. Sed etsi iniussi, et citra huiusmodi discrimen pugnaverint, irregulares fiunt ex defectu, si quid opinor; neque enim irregulares fieri possunt ex delicto, idest ex homicidio; quippe quod iniustum non est. Sed V. D. Th., 2, 2, 40, 2.

tatis (5) et ne is quidem, licet clericus, si, cum incurreret in eum hostis, aliter se tueri non potuit (6). At is qui dubitat, num ipse occiderit aut mutilaverit aliquem, licet multi occisi et mutilati fuerint, non est irregularis (7).

428. Ad haec duo sunt, quod ad clericos in sacris constitutos, et monachos, singularia. Nempe his vetitum est exercere chirurgiam *incidendo*, vel *adurendo* (8): quamobrem si cui *sic* medicinam fecerint, et aegrotus ex incisione, vel adustione interierit, fiunt irregulares (9). Haec irregularitas non oritur ex delicto, nec ex defectu, sed ex culpa civili (10); quia *culpa est immiscere se rei ad se non pertinenti* (§ 297 n. 13): ideoque non incurritur, si clericus vel monachus (peritus inquam) fecerint haec in necessitate, aliis peritis absentibus (11). Hoc primum; alterum singulare eorum est, qui in sacris ordinibus sunt constituti: hi, quoties eis constat hominem fuisse occisum, dubitant vero, utrum *ipsi,* an alius occiderit (si eiusmodi videlicet homicidium est, ex quo contrahitur irregularitas), abstinere debent solummodo a maioris ordinis exercitio; idest diaconus a diaconatu; presbyter ab officio *sacerdotali* (12). Ex quo apparet, hanc irregularitatem appellari lata significatione. Haec ad mutilationem non pertinent (13).

(5) Ben. XIV, *l. c.*, n. 9.

(6) Ex Clem., un., *De Homic.;* C. 24, *De Homic.* Nec demum is qui hortatur ad hostes, vel hostem, v. c., ducem belli, occidendum (S. Alphons., VII, 460).

(7) Bonacina; Croix, VII, 453.

(8) C. 9, *Ne Cleric. vel Mon. - In sacris* (CC. 7, 8, 11, 12, 20, *De Homic.*); ideoque non Minoristis, etsi beneficium ecclesiasticum habeant (S. Alph., VII, 385).

(9) C. 19, *De Homic.;* Salm., 10, 9, 32. Sic; non item si ipse *peritus,* vel *bona fide, det aliquid infirmo ad eius remedium vel levamen* (S. Alph., VII, 384).

(10) Ex C. 19, *De Homic.* Non *ex delicto,* primum quia alias nihil esset heic speciale, deinde quia non solum incidendo vel adurendo, sed alias quoque medendo, clericus fieret irregularis. Non ex defectu lenitatis, quia incisio, vel edustio huiusmodi magis ad conservandam, quam ad adimendam vitam, pertinent; quod scite Bonacina animadvertit.

(11) S. Alph., VII, 344, in fin.

(12) CC. 12, 17, 24, *De Homic.* Dixi, 1° *constat;* quamdiu igitur hoc non apparet manifeste, irregularitas (ut alias) non incurritur (Ex L. 15, § *Item illud, Ad S. C. Syll.;* S. Alph. 347, Dub. 3). At vero si constat, te (v. c., sacerdotem vel diaconum) causam mortis extitisse, irregularitas contrahitur, seu immediate, seu mediate mors sequuta fuerit; idest, si is quem, v. c., graviter percussisti, *ex ipsa percussione interiit vel aliam infirmitatem incurrerit, de qua noscitur expirasse* (C. 7, *De Homic.*). Dixi, 2° *hominem;* itaque hoc locum non habet in abortu, si non apparet fetum fuisse animatum (Ex C. 20, *Eod.;* S. Alphons., III, 396; VII, 347, d. 4). Dixi, 3° *ipsi;* nam si, v. c., mandasti hominem occidi, nec satis appareat, utrum mandato tuo fuerit occisus, cessat irregularitas (§ 303, n. 28). Sed V. S. Alph., VII, 347, dub. 3.

(13) S. Alph., *l. c.*, v. *Infertur 3°.*

429. Superest ut videamus, quinam possint in irregularitate huiusmodi dispensare. Itaque vel ex delicto oritur, vel ex defectu. Si ex delicto, si quidem ex homicidio, refert, utrum hoc voluntarium fuerit an casuale. Nostri *voluntarium*, hoc loco, accipiunt, quod quis sponte, et ex proposito perpetravit: quod non sic perpetratum est dicitur *casuale* (14). Porro Episcopis vetitum est dispensare ab ea sola irregularitate, quae oritur ex occulto homicidio voluntario (15); ergo dispensare possunt ab ea quae oritur sive ex mutilatione voluntaria, dummodo fuerit occulta (16); sive ex homicidio casuali: scilicet, si hoc fuerit occultum, quoad omnes ordines; sin publicum, quoad minores, ut olim (17). Sin ex defectu (lenitatis) oritur, solus R. P., etsi occulta sit, potest ab ea dispensare (18). Ad ultimum, si haec inciderint ante susceptum baptismum, post illud susceptum irregularitas ex delicto non intelligitur, quia per baptismum delentur omnia delicta; sed forte nec ex defectu, ceu putat Covarruv., ne melior sit conditio eorum qui deliquerunt (19).

CAPUT IV.

DE IRREGULARITATE OB INFAMIAM ET SPECIATIM DE EA QUAE CONTRAHITUR PROPTER HAERESIM.

430. Denique irregulares sunt qui laborant infamia. Infamia ex delicto est; non quovis, inquam, ut in veteri disciplina (1); sed

(14) Ex Trid., XIV, *De R.*, 7; Sayr., VI, 7, 5, etc.; Suar., 44, 1, 7; S. Alph., VII, 394. Proinde non dicitur (heic) voluntarium quod quis admisit ut se tueretur, quia non sponte admisit, quamvis, multum excesserit moderamen inculpatae tutelae (Sayr., VII, 7, 22; S. Alph., VII, 395): nec cuius quis reus fuerit tantum in causa (Salm., 10, 8, 29; S. Alphons., 377, 393); nec quod admissum est sola culpa civili. Nec verius voluntarium est, quod admisit ex impetu, vel in rixa (S. Alph., n. 394).

(15) Trid., XXIV, *R.*, 6, *Liceat.* Quamvis prorsus occulto (S. C. C., 21 maii 1718; S. Alph., I, App. II, 51; VII, 392), Nisi forte, urgente magna necessitate, R. Pontifex commode adiri non possit (Salm., n. 16; S. Alph., VII, 391.

(16) Ex Trident. XIV, *Ref.*, 7; Giballin; S. Alph., cit. n. 51; et VII, 381.

(17) C. 2, *De Cleric, pugnant.*; Salm., 10. 8, 43. Ideoque et ad beneficia simplicia (Navarr., 27, 240; S. Alph., VII, 303; Ex Trident., cit. C. 7).

(18) S. Alph., VII, 469.

(19) L. 8, § 1, *De donat. inter vir.*

(1) C. 21, pr., *De Accusat.* In veteri disciplina *irreprehensibiles et sine crimine* esse oportebat ecclesiae ministros (Conc. Nicaen., Can. IX); proinde infames, atque ideo irregulares habebantur, ut uno verbo dixerim, *omnes qui Christianae legis normam abiiciebant* (Can. *Infames*, 17, Cau. 6, q. 1). Hodie alio iure utimur; et nulla irregularitas incurritur nisi in iure (novo) sit expressa: hinc, v. c., rebaptizatus ignoranter (V. C. 117, *De Cons.*, Dist. 6), non est amplius irregularis.

graviori, idest depositione, vel perpetua suspensione digno (2); *et iudiciario ordine comprobato, vel alias notorio* (3). Ex quo palam est, eam non ex delicto esse, sed, verius, ex famae defectu. Quaestionis est, utrum omnis irregularitas huiusmodi dicenda sit irregularitas propria significatione, an impropria. Neutrum plane, sed, reo condemnato, sive is iuris, seu facti infamiam contraxerit, vere et proprie irregularis efficitur; ideoque a solo R. P. directe dispensari potest (4). Eo nondum condemnato, quae oritur ex infamia facti, dicitur irregularitas lata significatione; ideoque (§ 121, n. 22) non facit irregularem, sed indignum (5): haec igitur deletur poenitentia et emendatione patrati criminis (6), post triennium (7). Quae

(2) Navarr., 27, 248, pr.; Sayr., VII, 12, 16; S. Alph., VII, 563. Scilicet, non omnia delicta existimationem onerant (C. 21, § 1, *De Accusat.*). Et *perpetua*, etc. (Ex C. 4, *De Iudic.*), quia irregularitas perpetua est.

(3) C. ult. *De Temp. Ordin.* – *Notorium* autem heic accipimus *vulgatum* (Laym., IV, 4); et adeo manifestum, ut nulla possit tergiversatione celari (Navarr., 25, 73; S. Alph., VII, 363). Et nihilominus inter Nostros disputatum fuit, utrum haec irregularitas sit ex delicto an ex defectu (famae), idest utrum cohaereat delicto, an infamiae. Quidam enim, et oppido graves TT., in his Suar. (48, 1, 13, etc.), tenent esse ex delicto: sive de infamia iuris agatur, sive de infamia facti: ita, nempe, ut, eo postea evulgato, 1° poenae, quae infamiae cohaerent, ad diem patrati criminis retrotrahuntur; et, 2° reus interim his abstinere debeat, quibus potest quin seipsum prodat. Contrariam sententiam tenet, ut ceteros praeteream, Covarr., Diana (To V, Tract. V, Resol. 39), Navarr. (27, 248, pr.). Prima sent. nedum a regulis iuris, sed et a iure tum canonico (V. CC. 4, 17, *De Cler. coniug.*) tum civili, videtur aliena; etenim infamia facti vera infamia non est; et infamia iuris ex delictis quoque notoriis non semper retro valet (L. 1, pr., *De his qui not. infam;* V. § 122, n. 28). Sed nos tempus terimus; nam ipsa dissensio TT. obstat irregularitati quamdiu delictum latet.

(4) Ex Trident., XXIV, *R.*, 6. Et quidni, dices, ab Episcopo, si oriatur ex adulterio, vel criminibus adulterio levioribus? (C. 4, *De Iudic.*). Ita porro, sed ex dictis, ex huiusmodi criminibus non videtur vera irregularitas oriri (V. n. 17). *Directe*; nam infamia civilis (§ 122) sublata per indulgentiam Principis, in foro quoque ecclesiastico indirecte evanescit (Sayr., VII, 11, 15; Suar., 48, 2, 10; Bonac., Q. 3, P. 1, n. 6; Laym., IV, 10). Scilicet *nihil est tam naturale quam eo genere quodque dissolvi, quo colligatum fuit* (L. 35, *De R. I.;* V. cit. § 122, n. 32),

(5) Suar., 48, 1, 11; Laym., IV, 10, v. *Hinc;* Salm., 10, 8, 78. Scilicet, in nova disciplina arcentur pervicaces dumtaxat (C. 17, *De Tempor. Ordin.;* C. 4, *De Iudic.;* C. 4, *De Cohabit. Clericor.*; Berardi, Cap. V, v. *Itaque;* V. § 122, n. 26).

(6) Suar., 48, 2, 6. – Seu potius, cum non sit infamia veri nominis, quod et ipse Suar. fatetur (§ 121, n. 20), non parit irregularitatem.

(7) Laym., *l. c.;* S. Alph., VII, 363, v. *Haec.* Et quidni post biennium? *biennio, aut triennio*, ait C. 2, *De Cler. non ordin. min.*, - atqui decem, aut quinque promissis, *quinque debentur* (L. 12, *De V. O.*) Nec ulla infamia contrahitur ex officio quod suapte natura turpe haud est,

oritur ex infamia iuris, siquidem fer. sent. est, recidit in infamiam facti (§ 122. n. 25), atque ideo et ipsa deletur poenitentia: sin est l. s. non item. Sed quaestionis est, an faciat irregularem ante eam latam: negat sententia communior, et verior forte, quia poena est: quam sequor, quippe irregularitas est infamiae velut effectus.

431. Huc pertinent haeretici. Sed quia ob haeresim non uno nomine contrahitur irregularitas, heic de haereticis, de filiis haereticorum, et de baptizatis ab haereticis agendum est. De haereticis primum.

Haeresi cohaeret infamia et haereticos esse irregolares *est communis sententia* (8). Verum utrum haec irregularitas profluat ex ipso *delicto* haeresis (9), an ex infamia, idest ex famae defectu (10), disputant hinc inde TT. et Canonistae quique doctissimi; et qui priori sententiae adhaerent, sponte fatentur, *rem valde dubiam esse* (11), et contrariam sententiam *esse probabilem* (12) nec diffitentur, reo

licet abiectissimo; ut puta cauponis, lanionis, carnificis (Pal.; (Salm., n. 84), quo quis forte functus est. Dixi functus est, nam qui haec in praesens exercent prohibentur ipso naturali iure (Ex Clem., I, *De Vit et hon. Cleric.*). Quidam putant ex hoc capite esse irregularem qui duxit ancillam (Sanch., *M.*, VII, 10; Schmalz., IV, 9, 15), idest *servam* (Navarr., 27, 196); nempe ex C. 15, Dist. 34. Verum hoc Cap. depromptum est ex *Const. Apostolicis*, quas vocant; ideo nihil valet.

(8) Laym., IV, 12; Et certa (Reiff., V, 7, 254): sed non ex iure, ceu nimis confidenter pronunciat L. Ferrar. (v. *Haereticus*, n. 42).

(9) Suar., 43, 1, 4; ibiq. Silvest., et S. Antonin.; Sanch., *Dec.*, II, 25, 2, Reiff., *l. c.*; Pal.; Reginald., Diana, ap. De Lugo, *De Fide*, XXIII, 119.

(10) Giballin., *h. t.*, Cap. V, q. 3, d. 1; Hurtado; Sayr., VI, 12, 6; Navarr., 27, 205; Lugo, n. 120; ibiq. Sa, Henriq., Avila; Salm., 10, 8, 79; Pechia, V, 43, 46; S. Alphons., VII, 363. Scilicet nulla expresso iure cautum est, haereticos esse irregulares qua haeretici sunt (Lugo, n. 121). Unus, quo cum primis contrarii innituntur, C. *Saluberrimam*, 21, Cau. 47, posteriori sententiae, magis quam priori, favet. Eo cavetur, clericos, diaconos, presbyteros revertentes ab haeresi, *in magno habeant beneficio, si adempta sibi omni spe promotionis, in quo inveniuntur ordine maneant, si tamen, iterata tinctione, non fuerint maculati.* Principio hi in ordinis exercitio *manere, non restitui*, iubentur; *non erant ergo irregulares* (Lugo, *l. c.*). Deinde a rebaptizantibus secernuntur; ergo non eodem iure censentur; ergo non est ex delicto; et si ex delicto est, quodnam est hoc novum genus irregularitatum quod hominem in clero retinet? Denique heic, et in aliis iuribus, agitur semper de haeresi *publica notoria* (Lugo et Salm., *ll. cc.*): ergo non ex delicto haeresis profluit, sed ex notitia huius delicti. Obiicit Albit. (19, 4) C. *Cum sicut* Clem. VII, quae potestatem fecit Inquisitoribus dispensandi ab irregularitate ex haeresi occulta: sed quem praeterit, multa concedi ad cautelam?

(11) Sanch., *Dec.*, 11, 25, 18.

(12) Pal., Regin., ap. Lugo, n. 120; et Diana, ap. Albit. (*l. c.*, n. 2), eam probabiliorem appellat.

nondum condemnato, infamiam huiusmodi recidere in infamiam facti (§ 122, n. 25). Ego, cum nulla irregularitas contrahatur nisi sit in iure expressa, ideoque nisi manifesta sit (§ 404), hanc posteriorem sententiam sequor. Ex qua duo sponte sua fluunt: nempe, ex haeresi occulta nullam irregularitatem oriri: publicam vero aboleri poenitentia ante sententiam iudicis (§ 122, n. 31); et hoc postremum vel ipsi adversarii fatentur (13). Utcumque, dispensari (etsi non absolvi) potest ab Ordinario quoad fuerit occulta (14). *Credentes* vero, *receptatores, defensores* et *fautores haereticorum* fiunt *ipso iure infames* (atque ideo irregulares), *si satisfacere contempserint intra annum* (15).

432. Et nedum haereticos, sed et eorum filios (nempe primi gradus, si mater; primi et secundi, sin pater haereticam sectam profitetur) esse irregulares, communis sententia est: nempe si illi *tales esse, vel tales decessisse probantur* (16). *Tales esse;* ergo si parentes haresim eiuraverant, irregularitas evanescit (17); immo plurium TT., in his S. Alph., sententia est, eam cessare, si nati sint ex parentibus nondum lapsis in haeresim (18), Verum haec irregularitas nulla in iure statuta est, sed detorta ex iure, quo prohibetur eis conferri beneficia et officia ecclesiastica (19): qua de re eam explodit Viva (20). Utcumque, saltem coercenda erit ad filios

(13) Reiff., V. 7, 294; ibiq. Azor, et Sanch.; V. Albizj, 19, 12. Quod igitur dicit L. Ferrar. (*l. c.*. n. 1), eos *tales manere etiam post conversionem, et absolutionem.* addens – *communis et certa* – si hoc verbum *certa* ad utrumque refertur, minus caute dictum videtur. Ad haec, V. S. Alph. (VII, 364).

(14) Trident., XXIV, *R.,* 6; S. Alphon., VII, 76; Scavini, Lib. II, § 837, v. *Ab irregularitate* (Edit. XIII). Nec obstat, quod eis fuerit adempta per Bull. *Coenae* facultas absolvendi ab haeresi; nam a disparatis non fit illatio (Ugolin.; Filiucc., 20, 246; Garz., II, 1, 86; Filucc., 20, 246; Albit., 25, 43; ibiq. Sanch., Barbo., etc. Quidam contra putant: sed V. § 226, n. 29, ibiq. Sanch., Barbo, etc.,

(15) C. 13, § 5, *De Haeretic.*

(16) Ex C. 2, § 2; C. 15, *Eod. tit.* in 6°; Reiff., V, 7, 269.

(17) S. C. C., in Romana, 22 maii 1718; V. Thesaur., *Resol.,* To. 1, p. 60.

(18) Salm., 10, 8, 83; S. Alph., VII, 363. Haec sententia, licet verbis SS. Canonum non bene cohaereat (V. Suar., 45, 3, 2), nihilominus tuta est, propter auctoritatem S. Doctoris.

(19) Cit. CC. 2, 15.

(20) Viva, ap. S. Alph., VII, 363; et Sayr., VI, 10, 40, dubiam putat: et hoc satis esset ad eam removendam. Sane cum lex voluit ordinibus quoque suscipiendis et exercendis prohibere filios et nepotes Patronorum interficientes Rectores ecclesiarum (C. 12, *De Poenis*); insectantium, vel percutientium S. R. Ecclesiae Cardinales (C. 5, *Eod. tit.* in 6°), id palam expressit. Et durum profecto est, ordinibus prohibere eos, quos lex solis beneficiis et officiis ecclesiasticis prohibet; eos-

haereticorum, qui alicui sectae nomen dederunt, *ne melior sit conditio eorum qui deliquerunt* (21). Cumque non sit ex delicto, ex quadam quasi generis infamia repetenda est: atque ideo cessat quoad *probatum* fuerit parentes eorum haereticos esse; vel (si mortui sint) in haeresi decessisse (22).

433. Ad extremum *qui in qualibet aetate alibi quam in Ecclesia catholica baptizati sunt*, irregulares habentur (23); aetate adulta, inquam (24); ideoque irregularitas ex delicto est (25). Cessat igitur in foro externo, si quis baptizatus fuerit, urgente necessitate, in mortis articulo: in interno, si baptismum receperit bona fide: et, si quid opinor, quamdiu latet, ab haeretico baptizatum fuisse; ne melior sit conditio baptizantis (haeretici) quam baptizati, qui catholicam fidem profitetur.

Et haec de prolegomenis satis multa, extra ea quoque fortasse multa; transeamus ad alia.

que eodem, quo haeretici, iure censere. Aiunt, ordines esse officium ecclesiasticum: ita sane, stricta et rigorosa, at non vulgari et communiter recepta significatione verborum (V. § 184, n. 15). Ceterum, ex receptis moribus, non licet eos ad ordines promovere inconsulta Sede Apostolica: et ita omnino tenendum est.

(21) Ex L. 3, § 1, *De Donat. int. vir.* Idest, parentum.

(22) Ex cit. C. 5. Atque ideo cessat irregularitas quoad haeresis parentum fuerit occulta (Salm., 10, 8, 83; S. Alph., VII, 369).

(23) C. 10, Cau. 1, 7.

(24) CC. 3, 4, Cau. 1, 4; S. C. Conc., Romana, 1718; Thesaur., *Resol.*, To. I, p. 60.

(25) Suar., 42, 1, 14; Salm., 10, 8, 65.

INDEX

PROOEMIUM.

§ 1. De origine, vicibus, et progressu theol. moralis. . . . . Pag. 1
§ 2. De fontibus theologiae moralis 13

PARS PRIMA.

PROLEGOMENA.

Divisio huius primae partis 17

TRACTATUS I. DE PERSONIS.

Praenotanda 18
CAP. I. De singulis Personis 22
Art. I. De diversitate personarum quoad corpus. . . . . ib.
Art. II. De diversitate personarum quoad animum 24
Art III. De diversitate personarum quoad aetatem 26
Appendix I. - De temporum supputatione; de die, de conditione, de modo 30
Appendix II. - De personis moralibus 35
CAP. II. De personis quoad familiam 39
Art. I. De viro et uxore, parentibus et liberis . . . . . ib.
Art. II. De tutoribus et curatoribus 46
Art. III. De necessitudine. 47
CAP. III. De personis quoad societatem 52
Art. I. De iurisdictione 55
Appendix - De origine et domicilio, vel quasi domicilio . . 67
Art. II. De personis quoad ecclesiam 73
§ 1. De clericis . . . . . ib.
§ 2. De regularibus 85
§ 3. De laicis 91
Appendix - De sepultura ecclesiastica 95
Art. III. De personis quod civitatem 101

TRACTATUS II. DE ACTIBUS HUMANIS.

CAP. I. De principiis humanorum actuum . . . . . Pag. 108
Art. I. De intellectu 109
Art. II. De voluntate 118
Art. III. De libertate 123
CAP. II. De moralitate actuum humanorum. 127
Art. I. Quinam dicendi sint actus humani. . . . . ib.
Art. II. Unde petenda sit bonitas vel malitia actus humani . . . 135
Art. III. De imputatione actuum humanorum. Et de voluntario in causa 140

TRACTATUS III. DE LEGIBUS.

Sectio I. *De legibus in genere.*

CAP. I. Quid lex, et quotuplex, et quae legis virtus 147
CAP. II. Quemadmodum cesset legis obligatio, aut lex ipsa 163
Appendix - De interpretatione legum 170

Sectio II. *De legibus in specie.*

CAP. I. De iure naturali 185
CAP. II. De iure divino 188
CAP. III. De iure humano 190
Appendix - De legibus irritantibus 202

Sectio III. *De his quae recedunt a iure communi.*

CAP. I. De iuribus singularibus 207
CAP. II. De privilegiis, dispensationibus, et rescriptis 210
Praenotanda . . . . . ib.
Art. I. De privilegiis 215
Art. II. De dispensationibus 220
Art. III. De rescriptis 226
Appendix I. - De consuetudine 237
Appendix II. - De praeceptis 240

TRACTATUS IV. DE CONSCIENTIA.

CAP. I. De conscientiae natura et divisionibus 243
Art. I. De conscientia antecedenti . . . . . ib.
Art. II. De conscientia consequenti 246

CAP. II. MORALISTARUM SYSTEMATA. . . . . Pag. 247
ART. I. Quae sint praecipua systemata Moralia. . . . . ib.
ART. II. Quodnam systema praeferendum sit 254

TRACTATUS V. DE PECCATIS.

CAP. I. QUID SIT PECCATUM, ET QUOT MODIS ADMITTI POSSIT 266
CAP. II. UNDE PECCATORUM DISTINCTIO PETENDA SIT 271
ART. I. De specifica diversitate peccatorum . . . . . ib.
ART. II. De numerica distinctione peccatorum 275
CAP. III. DE GRAVITATE PECCATORUM 279

TRACTATUS VI. DE DELICTIS, POENIS ET CENSURIS.

TITULUS I. De delictis, delinquentibus et his qui in delictum concurrunt.

CAP. I. DE DELICTIS ET DELINQUENTIBUS 283
CAP. II. DE HIS QUI IN DELICTUM CONCURRUNT, ILLUDVE RATUM HABENT . 289

TITULUS II. De poenis.

CAP. I. QUID ET QUOTUPLEX POENA SIT 294
CAP. II. DE POENIS SINGULIS DELICTIS IRROGANDIS ET SUBEUNDIS . . . 299
ART. I. Praenotanda . . . . . ib.
ART. II. De poenis irrogandis 303
ART. III. De poenis a reo sebeundis 309
CAP. III. DE POENIS TOLLENDIS 315

TITULUS III. De censuris.

SECTIO I. *Communia de censuris.*

CAP. I. QUID SIT CENSURA A QUIBUS ET IN QUOS FERRI POSSIT, QUO FACTO OPUS SIT AD EAM INCURRENDAM, ET AN PLURIBUS CENSURIS OBNOXIUS QUIS FIERI QUEAT 319
CAP. II. QUANDO CENSURA INCURRITUR ET QUOMODO IRROGANDA SIT . . 323
CAP. III. DE EFFECTIBUS CENSURAE, ET QUAENAM AB EA EXCUSENT . . . 326

CAP. IV. De censuris absolvendis . . . . . Pag. 331
Art. I. Generalia de absolutione a censuris . . . . . ib.
Art. II. A quo dari possit absolutio a censuris 338
Art. III. Cui et quomodo danda sit absolutio a censuris 348
Appendix - De censuris quae irrogantur ad instar poenarum, vel privationis cuiusdam. 354

Sectio II. *De censuris speciatim.*

CAP. I. De excommunicatione 356
Art. I. De excommunicatione in genere . . . . . ib.
Art. II. De excommunicatione canonis, seu ob percussionem clericorum 362
CAP. II. De interdicto 366
CAP. III. De suspensione 373

Sectio III. *De singulis quae nunc vigent ex C. " Ap. Sedis „ censuris latae sententiae.*

Praenotanda 383
CAP. I. De excommunicationibus 385
Art. I. De excommunicationibus l. s. speciali modo Romano Pontifici reservatis . . . . . ib.
Art. II. De excommunicationibus l. s. Romano Pontifici simpliciter reservatis 404
Art. III. De excommunicationibus l. s. episcopis, sive ordinariis reservatis 412
Art. IV. De excommunicationibus l. s. nemini reservatis. 414
CAP. II. De suspensionibus l. s. Romano Pontifici reservatis . . . 416
CAP. III. De interdictis l. s. reservatis 419
CAP. IV. De Tridentinis censuris sartis tectis servatis 420
Appendix - Circa absolutionem a censuris reservatis . . 423

TRACTATUS VII. DE IRREGULARITATIBUS.

Sectio I. *Communia de irregularitatibus.*

CAP. I. De irregularitatis definitione, natura et vi 425
CAP. II. Quinam irregularitates constituere, contrahere, et dispensare possint 431

Sectio II. *De singulis irregularitatibus.*

CAP. I. De irregularitatibus ex delicto . . . . . Pag. 436
CAP. II. De irregularitatibus ex defectu 442
Art. I. De irregularitatibus ex defectu propriis . . . . . ib.
Art. II. De irregularitatibus ex defectu impropriis 443
CAP. III. De irregularitatibus quae sive ex delicto contrahuntur, sive ex defectu 446
Art. I. De bigamia 447
Art. II. De homicidio et mutilatione 450
De homicidio vel mutilatione facto proprio perpetratis . . 451
De iudicio sanguinis 454
De homicidio et mutilatione in bello perpetratis 456
CAP. IV. De irregularitate ob infamiam, et speciatim de ea quae contrahitur propter haeresim 458

FINIS.

REIMPRIMATUR.
Fr. Albertus Lepidi O. P., S. P. A. Mag.

REIMPRIMATUR.
Joseph Ceppetelli, Patriarcha Constantinop., Vicesg.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

H865
240
D'A55

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709